J. Johnston
Diocese of Cleveland
May 11. 1921.

Frs. Library

THEOLOGIA MORALIS

WITHDRAWN

THEOLOGIA MORALIS

AD MENTEM

S. ALPHONSI M. DE LIGORIO EPISC. ET DOCT.

ET EX EJUS OPERIBUS

POTISSIMUM DEPROMPTA

CURA ET STUDIO

JOANNIS MORINO
CONGREGATIONIS MISSIONIS S. TH. DOCT. COLL.

Editio VIII emendata
juxta canones Codicis Iuris canonici

VOLUMEN I.

240
M859t
v.1

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

NEAPOLI
EX TYPIS PONTIFICIIS A. ET SALV. FESTA
S. Blasii Bibliopolarum 39-40
1918

Jura quae a lege sunt Auctor sibi reservat.

Benevole Lector.

Theologia Moralis, cum actiones humanas perpendat quatenus ad moralitatem proindeque ad vitam aeternam referuntur, principem tenet locum inter sacrai disciplinas, ejusque accurata cognitio maximi est momenti. Hinc hujus disciplinae tot opera omni tempore hucusque in lucem edita, ut pene inutile hac de re novum opus videatur.

Attamen, quemadmodum et varietas florum et multiplicitas minime officit pulchritudini horti conclusi, imo novam addit, ita et hoc opus, quamvis omnium ultimum, poterit et suam afferre utilitatem, saltem quoad ordinem et claritatem, et quoad plures practicas observationes, quae non solum ad poenitentis sed etiam ad ipsius confessarii bonum perducunt, quod clare comprobant et auctoritas plurimorum doctorum in hac scientia versatorum, et felix exitus praeteritarum editionum.

Nova equidem dicere minime curavi, immo et de industria respui, ea tantum seligens quae in re morali meliores tum antiquiores tunc nunc temporis auctores scripserunt, praesertim princeps S. Alphonsus M. de Lig. In hac vero VIII editione omnia quae in Codice juris canonici fuerunt sancita, quaeque non parum moralem disciplinam modificant, suis locis inserui: nonnulla etiam vel adjecta vel in meliorem ordinem coordinata sunt.

Praeter theoreticen, junioribus suggessi plurimas observationes ad praxim et ad animas dirigendas utillimas, ex Em. Card. D'Annibale, Cl. Berardi, Ciolli, Frassinetti, etc., excerptas; quibus proinde me fateor debitorem, eis merito referens si quid est operis pretium.

Novi siquidem et ego hoc opus a perfectione longe distare; attamen existimo multis perutile fore, tam sibi ipsis, quam animabus dirigendis. Hoc sane animo illud in lucem edidi.

Interim Virgini Immaculatae et S. Josepho, necnon S. Vincentio a Paulo, dum omnia et mihi et tibi, bsnevole Lector, fausta precor, opus meum commendo.

Neapoli, anno Domini 1918.

INTRODUCTIO

Theologiae Moralis definitio et divisio.

Theologia Moralis, seu, ut ipsum vocabulum innuit, illa Theologiae pars quae circa mores versatur, definiri potest: *Scientia quae humanas actiones ad morum honestatem per media tutissima et propria dirigit in ordine ad vitam aeternam.* — Dicitur 1° *Scientia*, quia ex certis principiis consectaria et resolutiones in praxim deducit, ex quibus quoddam corpus doctrinae efformatur; 2° *quae humanas actiones ad morum honestatem... dirigit*, quae verba innuunt tum objectum *materiale* (seu humanas actiones) circa quod versatur Theologia Moralis, tum objectum *formale*, seu motivum quo objectum materiale attingitur, nempe morum honestatem; 3° *per media tutissima et propria*, quae sunt *S. Scriptura, Traditio, SS. Patres, Decreta Summ. Pontificum et Sacrarum Congregationum, Concilia, Jus canonicum et civile, Auctoritas Theologorum*, etc.; 4° *in ordine ad vitam aeternam*, haec enim omnium rerum ultima ratio esse debet; unde si finis *proximus* Theologiae Moralis est honestas actuum humanorum, finis *ultimus* est consecutio felicitatis aeternae.

Omnis scientia ex principiis generalibus ad casus particulares descendit; idcirco cujuslibet scientiae tractatio in duas partes dividitur, generalem unam, specialem alteram. Pars *generalis* expositionem principiorum generalium continet; *specialis* quaestiones speciales resolvit. Itaque pars *generalis* Theologiae Moralis agit de primariis principiis moralitatis, nempe de actibus humanis, et de eorum moralitate; de regula proxima et remota actuum humanorum, seu de conscientia et de legibus; de peccatis in genere; de censuris. Pars autem *specialis* duplex est: una agit de praeceptis Decalogi et Ecclesiae, nec non de obligationibus proprii status; altera agit de Sacramentis quatenus sunt media ad salutem consequendam, quorum usus ex lege divina vel ecclesiastica praecipitur et determinatur.

Theologiae Moralis excellentia et necessitas.

Ex praedicta definitione patet quanta sit Theologiae Moralis excellentia et necessitas. Ad rem S. Th. (p. 1ª q. 1ª a 5): « Practicarum scientiarum illa dignior est, quae ad ulteriorem finem non ordinatur,.... finis autem hujus doctrinae, in quantum est practica, est beatitudo aeterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum ». Ergo scientia Theologiae Moralis, quia prae omnibus aliis salutem animarum proprius et magis directe respicit, omnes alias scientias tum dignitate tum necessitate praecellit. Unde S. Alph. de Lig. ajebat: *Certe Theologia Dogmatica opus est, sed magis opus est Theologia Morali; hac enim scientia deficiente, nec habiles parochi, nec boni erunt confessarii* (Vita S. Alph.,

in oper. Surii, c. 3. § 9, Edit. Taurin. 1877). Et iterum idem S. Alph., in Introductione ad opus cui titulus *homo Apostolicus*, haec habet: « Non mediocri profecto in coelis donabuntur praemio, et certam sibi aeternam suam operabuntur salutem confessarii partes suas bene gerentes, qui operam ad peccatorum salutem impendunt... Sed ingemiscit mater Ecclesia tot filiorum suorum perditionem malorum confessariorum culpa; in eorum enim bona vel mala agendi ratione potissimum populorum salus aut pernicies sita est. Dentur idonei confessarii, ajebat S. Pius V, ecce omnium christianorum plena reformatio ! Pro certo igitur habendum est quod, si in omnibus confessariis ea scientia et ea morum integritas reperiretur, quam tantum ministerium exposcit, non esset tot peccatorum sordibus mundus ita contaminatus, nec infernus adeo in dies animabus repleretur ».

Insuper hujusmodi necessitas magis magisque apparet ex difficultate hujus scientiae addiscendae. Theologia Moralis, prosequitur S. Alph., est summopere difficilis, tum quia requirit generalem notitiam omnium aliarum scientiarum, officiorum et artium ; tum quia tot diversas complectitur materias; tum quia magna ex parte constat ex legibus positivis; demum difficillima evadit propter innumeras casuum circumstantias, ex quibus resolutionum pendent veritas. Hinc, concludit S. Doctor, qui ad munus confessiones excipiendi inhiant, non facile sibi suadeant quod satis idoneos ad tantum munus se reddere possint *sine diuturno studio scientiae moralis.*

Dispositiones ad Theologiam Moralem addiscendam.

Ut autem haec tam excellens tamque necessaria Theologiae Moralis scientia apprime addiscatur, quatuor requiruntur: *a) Vehemens studii amor; b) summa existimatio libri textus*, illum etiam ad litteram memoriter addiscendo, juxta illud: *tantum scitur quantum memoriae mandatur ;* secus enim in decursu obliterabitur ; *c) frequens oratio ad Deum,* qui est Scientiarum Dominus; *d)* denique *rectus finis*, ita ut quae Dei sunt quaerantur, non quae propria.

ORATIONES

quas S. Th. Aq. quotidie genibus flexis devote recitare solebat.

Ante studium.

Concede mihi, quaeso, misericors Deus, quae tibi sunt placita ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte implere, ad laudem et gloriam Nominis tui. Amen. — *Leo XIII rescripto 29 jun.* 1878 *concedit indulgentiam* 300 *dierum pro iis qui, saltem corde contriti, eam recitaverint ante studium vel lectionem.*

Post studium.

Domine Deus meus, non sinas me inflari scientia quae destruetur, sed da charitatem aedificantem, quae nunquam excidit, ut non evanescam in cogitationibus meis, nec judicem me scire aliquid inter homines, nisi Jesum Christum, et hunc Crucifixum. Qui tecum vivit, etc.

DE ACTIBUS HUMANIS

Theologiae Moralis disciplina eo praecipue spectat, ut hominem dirigat ad suum ultimum finem, nempe beatitudinem aeternam. At vero, quum homo ad suum ultimum finem aliter tendere nequeat nisi per proprios actus humanos, qui propterea a S. Bernardo *semina aeternitatis* appellantur, ab eo Tractatu exordiendum est, qui de actibus humanis disserit.

Quanta vero sit utilitas, imo necessitas hujus Tractatus, patet ex eo quod ipse haberi debet veluti aliorum fundamentum; nam principia generalia quae in eo statuuntur omnes quaestiones particulares illuminant, ac veluti toti Theologiae imperant, atque ideo ex eorum veritate aut falsitate veritas aut falsitas pendet omnium solutionum quae de casibus specialibus postea afferuntur.

Tractatum de actibus humanis in quatuor capita dividimus, quorum 1. erit de actuum humanorum natura et divisione; 2. de principiis constitutivis actuum humanorum, nempe de voluntario et libero; 3. de iis quae voluntario et libero opponuntur; 4. denique de actuum humanorum moralitate.

CAPUT I.

De actuum humanorum natura et divisione.

1. — *Q.* Quid est actus hominis, et quid actus humanus?

R. In homine duplex actus dari potest, in genere naturae, et in genere morum; nempe actus hominis, et actus humanus.

I. Actus *hominis* est actus, qui ab homine procedit, sed sine deliberata ejus voluntate, uti motus indeliberati sive intellectus, sive voluntatis, vel actus flendi, ridendi, loquendi etc. usum rationis praevenientes, qui idcirco motus *primo-primi* dicuntur; vel actus hominis dormientis, aut penitus distracti, aut amentis, ebrii etc. qui omnes actus, cum careant advertentia et libertate, ad moralitatem non pertinent.

2. Actus *humanus* vero ex communi Theol. ore cum S. Th. [1] est actus, qui procedit ab homine in quantum est homo, seu in quantum a creaturis irrationalibus differt. Porro homo a creaturis irrationalibus in hoc differt quod est actuum suorum dominus. Est autem homo dominus actuum suorum per rationem et voluntatem ; unde et liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis et rationis. Quare actus humanus, considerato homine uti *viatore* [2], recte definiri potest : *Actus qui ex deliberata hominis voluntate procedit.* Ergo ad constituendum actum humanum, seu moralem, nempe capacem meriti vel demeriti, tria requiruntur : 1° cognitio ; 2° voluntas ; 3° libertas.

Porro in Theologia morali consideratur non actus hominis, sed actus humanus, siquidem consideratur homo ut agens morale, seu in quantum ejus actiones sunt bonae vel malae, et rationem habent meriti vel demeriti.

2. — *Q.* Quomodo distinguitur actus humanus ?

R. Actus humanus multipliciter distinguitur : — 1° Alius est *elicitus,* aut *imperatus* prout a voluntate *immediate* procedit, et in ipsa consummatur, uti amor, odium, vel a voluntate *mediate* tantum procedit, seu exercetur imperio voluntatis per alias potentias sive internas, uti actus cogitandi de quadam re peculiari, sive externas, uti actus ambulandi, scribendi. — 2° Alius dicitur *internus,* si internis tantum facultatibus perficitur, uti cogitatio, desiderium, affectus, etc. ; si vero per corporis organa perficitur, *externus* vocatur [3]. — 3° Alius est *naturalis,* qui solis naturae viribus fieri potest, ut amor parentum ; aut *supernaturalis,* qui solum auxilio divinae gratiae perfici potest, ut actus fidei, spei, caritatis, etc. — 4° Alius est *bonus* aut *malus*, aut *indifferens*, prout cum regulis morum concordat, vel non, vel neutro modo se habet. — Malus vero potest esse talis ex natura, vel jure, vel intentione agentis. Actus autem bonus vel malus potest esse talis vel *materialiter* tantum, vel tantum *formaliter*, vel materialiter simul et formaliter.

CAPUT II.

De actuum humanorum principiis.

3. — *Q.* Quaenam sunt principia actus humani ?

R. Principia actus humani triplicis generis sunt. — Alia dicun-

[1] 1ª 2ae q. I, a. 1.

[2] Actus quo Beati in coelo Deum amant est quidem actus humanus *quoad substantiam*, sed non *quoad modum* agendi. Dicitur actus humanus quoad substantiam quando fit per potentias hominis nobiliores, seu procedit ab intellectu et voluntate. Dicitur vero actus humanus etiam quoad modum agendi quando procedit non solum ab intellectu et voluntate, sed procedit etiam libere, seu a deliberata voluntate, ita ut agens sit vere dominus actuum suorum, quos pro libitu ponere potest, vel non ; qui modus agendi convenit homini *viatori*, eique proprius est. Porro quando in re morali de actu humano loquimur, actum humanum intelligimus non solum quoad substantiam, sed etiam *quoad modum agendi.*

[3] Distinctio inter actum internum et externum juxta alios auctores recidit in praecedentem distinctionem in actum elicitum et imperatum. *Ballerini,* Opus. Th. Mor., Vol. I, n. 12.

tur *efficientia,* seu *constitutiva* et sunt cognitio, voluntas et libertas. — Alia dicuntur *dirigentia*, et sunt conscientia et lex. — Alia demum *allicientia,* et sunt virtutes et vitia. — Principia tamen constitutiva ad unum reduci possunt, nempe ad *voluntarium liberum* [1].

Art. I.

De voluntario.

§ 1°

De voluntario in genere.

4. — *Q.* Quid est voluntarium?

R. Voluntarium definiri potest cum S. Thoma: *Actus procedens a principio intrinseco cum cognitione finis ;* vel cum aliis Theol: *Actus procedens a principio intrinseco cognoscente singula in quibus est actio ;* nimirum cognoscente *objectum* circa quod actio versatur, *finem* ob quem actio fit, et *circumstantias* actionem concomitantes. Nomine autem actionis intelligitur actio, aut passio, aut omissio, quum circa haec omnia voluntas nostra versari possit.

Igitur ad rationem voluntarii duae conditiones requiruntur: 1° Cognitio ex parte intellectus ; 2° Deliberatio ex parte voluntatis. — Hinc ubi nulla est cognitio vel advertentia, ibi nullum est voluntarium, ideoque nullum peccatum ; et ubi adest solum semiplena advertentia, ibi tantum semiplenum est voluntarium, ideoque peccatum nonnisi veniale esse potest, ut contingit v. g. in actionibus semidormientium.

Quod si actio cognoscatur quidem quoad substantiam, sed aliqua ignoretur circumstantia, tunc actio erit voluntaria quoad substantiam, sed involuntaria quoad illam circumstantiam ignoratam. Sic v. g. qui furatur rem, quam nescit esse sacram, non committit peccatum sacrilegii, sed simplicis furti, quum involuntarie se habeat circa circumstantiam rei sacrae, quam ignorat [2].

Ex dictis patet quod voluntarium differt: 1° *a volito,* volitum enim est objectum voluntatis quod aliquando a voluntate procedere et pendere non potest ; sic v. g. pluvia ab agricola volita esse potest, sed non est ei voluntaria, quia non pendet ab ejus voluntate ; 2° a *violento,* cujus principium est extra ; 3° ab *instinctu*

[1] Cognitio est potius *conditio praerequisita* ad exercitium voluntatis, juxta axioma: « Nil volitum, quin praecognitum » ; ideoque est quidem principium constitutivum actus humani, sed veluti mediate tantum.—Insuper libertas, juxta philosophos, nil aliud est quam quaedam *voluntatis proprietas,* per quam ipsa in suis actibus exerendis a necessitate immunis est ; unde S. Th. dicit: « Radix libertatis, est voluntas sicut subjectum » (1ª 2ae q. 17, a. 1 ad 2). Igitur principium constitutivum actus humani unum est nempe *voluntas,* quatenus *libere* agit, seu ut aiunt Th. *voluntarium liberum.*

[2] Quaeri potest: Quid juris sit, si quis exterius facit, intus in corde suo facere nolit ; idest si aliter velit, aliter faciat? — Porro duplex est actionum exteriorum genus ; unum earum, quae ex intentione agentis statum capiunt, v. g. administratio sacramentorum ; alterum earum, quae natura et vi propria constant, v. g. furta, verba turpia et alia id genus. Primae actiones magis *animi* sunt, et ex facientis intentione aestimantur, unde si desit intentio, non actio intelligitur, sed simulatio. Secundae actiones magis *facti* sunt, et ex seipsis aestimantur, unde si quis eas facit, licet invitus, voluntate facit. *D'Annibale,* I, 145.

naturali, qui fit cum cognitione mere sensitiva et materiali fine, et reperitur etiam in brutis, et dicitur etiam *spontaneum*.

5. — *Q.* Voluntarium quomodo dividitur?

R. Voluntarium multipliciter dividitur.

1. In voluntarium *necessarium*, quod fit a voluntate determinata ad unum, ut amor beatorum in coelis, et voluntarium *liberum*, quod fit a voluntate quae operatur cum indifferentia ad volendum et nolendum, ut amor viatoris in Deum. — Quum autem in re morali nos loquamur de homine viatore, in quantum est dominus suorum ac uum, seu liber est actus suos ponere vel non ponere; quoties deinceps in decursu operis de voluntario sine additamento loquemur, semper voluntarium liberum intelligemus.

2. In *perfectum* quod fit cum plena intellectus cognitione et voluntatis deliberatione, et *imperfectum*, quod fit ex cognitione imperfecta et ex semiplena deliberatione procedit. In hac autem semiplena cognitione vel deliberatione multiplex gradus haberi potest.

3. In *voluntarium simpliciter*, et *voluntarium secundum quid*. Primum, juxta aliquos Th. [1], est quod fit sine ulla repugnantia; alterum quod fit quidem, sed cum repugnantia; at juxta S. Th. voluntarium *simpliciter* dici solet quod quis actu vult, sive ejus voluntas adnexam habeat repugnantiam aliquam ad oppositum, sive non. Hinc v. g. projectio mercium in mare facta metu naufragii est voluntaria *simpliciter*. Voluntarium vero *secundum quid* est quando quis vellet actum aliquem ponere, quem tamen de facto non ponit ob circumstantias praesentes [2], unde est mera *velleitas*. Sic conservatio mercium in eo qui metu naufragii ipsas in mare projicit, est voluntaria *secundum quid* [3].

4. In *explicitum* et *implicitum*. Voluntarium *explicitum* est quod volumus in se distincte cognitum et cogitatum. *Implicitum* vero est quod volumus in alio contentum, licet indeterminate tantum cognitum et confuse cogitatum, dummodo non sit aliquid extraordinarium de quo cogitatum non sit; sic qui voluntarie aliquem statum amplectitur, v. g. matrimonii, vel religionis, cognoscens in confuso gravia onera adnexa, implicite vult se se ad illa onera obligare, quamvis de illis determinate non cogitet.

[1] *Scavini*, I, 12. *D'Annibale*, I, 134.

[2] *S. Th.*, 1ª 2ae q. VI, a. 6.

[3] Haec distinctio non eodem modo ab omnibus proponitur. Alii enim hanc distinctionem confundunt cum voluntario perfecto et imperfecto. Alii uti *Scavini* voluntarium *simpliciter* dicunt illud quod procedit a voluntate sine ulla repugnantia. Verum aliter suadet scholarum communis usus, a quo non est recedendum. Usus scholarum itaque est ut isti termini adhibeantur ubi idem actus habet aliquid voluntarii et simul aliquid involuntarii, et quidem ex parte potius inclinationis voluntatis, quam ex parte cognitionis. — Casus igitur est quando duplex proponitur objectum (duplex autem objectum adest, etiamsi agatur solum de una re agenda vel non agenda seu de libertate contradictionis), et voluntas afficitur erga utrumque, sed cum utrumque amplecti non possit, unum praefert alteri, in unum voluntas fertur efficaciter et absolute in alterum inefficaciter et conditionat ut patet in exemplo superius relato, in eo qui pecuniam dat latroni ut v tam suam vel alterius servet. *Balle ni*, Opus Th. Mor., Vol. I, n. 26.

5. In *expressum* et *tacitum*. Voluntarium *expressum* est quod verbis aut signis manifestatur. *Tacitum* quod ex aliquo facto, vel ex facti omissione colligitur; hinc regula juris : *Qui tacet, consentire videtur*. Hic vero tacitus consensus censetur adesse tantum in duobus casibus : 1° in favorabilibus ; 2° quando tacens potest et tenetur loqui si non approbat ; v. g. quando legitime interrogatur a Superiore, Judice etc. Seclusis his casibus valet alia regula juris : *Qui tacet non fatetur*.

6. In *directum* et *indirectum*. *Directum* est illud quod quis vult in se et per se ; *indirectum* quod quis non vult in se, sed in ejus causa voluntarie posita, ut dicetur inferius.

7. In *actuale, virtuale, habituale*, et *interpretativum*. — Voluntarium *actuale* est illud quod quis hic et nunc seu immediate et directe vult in illo actu. — *Virtuale* est quod quis vult virtute actus voluntatis prius positi, qui moraliter perseverat in aliqua actione humano modo facta, tamquam in suo effectu ; sic virtualiter voluntaria est consecratio facta in Missa a Sacerdote distracto. — *Habituale* est illud quod olim habitum fuit, non quidem retractatum, sed somno, vel notabili temporis mora, vel alio modo interruptum, quod tamen nunc nec perseverat in se, nec in aliquo suo effectu qui fiat humano modo. — *Interpretativum* demum est illud quod quis non voluit neque vult, sed nunc in tali rerum circumstantia rationabiliter velle praesumitur. Sic in mortis periculo infirmus sensibus destitutus, qui pie vixerit, rationabiliter praesumitur Extremam Unctionem suscipere velle. Habituale tamen et interpretativum nonnisi improprie voluntarii nomine donantur.

Voluntarium *interpretativum* differt a *tacito ;* quia in illo nullus, in hoc verus adest consensus. Utrumque tamen dici solet voluntarium *praesumptum :* tacitum enim praesumitur adesse de praesenti; interpretativum praesumitur adesse conditionate [1].

6. — *Q.* Voluntas quodnam dominium habet circa cogitationes et sensationes ?

R. Si agatur de simplici *cogitatione*, voluntas nihil potest. — Si de *approbatione*, voluntas plenum habet dominium, potest enim approbare et consentire cogitationi, vel non. Expellere vero cogitationes non potest directe, bene vero indirecte cogitando de aliis rebus.

Quoad *sensationes* vero, certum est quod, posita actione objecti externi in sensus nostros, voluntas nequit impedire sensationem; sed si sensatio praevideatur, et sensatio sit mala, voluntas potest et tenetur huic sensationi occurrere, nisi causa rationabili excusetur, et sensatio sit tantum materialiter mala.

7. — *Q.* Quandonam omissio est voluntaria et culpabilis ?

[1] Quid si agens habeat duas intentiones contrarias, unam habitualem cujus non meminit, actualem alteram, vel utramque actualem, falso putans utramque simul consistere posse ? – Et profecto ea intentio praevalet quae, sibi, erore comperto, potior foret ; si nulla potior, in priori casu actualis intentio praevalet, in posteriori neutra, atque ideo neutrum ratum erit.

Si non appareat quae sit potior, ea potior habebitur quae magis congruit rationi, aut legi. *D' Annibale*, I, 147 (27).

R. Ut omissio vere voluntaria et libera dici possit, requiritur juxta veriorem doctrinam aliquis actus voluntatis qui sit causa vel occasio omissionis, seu requiritur ut voluntas se ad omissionem determinet, illamque prae opposita eligat. Porro ejusmodi determinatio seu electio dicit positivum actum voluntatis [1].

Ut autem omissio sit culpabilis tria requiruntur: 1° quod quis potuerit agere; 2° quod debuerit; 3° quod non egerit [2].

§ 2°

De voluntario indirecto seu in causa

8. — *Q.* Quid est voluntarium indirectum, et quotuplex ejus causa?

R. Voluntarium indirectum est illud quod quis vult non in se, sed in ejus causa voluntarie posita, jam praeviso effectu, licet non intento [3]. Hinc axioma: *Qui est causa causae est causa causati.* Sic si quis praevideat aliquem effectum ex aliqua causa procedere, si illam causam voluntarie ponit, licet non intendat illum effectum, tamen ille effectus est indirecte voluntarius [4]. Quare necesse est ut inter causam et effectum intercedat aliqua connexio vel physica, vel saltem moralis. Et ubi nulla hujusmodi connexio intercedit, non causa, sed occasio intelligitur, quae causa *imperfecta* quidem est [5].

Causa autem voluntarii indirecti multiplex esse potest; physica vel moralis; immediata vel mediata; proxima vel remota; per se vel per accidens:

Causa *physica* effectum influxu materiali producit v. g. ex nimia potatione vini, ebrietas; *moralis* e contra aliam causam rationalem et liberam ad effectum producendum efficaciter movet, sive jussu, sive suasione, sive exemplo, aut similibus modis, v. g. ex turpi lectione, pollutio. Causa *immediata* effectum producit nulla alia causa interveniente; e contra causa *mediata* effectum producit alia interveniente causa, ut si quis det gladium furibundo caedem meditanti. Hinc causa moralis est semper causa mediata, non autem viceversa.—Causa *proxima* est quae, attentis omnibus circumstantiis, certam aut valde probabilem connexionem habet cum effectu; *remota*, quae aliquam quidem habet cum effectu connexionem, sed parum probabilem, quia nempe in eum non influit notabiliter.—Causa *per se* est quae ex natura sua

[1] *Ballerini* ad *Gury*. vol. I, 6, 7°(6).

[2] S. Alph., L. V, n. XI.

[3] Hic non agitur de effectu quem quis ex actione sua intendit, quia tunc talis effectus est voluntarius in se, sed de effectu qui non est finis movens ad agendum, qui tamen ex actione sequitur, licet non intendatur. Agitur itaque de effectu qui sit praeter intentionem sive bonus ille sit, sive malus. *Ballerini*, *Opus Th. mor.* vol. I, 38.

[4] Quid si ex duobus sibi cohaerentibus, quasi causa et effectus, quis unum velit, alterum nolit v. gr. si christianus, matrimonium contrahendo, contractum inire velit, sacramentum facere nolit?—Si id vult quod causae vim et rationem habet, perinde habebitur ac si velit utrumque, quia is qui vult quod antecedit, non potest nolle quod sequitur, quorum proinde alterum voluntarium est in se, alterum in causa; nisi forte sibi statuat unum nolle alias vel aliter, quo in casu neutrum vult, uti si ille sacramentum ita positive et absolute excludat, ut alias contrahere nolit, quo in casu neutrum vult, quia vult separare quod e sua natura inseparabile est. *D' Annibale*, I, 143 (9).

[5] *D' Annibale*, I. 157, (7).

tendit et ordinatur ad effectum producendum ; *per accidens* est quae non est ex natura sua ordinata ad effectum, sed hunc producere potest aliqua intercedente circumstantia, unde haec distinctio plerumque in praecedentem recidit.—Causae per accidens aliquatenus affinis est causa *occasionalis*, quae tamen cum illa confundi non debet ; haec enim nec physice nec moraliter influit in effectum, sed occasionem tantum praebet, qua po ita, alter se determinat ad effectum producendum, ita ut non censeatur motus nisi a seipso.

9. — *Q.* Quid requiritur ut voluntarium indirectum seu in causa sit imputabile ?

R. Ut voluntarium indirectum seu in causa sit imputabile, tria necessaria sunt : 1° ut effectus ex causa secutus *fuerit praevisus*, saltem in confuso, idest ut agens, ponendo causam, advertat, saltem in confuso, hujusmodi effectum fore ex illa causa saltem probabiliter secuturum [1] ; 2° ut quis possit illum effectum impedire, nempe *possit se abstinere* ab actu qui est causa vel occasio effectus illius; 3° ut ab aliqua lege *teneatur* causam *non ponere,* aut positam tollere, vel quia est illicita, vel si licita, quia non adest justa causa illam ponendi.

Dixi: *ut effectus. . . fuerit praevisus, saltem in confuso ;* principium enim voluntarii est rationis advertentia; ergo neque indirecte voluntarium dici potest illud circa quod nulla prorsus habita fuit praevisio. Ita probabilius cum S. Alph.[2]. — Nonnulli quidem dicunt adesse voluntarium indirectum, seu aliquem effectum esse voluntarium in causa, quando quis illum potuit et debuit praevidere; sed omnino negandum, nam *nil volitum quin praecognitum*, impossibile autem est posse praevideri effectum, si de facto non praevideatur saltem in confuso : prima enim idea alicujus rei non est in hominis potestate [3].

10. — *Q.* Licetne ponere causam ex qua sequitur duplex effectus, bonus unus, malus alter ?

R. Licet ponere causam ex qua sequitur duplex effectus, bonus unus, malus alter, si adsunt quatuor sequentes conditiones: 1° ut causa quae ponitur sit bona vel saltem indifferens; 2° ut finis agentis sit honestus; 3° ut effectus bonus immediate ex illa causa sequatur; nam si causa illa directe et immediate malum effectum producit, et nonnisi mediante illo effectu malo producit bonum, tunc non licet ponere illam causam, quia effectus bonus ex malo quaereretur, quod certe illicitum est; non enim sunt facienda mala ut eveniant bona [4]; 4° ut adsit ratio justa et proportionata illam causam ponendi, nempe ut bonus ef-

[1] In foro tamen externo, quum animus a judice inspici nequeat, res resolvitur ex communiter contingentibus, quae enim communiter contingunt praevisa censentur. Hinc ex lege civili proprietarius alicujus animalis tenetur de damnis ab illo illatis etsi coram Deo reus non sit ; cum enim animalia caeco ductu ferantur, quisque scire debet ipsis esse continue invigilandum. Art. 1154.

[2] S. Alph., L. V, n. X, XIV.

[3] *Gury*, v. I, 8.

[4] Hinc puellae gravidae non licet remedium sumere ex quo immediate sequatur abortus, licet hoc faciat ad vitandam infamiam vel mortem.

fectus malum saltem compenset [1]; nec agens teneatur ex justitia vel ex caritate illam omittere. — Si haec omnia simul adsunt, tunc quisque sine peccato illam causam ponere potest; — ratio, quia effectus malus, si forte sequatur *nisi sit intentus*, non est proprie voluntarius, cum non contineatur in causa per necessariam connexionem, nec causa ad hujusmodi effectum ordinetur; unde malus effectus qui ex illa causa sequitur est *per accidens* seu *praeter intentionem*, e ideo non imputabilis [2]. Hinc v. gr. pollutio quae sequitur ex equitatione, vel in medico, vel in confessario in exercitio sui officii, dummodo non sit intenta nec adsit consensus, est per accidens et ideo non imputabilis [3].

Art. II.

De libero.

11. — *Q.* Quid est libertas, et quotuplex distinguitur?

R. Libertas generatim sumpta est *Immunitas a subjectione.* In quantum est moralis hominis facultas definitur: *Facultas electiva mediorum servato ordine finis.* Dixi: 1° *facultas electiva*, seu potestas, ab omni necessitate libera, unum eligendi alio recusato; 2° *mediorum*, quia electio proprie non est de fine, ut finis est, sed de mediis tantum; 3° *servato ordine finis*, quia essentia et perfectio libertatis in hoc consistit, quod a suo fine, idest a bono non divertat; potestas enim peccandi non pertinet ad essentiam libertatis, sed ad ejus defectum, ut sequenti numero dicetur.

Libertas duplex distinguitur. Prima est libertas *interna* et dicitur libertas *a necessitate*, vel etiam libertas *indifferentiae*, vel *electionis*, aut *arbitrii* (liberum arbitrium), et haec libertas importat immunitatem ab omni principio intrinseco, seu ab omni causa necessario determinante ad unum, licet illa determinatio sit juxta voluntatis inclinationem, ut amor felicitatis. — Haec autem libertas *a necessitate* pro triplici modo quo potest in homine exerceri, triplex subdividitur, et alia

[1] Ad cognoscendum utrum bonus effectus malum saltem compenset, necne, potissimum juvat attendere 1° *naturam causae*, quo enim excellentior est causa v. g. missa, eo pejor requiritur effectus ut propter illum praedicta causa omittenda sit; 2° *naturam boni et mali effectus;* nempe, utrum effectus sit peccatum formale an materiale tantum; utrum contra praeceptum majoris an minoris momenti; utrum bonus effectus sit communis an excellens, etc.; 3° *naturam influxus causae* in utrumque effectum; an bonus et malus effectus aeque contingere debeant, aut possint, non posita hac causa; si enim malus effectus, qui praevidetur, aeque ex alia causa existere debeat, minor requiritur ratio ad ponendam causam; 4° *naturam juris quod agens habet bonum effectum obtinendi, vel proximus ne sibi per malum effectum noceatur;* 5° demum *utilitatem publicam non pro uno casu particulari, sed pro generalitate casuum;* idest ad inconvenientia quae orirentur pro bono publico, si generatim in similibus casibus actio foret omittenda; v. g. deferendi Viaticum moribundo, concedendi Sacramenta peccatori occulto publice petenti.

[2] Si eadem actio duo praestet, quorum alterum est in intentione, alterum praeter intentionem sequitur (ut puta in eo qui occidit invasorem, cum non potest aliter se defendere) quod praeter intentionem sequitur, quasi secutum per accidens, regulariter non imputatur, quia non voluntarium. Dixi *regulariter*, idest nisi justitia aut caritas ab actione hujusmodi abstinere nos jubeant. *D'Annibale*, l. 155.

[3] S. Alph., L. V, n. XIV.

dicitur libertas *contradictionis*, qua homo, potest agere vel non agere, v. g. studere vel non; alia *contrarietatis*, qua homo potest suscipere actiones inter se contrarias, uti amare vel odio habere; alia *specificationis*, qua homo potest tendere in actiones specie simpliciter diversas, v. g. studere vel ludere.

Secunda est libertas *externa*, et dicitur libertas a *coactione*, vel etiam libertas *spontaneitatis*, et haec immunitatem importat ab omni violentia, seu ab omni principio extrinseco ad aliquid determinante contra voluntatis propensionem.

12. — *Q.* In quonam consistit essentia libertatis?

R. Essentia libertatis consistit in facultate qua pollet voluntas agendi vel non agendi pro libitu; non vero in facultate agendi bonum vel malum [1]. Et sane potestas peccandi, quae homini viatori inest, originem ducit a sola debilitate cognitionis, et recti amoris; ergo non perfectionem libertatis, sed potius ejus imperfectionem constituit. Unde S. Th.: *Velle malum non est libertas, nec pars libertatis, quamvis sit quoddam libertatis signum, sicut aegritudo est signum vitae* [2]. Et S. Anselmus: *Si posse peccare esset pars liberi arbitrii, Deus et Angeli liberum arbitrium non haberent, quod est absurdum* [3].

13. — *Q.* Homo in statu naturae lapsae gaudet ne libero arbitrio?

R. Homo in statu naturae lapsae gaudet libero arbitrio, seu liber est ab omni necessitate [4].

Veritas de fide est: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam; anath. sit* [5].

Veritas haec constat: 1° *Ex Sacra Scriptura.* Ipse enim Deus Cain testatus est hac libertate gaudere cum ei dixit: *Nonne si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus eius* (nempe peccati, seu concupiscentiae) *et tu dominaberis illius* [6]. Hinc illa verba: *Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Et iterum: *Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit* [7]. Quid clarius? — 2° *Ex communi hominum sensu.* Hanc enim libertatem, scribit S. Augustinus [8], cantant et in montibus pastores, et in theatris poëtae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis et magistri in scholis, et antistites in sacris locis, et in orbe terrarum genus humanum. — 3° *Ex sensu intimo;* nam cum nos aliquid eli-

[1] S. Alph., L. V, n. XXXIII.
[2] *De veritate*, q. 22, a. 6.
[3] *De lib. arb.*, c. 1.
[4] Liberum hominis arbitrium per Adae peccatum fuit sauciatum: 1° in *voluntate* ob debilitatem; 2° in *intellectu* ob ignorantiam; 3° in *concupiscentia* (sensu latiori sumpta, (v. inferius n. 24) ob inclinationem ad malum. Dixi: *sauciatum* sed non extinctum; homo enim per peccatum excidit e statu justitiae originalis, et laesus fuit tum in supernaturalibus, tum in naturalibus gratuitis, nempe in donis eidem naturae gratuito ex pura Dei liberalitate superadditis, sed laesus non fuit in naturalibus essentialibus et humanae naturae propriis. (*Perrone, Praelect. Theol. Comp.*, vol. 1).
[5] *Trid. sess.*, IV, can. V.
[6] *Gen.*, IV, 7.
[7] *Eccl.*: XV, 13; XXXI, 10.
[8] *De duabus anim.*, L. II, n. 13.

gimus vel respuimus, intime sentimus nos illud eligere, vel respuere vi propria, seu propria voluntate. — 4° *Ex absurdis* quae sequerentur ; nam injustae essent leges et poenae ; injusta praecepta et praemia. Ergo [1].

14. — *Q.* Quaenam libertas requiritur ad merendum vel demerendum ?

R. Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non sufficit libertas *a coactione*, sed requiritur etiam libertas *a necessitate*.

Hoc de fide est ; nam sive propositio Baii : *Quod voluntarie fit etiamsi necessario fiat, libere tamen fit ;* sive alia Iansenii : *Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione,* damnatae fuerunt uti haereticae.

Et sane Sacra Scriptura meritum vel demeritum illis tantum actionibus tribuit, quarum homo per electionem dominus est, juxta illud : *Beatus qui inventus est sine macula : . . . . qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala et non fecit* [2]. Ergo.

Eadem veritas patet ex praemiis, quae Christus promisit in coelis sequentibus se, dummodo voluerint. Sic Matth. [3] : *Si vis ad vitam ingredi serva mandata. Si vis perfectus esse, vade et vende, etc.* Quae verba clare ostendunt ad merendum vel demerendum, hominem liberum esse oportere non solum a coactione, sed etiam a necessitate. Ergo [4].

Patet etiam *ex Ratione.* Et sane, homo per suos actus mereri non potest nisi sit dominus suorum actuum, sic enim suos actus quasi pretium pro praemio dare potest ; sed homo non est dominus suorum actuum nisi per liberum arbitrium, quo potest illos ponere vel non ponere ; ergo....

CAPUT III.

De iis quae voluntario et libero opponuntur.

15. — *Q.* Quaenam voluntario et libero opponuntur ?

R. Quatuor voluntario et libero opponuntur ; ignorantia, violentia, metus, et concupiscentia. Intellectui opponitur ignorantia ; libertati violentia et metus ; utrique concupiscentia.

[1] Quod si in Scriptura aliquando dicitur quod *non est hominis* (sequi) *vias Domini* (*Jer.*, X, 23); vel quod *cor regis* (est) *in manu Domini* (*Prov.*, XX, 1); vel si Paulus dixit ; *non quod volo bonum hoc ago; sed quod nolo malum illud facio* (*Rom.*, VII, 15); haec verba intelligenda sunt quod non est hominis solius sequi vias Domini sed requiritur etiam gratia Dei. Item quod cor regis quidem est in manu Domini, sed salva ejus libertate. Et B. Paulus non loquitur de libertate, sed tantum de lege concupiscentiae, quae est in membris nostris, et de quibusdam ejus motibus, qui etiam invita voluntate in parte animali nascuntur, et nos ad malum impellunt, quin tamen libertatem auferant ; nam subjunxit : *Si autem quod nolo illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*

[2] *Eccl.*, XXXI, 8, 10.

[3] XIX, 17. 23.

[4] Ad merendum vel demerendum essentialiter sufficit *libertas contradictionis* aut *specificationis*, nam actus, qui ita ponitur ut omitti possit, regulis morum subjicitur ; ergo meritorius esse potest. Unde non requiritur *libertas contrarietatis*, nam Christus libertatem contrarietatis non habebat et tamen meruit ; et B. M. V. et SS. Apostoli, licet in gratia confirmati, nihilominus meruerunt.

ART. I.

De ignorantia.

16 — *Q.* Quid est ignorantia, et quomodo dividitur?

R. Ignorantia, in genere, est *carentia scientiae in subjecto capaci.* Alia est *privativa* quae est *privatio cognitionis rei debitae;* alia est *negativa*, seu *nescientia,* quae est carentia cognitionis rei, sed non debitae.

Ignorantia multipliciter dividitur:

1. Ratione *objecti*, et alia est juris, alia facti. Ignorantia *juris* est cum quis legem aut praeceptum ignorat, v. g. si quis ignorat in vigilia Pentecostes jejunium esse praeceptum ex consuetudine. Ignorantia *facti* est cum quis nescit factum ipsum esse a lege prohibitum, ut si quis ignorat quod comedit, die jejunii, carnem esse [1].

2. Ratione *subjecti,* et alia est invincibilis, alia vincibilis. *Invincibilis,* ex S. Alph., est quae moraliter vinci nequit, cum nulla cogitatio, nec ullum dubium erroris, ne in confuso quidem, venit in mentem operantis dum operatur, vel cum actionis causam ponit. *Vincibilis* est quae adhibita morali diligentia vinci et tolli potest. Moralis autem diligentia censetur ea, quam viri prudentes pro rei gravitate adhibere solent. — Haec autem ignorantia vincibilis triplex distinguitur, et alia est *simpliciter vincibilis*, et est quando adhibetur quidem diligentia ad discendum, sed non adhibetur sufficiens. Alia est *crassa*, seu *supina*, et est quando nulla vel fere nulla adhibetur diligentia ad discendum, unde est voluntaria in causa, nempe in ipsa negligentia addiscendi. Tandem alia est *affectata*, et est quando quis ex industria eam non depellit, imo studiose fovet, vel ut excusationem peccati habeat, vel ut non retrahatur a peccato committendo juxta illud *Ps. 35: Noluit intelligere ut bene ageret;* unde talis ignorantia est directe voluntaria. Hac ignorantia laborat qui, data opera, neque consilium petit in dubiis, neque conciones et catecheses adit, ne veritatem agnoscat, et a suo proposito deterreatur.

3. Ratione *temporis*, et alia est antecedens, alia concomitans, alia consequens. *Antecedens*, quae dicitur etiam *invincibilis,* est quae omnem advertentiam et omnem consensum antecedit, unde causat omnino involuntarium, ut si quis, adhibita diligentia, interficeret hominem, quem credit esse feram. *Concomitans* est illa, qua quis ignorat id quod agit, sed adhuc ageret, quamvis non ignoraret, propter inclinationem voluntatis in illud; ut si quis ignorans occidit hominem putans occidere feram, sed tamen si sciret, etiam occideret. Haec ignorantia non est causa actionis, sed tantum per accidens actionem concomitatur [2].

[1] Si agens erraverit circa *substantiam* actionis, nihil agit, sive facti error fuerit sive juris; si circa *accessoria*, ignorantia nihil nocet quia *accessorium naturam sequi congruit principalis,* Et quando *falsa nostra existimatio rei veritatem non mutat*, si quis aliquid facit quod validum revera est, verius valet, etsi ipse irritum putet. *D'Annibale*, I, 147.

[2] S. Alph., L. V, XXVI.—Inter ignorantiam antecedentem et concomitan-

Consequens, quae dicitur etiam *vincibilis*, est illa quae procedit a libera voluntate, unde causat voluntarium [1].

17. — *Q.* Ignorantia tollit ne culpam?

R. — I. Ignorantia *antecedens*, seu invincibilis tollit omnem culpam; - ratio, quia tollit omne voluntarium, quum nullo modo sit volita nec ulla diligentia superari possit, ideoque actio ab ipsa procedens fit sine cognitione intellectus, et sine propensione voluntatis.

II. Ignorantia *concomitans* relinquit quidem affectum habitualem peccandi, culpam tamen nec auget, nec minuit; - ratio, quia facit opus externum nec simpliciter voluntarium, cum desit cognitio, nec simpliciter involuntarium, seu contra inclinationem voluntatis, sed facit non voluntarium [2]. Unde, qui cum ignorantia concomitante inimicum occidit peccat quidem ratione pravi affectus, quo habitualiter laborat, sed non idcirco quasi homicida irregularitatis poenae vel restitutioni fit obnoxius [3].

III. Ignorantia *consequens*, seu *vincibilis*, non tollit culpam; - ratio, quia non tollit voluntarium. Minuit tamen si ignorantia est simpliciter talis vel *crassa*; minus enim voluntarium est quod indirecte et per accidens est volitum, quam illud quod directe et per se intenditur. Culpa autem quae ex ignorantia procedit erit gravis vel levis prout gravis vel levis erit negligentia in addiscendo, quia actus in sola causa est voluntarius; ergo a causa gravitatem vel levitatem desumit. — Auget vero voluntarium si est *affectata*, non quidem ratione sui, cum ignorantia, ut talis, semper opponatur voluntario, sed ratione suae causae, quae est major aversio a recto, et major affectus in pravum [4].

Nota: Quod dictum fuit de ignorantia, idem dicendum est tum de *inadvertentia*, quae est privatio actualis attentionis, tum de *inconsideratione*, quae est privatio debitae inspectionis, tum de *oblivione*, quae est privatio cognitionis rei alias notae [5].

Art. II.

De violentia.

18. — *Q.* Quid est violentia et quotuplex distinguitur?

R. Violentia definitur: *Id quod est a principio extrinseco, repugnans inclinationi violentati*. Dividitur in *absolutam* et *conditionatam*. Violentia absoluta est quae fit contra voluntatem actualem et habitualem, ut si quis alium ligatum ducat ad supplicium. Violentia conditionata est quae fit contra voluntatem actualem, non habitualem, ut si quis ducatur ad supplicium, quia noluit occidere hostem.

---

tem hoc interest discrimen: Ignorantia antecedens causam dat actioni; concomitans vero nec causam dat actioni, nec ei contradicit. Unde prima causat involuntarium quoad malitiam actionis; altera causat tantum non voluntarium.

[1] S. Alph., L. V, n. XXVI-XXIX.

[2] Involuntarium aliud est *positivum* aliud *negativum*. Involuntarium *positivum* est illud quod non solum non pendet a voluntate, sed etiam *positive* voluntati repugnat; involuntarium *negativum* vero est illud quod a voluntate non proficiscitur, sed tamen non est ei contrarium; primum proprie dicitur *involuntarium*; secundum *non voluntarium*.

[3] *D' Annibale*, I, 147 (23).

[4] S. Alph., L. V. n. XXVI. *Marc.*, 288.

[5] Inadvertentia aliquando est invincibilis; aliquando vero vincibilis vel in seipsa, vel in alio. Est vincibilis *in se ipsa*, quum agens advertit opus quod aggreditur majorem mereri considerationem, et tamen non vult majorem adhibere. Est vincibilis *in alio*, quando augens aliud vult quod cohaerere nequit cum seria consideratione rei quam facit; v. g. quando sequi vult passionem; vel se exuere non vult quodam

gnante eo qui vim patitur. Hinc ad violentiam duo requiruntur: 1° ut sit a principio extrinseco, unde violentia locum non habet in actibus internis, seu in consensu voluntatis; 2° ut patiens positive resistat, et non sufficit quod negative se habeat.

Non requiritur tamen ut haec resistentia sit absoluta, sed sufficit quae utilis et sufficiens videtur ad violentiam repellendam; nec requiritur ut sit continua contra illatam violentiam, quando talis resistentia inutilis foret, nec necessaria ad removendum vel periculum consensus, uti esset in actibus luxuriosis, vel ad removendum scandalum, vel contemptum religionis. Sic martyres ducti ad templa paganorum non peccabant, quamvis propriis pedibus ambularent [1].

Violentia duplex distinguitur: *physica* et *moralis*, prout quis actu physico, v. g. manu, vel moraliter tantum, puta metu, gravibus minis, ad agendum impellitur.—Physica rursus duplex distinguitur: *absoluta*, et *secundum quid*. Prior est illa quae nullomodo repelli potest ab eo qui vim patitur, licet positive pro viribus resistat. Altera est illa quae repelli potest ab eo qui vim patitur, si positive pro viribus resistat.

19. — *Q.* Violentia tollit ne voluntarium?

R. — I. Violentia physica et absoluta tollit voluntarium; - ratio, quia voluntarium est a principio intrinseco; unde actio quae fit a principio extrinseco, contra omnem voluntatis resistentiam, est penitus involuntaria.

II. Violentia moralis, aut physica, sed non absoluta, non tollit voluntarium, sed tantum minuit; - ratio, quia ubi voluntas non resistit quantum potest, ibi remanet in parte aliqua ratio voluntarii; et secundum minorem vel majorem quam quis adhibuit resistentiam, ejus actio erit magis vel minus voluntaria et culpabilis [2].

Hinc pro *praxi* facile peccare possunt faeminae vim patientes, si pusillanimitate, aut vano timore aggressorem offendendi, non resistant quantum possunt, etiam secluso periculo consensus; quia tunc facile aderit *voluntarium secundum quid* in illo actu. — Quomodo vero in *praxi* se gerere debeat mulier vi oppressa v. ubi de sexto praecepto.

defectu, qui advertentiam tollit v. g. praecipitatione in agendo, negligentia in attendendo. V. Tr. *de Peccatis* ubi de advertentia.

ART. III.

De metu

20. — *Q.* Quid est metus et quomodo distinguitur?

R. Metus est *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio.*

I. Metus ratione *temporis*, quo incutitur, alius est *antecedens*, alius *concomitans*. *Antecedens* est qui dat causam actioni; talis est metus viatoris, qui ad mortem vitandam dat crumenam latroni. *Concomitans* est qui actionem tantum concomitatur; talis est metus latronis qui ex divitiarum cupiditate viatorem aggreditur, sed

[1] S. Alph., L. V, n. XV.
[2] S. Alph., L. V. n. XVIII.

dum furatur timet ne deprehendatur.

2. Ratione *causae*, alius est *intrinsecus*, si provenit a causa intrinseca, v. g. a corporis vel mentis infirmitate ; alius est *extrinsecus*, si provenit a causa extrinseca, quae esse potest naturalis vel fortuita; libera vel necessaria; justa vel injusta ; posita ad extorquendum consensum vel non.

3. Ratione *modi*, quo incutitur, alius est *justus*, si infertur a causa justa, et servato ordine juris; alius *injustus*, si infertur vel a causa injusta (injustus quoad substantiam) vel non servato ordine juris (injustus quoad modum) [1].

4. Ratione naturae, alius est *gravis*, alius *levis*. Metus gravis est quando quis timet malum grave, et ex causa gravi et valde probabili. Metus vero levis est quando quis timet malum leve, aut grave quidem, sed ex causa levi vel improbabili.—Metus gravis subdivitur, et alius est *absolute* gravis, a quo movetur etiam vir constans; alius tantum *relative* gravis, a quo, licet non moveatur vir constans, movetur tamen meticulosus, puer, senex, faemina [2].—Unde in *praxi* ad judicandum utrum in subjecto metus fuerit gravis an levis, attendantur oportet peculiares circumstantiae personae, quae metum passa est, ejus sexus, aetas, conditio, sensibilitas. Hinc metus qui, sive ex objecto, sive ex gradu probabilitatis circa mali consecutionem, non habetur sufficiens ad graviter afficiendum virum fortem, gravis esse potest in sene, in puero, in infirmo, in muliere.

21. — *Q.* Metus tollitne voluntarium ?

R. — I. Metus qui aufert usum rationis, voluntarium tollit ;—ratio, quia ad voluntarium necessario requiritur cognitio.

II. Metus, quamtumvis gravis, si usum rationis non aufert, non tollit voluntarium, sed tantum minuit. Non tollit voluntarium, quia non tollit neque cognitionem ex parte intellectus, neque libertatem electionis ex parte voluntatis. Voluntarium tamen minuit, quia tunc voluntas consentit quidem, sed cum aliqua repugnantia [3].

22. — *Q.* Metus excusatne a culpa ?

R. Distinguo : **1.** Si agatur de re intrinsece mala, metus, quantumvis gravis, a culpa non excusat ; nam quod tunc fit semper malum est. Hinc semper peccaret et apostata esset qui tormentorum metu fidem negaret.

2. Si vero agatur de re mala quia a lege positiva prohibita, tunc distinguo. Si metus est levis, non excusat a peccato et quidem gravi, si gravis est materia. Si autem metus est gravis, excusat, quia lex positiva non obligat cum gravi incommodo, excepto casu boni publici, aut scandali,

[1] Qui metum justum patitur *ipse sibi infert metum.* — *D' Annibale*, I, 148 (31).

[2] In foro externo metum *absolute* gravem esse oportet; in interno sufficit etiam *relative* gravis. *D' Annibale*, I, 148.

[3] Hinc contractus qui fiunt ex metu gravi, *jure naturae* validi sunt, quia consensus licet detur cum aliqua repugnantia voluntarie tamen et libere datur. Isti tamen contractus rescindi possunt si per metum injustum initi fuerunt. Dixi *jure naturae;* quia jure positivo plures contractus ex metu gravi initi ipso facto invalidi et irriti sunt, ut contractus matrimonii etc. S. Alph.. L. V. n. XXII.

aut formalis contemptus; in hoc enim casu plus refert religionem et potestatem legitimam non contemni, et scandalum omitti, quam evitari damnum privati.

23. — *Q.* Quid est metus reverentialis ?

R. Metus reverentialis juxta alios Th. est ille quo quis veretur offensam superioris, patris, domini, etc. E contra juxta alios est quo quis a superiore timet aliquod malum grave, puta expulsionem, exhaeredationem, etc.--Sed alii Th. neutrum admittunt ; non *primum*, quia metus sine periculo alicujus damni non intelligitur ; non *secundum*, quia ubi grave damnum impendit, metus gravis simpliciter dicendus est. Itaque metus reverentialis est ille quo quis veretur patris, domini etc. indignationem (quae profecto malum est) licet absint verbera, aut minae. Et haec indignatio si gravis et diuturna futura sit, malum grave, ideoque et metus gravis non immerito aestimabitur [1].

ART. IV.

De concupiscentia et habitu.

24. — *Q.* Quid est concupiscentia, et quomodo dividitur ?

R. Concupiscentia considerata non in sensu *strictiori*, uti fomes peccati, sed in sensu *latiori*, definiri potest : *Motus appetitus sensitivi bonum aliquod sensibile prosequentis, aut malum sensibile aufugientis.* Motus hujus concupiscentiae ab aliis vocantur *passiones;* quae idcirco non sunt in se malae, imo bonae sunt, cum ab Auctore naturae procedant, et incitamenta virtutum esse possint [2].

Concupiscentia alia est antecedens et alia consequens. — Concupiscentia *antecedens* est quae praecedit consensum voluntatis, imo voluntatem trahit et inclinat ad agendum, ut cum quis, viso inimico, concupiscentia allicitur ad vindictam.

Concupiscentia *consequens* est quae a voluntate movetur, ideoque oritur ex praevio voluntatis consensu alicui rei jam praestito; ut cum homo v. g. aliquid ardenter desiderat, excitatur in eo passio vehemens concupiscentiae [3].

25. — *Q.* Concupiscentia tollit ne culpam ?

R. — I. Concupiscentia *antecedens* si aufert omnino cognitionem, seu usum rationis, tollit etiam omnem culpam ; - ratio, quia tollit omnino voluntarium. Hinc motus concupiscentiae, qui a Th. vocantur *primo-primi*, et qui omnem prorsus voluntatis consensum et libertatem antevertunt, sunt omnino involuntarii et inculpabiles.

II. Concupiscentia *antecedens* si cognitionem non aufert, culpam non tollit ; - ratio quia non tollit omnino voluntarium ; sed tamen ex diminutione voluntatis culpam quoque minuit. Hinc motus *secundo-primi* ex defectu vel plenae advertentiae, vel pleni consensus, reddunt peccatum etiam in re gravi tantum veniale [4].

[1] *D' Annibale*, I, 138 (16),

[2] Motus hujusmodi, si quasi vi et impetu quodam abripiunt animum, ut is videatur quodammodo sub eis pati, *passiones* vulgo dici solent. *D' Annibale*, I, 124.

[3] S. Alph. L. V. n. XXIII.

[4] In *praxi*, concupiscentia antecedens saepe libertatem aufert pro actibus mere internis v. g. dilectionis aut odii, quia immediate ex sola concupiscentia procedunt ; raro id fit pro verbis, rarius pro factis, nisi agatur de actibus omnino primo-primis.

III. Concupiscentia *consequens* peccatum non minuit, quia licet voluntarium minuat ex parte cognitionis, haec tamen diminutio cognitionis est voluntaria in causa; imo, ait S. Th.[1] peccatum magis auget, vel potius est signum magnitudinis ejus, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati.

26. — *Q.* Est ne peccatum negative se habere circa motus sensualitatis?

R. Praemitto: certum est de fide divina contra novatores motus sensualitatis sine ullo voluntatis consensu non esse lethales, ex Trid. Sess. V. n. 5. Imo (quidquid dicant Cajet. et Gonet) videtur certum tales motus ne veniales quidem esse, ex eodem Tridentino. — Hoc praemisso:

Si non adsit periculum consensus, an sit peccatum negative circa hos motus se habere, disput. Th. Alii dicunt esse peccatum grave. Alii nec veniale esse. Alii tamen in communi sententia dicunt esse peccatum leve, et non grave; — ratio, quia consensus ad graviter peccandum non provenit ex appetitu, sed ex voluntate, unde cum ipsa positive non consentiat, non committitur mortale; committitur tamen veniale in quantum homo cavere debet ne appetitus trahat post se voluntatem, quae obligatio, si periculum consensus non est proximum, est tantum levis[2].

Si autem adsit proximum periculum consensus, tunc certum est circa hos motus negative se habere esse peccatum, et quidem grave, si objectum est graviter malum: ratio, quia eadem obligatione qua quis tenetur vitare peccatum, tenetur etiam vitare periculum peccandi; qui enim amat periculum peccati, peccatum amare censetur. — Periculum vero consensus judicabitur adesse tum ex qualitate poenitentis v. g. si tenuis virtutis sit, tum ex materia delectationis si multum sit periculosa in se, ut communiter censetur si, superveniat delectatio venerea. — Hinc S. Alph. dicit quod sub gravi tenemur delectationi carnali positive resistere, quia talis tentatio, si vehemens sit, facile potest trahere ad se consensum voluntatis, si voluntas positive non resistat. — Attamen non adest obligatio motibus carnalibus resistendi positive, si justa adsit causa non resistendi, puta si quis expertus sit ipsis resistendo, motus magis excitari et augeri; aut si motus ortum habeant ex actione necessaria et utili, v. g. ex auditione confessionum; aut si tentatio diu duret et nimis molestum foret jugiter positive ipsis resistere. In his circumstantiis sat erit negative se habere cum firmo proposito numquam consentiendi[3]. — Quod si motus sint leves, melius erit eos contemnere sine positiva resistentia.

In *praxi* autem, ut isti motus concupiscentiae facilius repellantur, inspiciendum est a quanam causa procedant. Unde si ex imaginatione proveniunt, ipsa imaginatio est refraenanda; si ex objectum ad alia divertendo; v. g. Passionem D. N. J. C., vel Novissima in mentem revolvendo; cum hoc etiam sit positive resistere. S. Alph., L. V, *de peccatis*, n. 8, 9,

[1] 1ª 2ae q. 77, a. 6.
[2] S. Alph., L. V, *De peccatis*, n. 6.
[3] Quoad motus contra fidem et castitatem S. Alph. consulit resistentiam non directam, sed potius indirectam, ani-

ctis externis, occasio est fugienda; si ex abundantia humorum, mortificatio est amplexanda; si ex nimio timore, animus est erigendus.

27. — *Q.* Quid est *habitus?*

R. Habitus in genere definiri potest: *Dispositio secundum quam agens bene aut male disponitur in ordine ad operationem* [1]. — Habitus potest esse a Deo, et dicitur *infusus*, ut habitus fidei; vel a natura et dicitur *naturalis*, ut miseratio; aut a nobis ipsis ex repetitis actibus comparatus, qui maxime incitat et juvat ad aliquid faciendum, et dicitur *acquisitus*; et in re morali quoties habitus simpliciter dicitur, acquisitus intelligitur.

Habitus potest esse bonus aut malus; prior virtus dicitur, alter vitium. Habitus malus vero concupiscentiae consequenti comparatur.

28. — *Q.* Habitus malus tollit ne voluntarium, et peccatum?

R. Habitus malus si non fuit retractatus, non tollit nec voluntarium, nec peccatum; - ratio, quia licet minuat voluntarium ex parte cognitionis, ut dictum est de concupiscentia consequenti, quum tamen haec diminutio cognitionis profluat a voluntate, ideo non tollit nec voluntarium, nec peccatum. — Imo quia diminutio cognitionis profluit a voluntate, et aliunde habitus voluntarie comparatus auget propensionem voluntatis in objectum malum, ac voluntati tribuit promptitudinem ad agendum et omnem voluntatis repugnantiam tollit, hinc non modo non minuit, sed auget peccatum. Quare habituatus, qui ex majori propensione et inclinatione voluntatis peccat, dicitur peccare ex pura malitia. — Quod si talis habitus fuit per poenitentiam retractatus, tunc non est amplius imputandus actus inadvertenter ex habitu elicitus; non in se, quia inadvertenter emissus; non ex habitu, quia retractatus.

In *praxi* tamen, ait S. Alph., Confessarius non facile credere debet poenitenti, qui se excusat blasphemasse, pejerasse, vel verba obscoena protulisse sine advertentia et involuntarie tamquam ex habitu, nam si habitum illum extirpare non studuerit, aliqua adhibendo remedia, tunc actus est voluntarius in causa dum pejerat, blasphemat, etc., et ideo non excusatur a culpa; secus vero si adhibitis diligentiis inadvertenter blasphemat, in obscoena prorumpit, et similia agit [2].

CAPUT IV.

De actuum humanorum moralitate, et de eorum principiis seu fontibus.

ART. I.

De essentia moralitatis.

29. — *Q.* Quid est moralitas actuum humanorum, et in quonam consistit?

R. Moralitas actuum humanorum est *eorum convenientia, vel discrepantia cum regulis morum.* Regulae autem morum duae sunt: una *lex aeterna*, ordinem natura-

[1] *S. Th.*, 1ª, 2ae, q. 49, a. 4.

[2] S. Alph., L. V, n. XIV. — Difficile est, ut ea quae quis ex habitu facit, aut dicit, nullatenus animadvertat; potius dicendum est, nullum in abituatis remanere vestigium advertentiae; scilicet ea quae ex habitu excidunt, facile contemnimus. *D'Annibale.* I, 149 (38).

lem conservari jubens, perturbari vetans: altera *recta ratio*, quae homini legem aeternam manifestat.

Essentia igitur moralitatis consistit primario in relatione seu conformitate actus humani cum lege aeterna, et secundario in ejus relatione seu conformitate cum recta ratione. Hinc ille actus dicitur bonus, qui est conformis legi et rationi, malus e contra [1].

30. — *Q.* Dantur ne actus indifferentes, seu moralitate carentes?

R. — **1.** De fide divina certum est non omnes actus humanos esse secundum suam speciem, seu ratione objecti, indifferentes; sed quosdam esse de se bonos, uti actus fidei, spei et caritatis; quosdam vero esse de se malos, uti fornicatio, blasphemia, etc.

2. Certum quoque est dari quosdam actus qui secundum suam speciem sunt indifferentes, quia ex se neque boni neque mali sunt, uti ambulare.

3. An autem dentur actus indifferentes in individuo, disput. Th. Probabilius et communius negant cum S. Th., quia homo deliberate agens, semper agit ob aliquem finem, qui si bonus est, actus est bonus, secus est malus [2].

31. — *Q.* Actus externus addit ne actui interno distinctam bonitatem vel malitiam?

R. Praemitto: Hic non quaeritur utrum actus externus interno conjunctus veram habeat bonitatem vel malitiam; hoc enim certum est, nam eo ipso quod talis actus est liber et conformis vel difformis rationi, habet totum id quod requiritur ut sit bonus vel malus. Sed inquiritur utrum bonitatem vel malitiam habeat *propriam et distinctam* a bonitate vel malitia actus interni. Hoc praemisso:

1. Si agatur de actu externo cui specialis bonitas vel malitia adnexa est *per accidens, et ab extrinseco,* uti v. g. specialis gratia reali susceptioni Sacramentorum, vel gratia indulgentiae reali executioni cujusdam operis, vel ex privilegio adnexa est specialis aureola uti pro martyrio realiter passo, aut e contrario adnexa est aliqua poena, uti censura, tunc omnes Th. affirmant.

2. Si vero agatur de actu externo, qui actui interno voluntatis substat et superadditur, et in mera executione operis consistit, tunc Th. communiter cum. S. Th. contra Scotistas negant actum externum *per se* habere bonitatem vel malitiam propriam et distinctam ab actu interno, quia omnis moralitas ab intrinseco seu a voluntate desumitur. Hinc quando voluntas est perfecta et efficax, ita ut homo, si posset, operaretur, tunc omissio actus externi est simpliciter involuntaria; involuntarium autem, ait S. Th. [3], sicut non meretur praemium vel poenam in operando bonum, vel malum, ita non tollit aliquid de praemio, vel de poena, si homo involuntarie simpliciter deficiat ad faciendum bonum vel malum. — Dixi: *per se*, nam *per accidens*, regulariter loquendo, addit aliquam bonitatem vel malitiam accidentalem, quia actus externus saepe est causa occasionalis quod

[1] S. Alph., L. V., n. XXXIV.
[2] S. Alph. L. V, n. XLII, XLIV.
[3] S. Alph., L. V, n. XL.

actus internus fiat diuturnior vel vehementior. Unde *in praxi* conveniunt Th., quod voluntas in opere externo vehementius adhaeret illi objecto, ideoque qui committit peccatum operis, semper dicendus est majus malum committere, quam qui illud tantum concupiscit [1].

Art. II.

De principiis seu fontibus moralitatis.

32. — *Q.* Quaenam sunt principia moralitatis actus humani?

R. Th. vocant principia seu fontes moralitatis ea omnia ex quibus fit ut aliqua actio sit bona, aut mala aut indifferens.—Sicut autem quaelibet actio sub triplici respectu considerari potest, nempe *in se,* seu in suo *objecto;* vel in *fine,* quem agens sibi proponit; vel in suis *circumstantiis;* hinc moralitas actus humani ex hisce tribus principiis determinatur, nempe ex objecto, ex fine, et ex circumstantiis. Haec tria omnia ad actum bonum requiruntur, ita ut, si vel unum malum sit, actus malus evadat, juxta notissimum axioma: *Bonum ex integra causa. Malum ex quocumque defectu.*

§ 1°

De objecto.

33. — *Q.* Quid est objectum?

R. Objectum est *illud* (res, vel persona) *circa quod actus humanus versatur.* Sic in furto objectum est pecunia, vel alia res quae aufertur. Duplici autem modo objectum considerari potest: *physice* seu *materialiter,* secundum suam entitatem, et in hoc sensu semper bonum est; et *moraliter* seu *formaliter,* nempe quatenus convenit vel disconvenit rectae rationi, et in hoc sensu, prout hic a nobis consideratur, objectum si convenit intrinsece et ex natura sua, uti v. g. amor Dei, erit immutabiliter bonum; si extrinsece tantum et vi legis positivae, uti v. g. jejunium, poterit esse aliquando bonum, aliquando malum, ex fine nempe et ex circumstantiis [2].

34. — *Q.* Actus humanus sumit ne moralitatem ab objecto?

R. Actus humanus sumit ab objecto formali suam moralitatem primariam et specificam.

1. Sumit suam moralitatem *primariam;* ea enim est primaria actus humani moralitas, quae ante omnem aliam concipitur, et sine qua actio concipi nequit, licet possit concipi sine aliis. Atqui talis est moralitas, quae desumitur ab objecto. Sic. v. g. furtum in loco sacro perpetratum, licet possit concipi sine malitia sacrilegii, non potest tamen concipi sine malitia injustitiae. Ergo...

2. Sumit suam moralitatem *specificam,* quia ratione objecti quaedam virtutes aut vitia specie differunt; sic v. g. ratione objecti, virtus religionis specie differt a virtute justitiae.

§ 2°

De fine.

35. — *Q.* Quid est finis, et quotuplex?

R. Finis est *id cujus gratia aliquid fit.* Multipliciter dividitur:

[1] S. Alph., L. V, n. XL.

[2] S. Alph., L. V, n. XXXVII.

1. Alius est *intrinsecus* seu *finis operis*, alius *extrinsecus* seu *finis operantis*. Finis *intrinsecus* seu operis est quid unum cum objecto, nempe est ipsa res ad quam opus natura sua tendit; sic finis eleemosynae est levamen pauperis. Finis *extrinsecus* seu operantis est ille quem operans sibi proponit, qui prout convenit aut non convenit cum regulis morum est bonus, aut malus; unde in agente juxta communiorem sententiam non datur finis *indifferens*.

2. Finis extrinsecus seu operantis alius est *primarius*, alius *secundarius*. Finis *primarius* est qui per se primo intenditur ab agente quique propterea influit in actionem uti causa efficiens, ita ut sine illo actus non fieret. Finis *secundarius* est qui secundo intenditur, et non impellit, sed tantum allicit ad agendum; unde non est causa efficiens, sed tantum alliciens actionis. Sic sacerdos in celebratione missae primo intendit Dei cultum, secundo eleemosynam.

3. Alius est *ultimus*, alius *intermedius*. Finis *ultimus* est ille ad quem ceteri referuntur; ipse autem ad nullum alium refertur. Finis ultimus est Deus, utpote unica et perfecta nostra felicitas seu beatitudo [1]. Finis *intermedius* est qui sic intenditur, ut ad alium finem referatur. Sic qui corpus suum castigat ut castitatem servet, finis ultimus hujus castigationis est Deus, seu placere Deo; virtus vero castitatis est finis intermedius.

36. — *Q.* Actus humanus sumit ne moralitatem a fine?

R. Actus humanus suam moralitatem desumit etiam a fine operantis; — ratio, quia finis potest dicere ordinem conformitatis, vel deformitatis ad rectam rationem. Imo a fine praecipue pendet moralitas actionis, cum ipse sit tota ratio agendi. Hinc Christus: *Lucerna corporis tui est oculus tuus; si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit* [2].

Ex hoc principio plura consectaria deducuntur:

1. Si objectum est bonum et finis etiam bonus, uti dare eleemosynam in satisfactionem peccatorum, tunc actus humanus habet duplicem speciem bonitatis moralis, dummodo tamen utraque bonitas intenta sit. — E contra si objectum est malum, et finis etiam malus, tunc hic finis reddit actum ex malo pejorem, uti furari ad concubinam alendam.

2. Si objectum est indifferens, tunc finis bonus reddit actum moraliter bonum, uti ambulare ex obedientia; et finis malus reddit actum moraliter malum, uti ambulare ad ostentationem luxus.

3. Si finis est bonus, sed agens medium malum adhibet ad illum finem consequendum, tunc contrahit tantum malitiam medii;

[1] Beatitudo *objectiva* hominis est Deus, quia ipse solus potest ita animam hominis satiare, ut nil aliud ipsi desiderandum remaneat. Beatitudo *formalis* est actio, qua beatitudinem objectivam consequimur.

In quonam vero consistat Beatitudo formalis, Thomistae reponunt in visione Dei intuitiva. Scotistae in solo amore fruitivo. Alii vero in gaudio beatifico, quod definitur: *Intimus ac suavissimus creatae mentis sensus, quo mens adeo sibi conscia est se bene esse, ut nihil ultra expectet.*

[2] *Matth.*, VI, 22, 23.

sic qui mentitur ad proximo subveniendum peccat tantum peccato mendacii."

4. Si duo idem opus bonum agant, v. g. jejunant, sed unus jejunat ex mera devotione, alter vero ex praecepto, tunc iste *per se* magis meretur, quia praeceptum auget bonitatem objecti. Dixi *per se;* quia per accidens qui voluntarie jejunat plus mereri potest ratione majoris fervoris.

37. — *Q.* Quilibet finis malus corrumpit ne totam actionem?

R. **1.** Si finis est malus, et est causa *totalis* et primaria actionis, iste finis malus, sive graviter sive leviter talis sit, totam actionem corrumpit, juxta illud Christi: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.*

2. Si finis est tantum causa *partialis* actionis, sed est *graviter malus,* etiam totam actionem corrumpit; actio enim ex peccato mortali substantialiter vitiatur.

3. Si vero duplex habetur finis, unus *primarius* et bonus, alter *secundarius* et tantum *leviter malus,* tunc quum iste finis secundarius sit solum partialis et concomitanter tantum se habeat ad actionem, *probabilius* totam actionem non inficit, quia est solum modica inordinatio, et in ipsam actionis substantiam non influit. Hinc v. g. si quis ad Eucharistiam accedat cum fine secundario vanae gloriae, communio non erit sacrilega, quia vana gloria non est motivum adaequatum neque primarium agentis; sed erit adhuc bona, saltem ex fine partialiter bono.

38. — *Q.* Quomodo bonitas actionis intendi debet ut actus bonus sit?

R. Bonitas actionis intendi debet *directe et formaliter,* nimirum hoc sensu quod homo deliberate agens debeat actum elicere quia bonus est, nempe quod velit bonum propter bonum. Unde si quis v. g. jejunaret ob vanam gloriam, vel ob avaritiam, non agit opus bonum, quia directe et formaliter non intendit honestatem jejunii.— Non est tamen necesse ut agens bonitatem actionis intendat *in actu,* ut ajunt, *signato,* seu *reflexe,* ut secum dicat v. g., volo id agere quia bonum est; hoc enim esset onus importabile; sed sufficit ut bonitatem intendat *in actu,* ut ajunt, *exercito,* nempe ut velit actum bonum, ita ut si esset interrogatus, bonitatem actionis pro motivo adduceret, et ita dispositus sit, ut non ageret si actio non esset bona.

E contra malitia actionis, seu objecti, non est necesse ut directe et formaliter intendatur, nam hoc esset diabolicum; sed sufficit quod sit indirecte voluntaria, nempe quod agens scienter velit objectum cognitum ut malum, licet voluntas ab ejus malitia quam maxime praescindat, et in ipsum sub specie boni feratur; nam eo ipso quod vult, licet sub specie boni, aliquod objectum malum, cognitum ut malum, implicite vult etiam ejus malitiam et turpitudinem.

39. — *Q.* 1° Homo in suis actibus debet ne semper habere finem honestum; 2° et peccat ne si in suis actibus voluptatem naturalem intendit?

R. Ad 1.um Homo in suis actibus debet habere semper finem honestum, quia homo deliberate agens tenetur sibi finem proponere rectae rationi conformem.

Ad 2.um Homo non peccat, si in actibus suis voluptatem natu-

ralem intendit, quia ipse Deus illam creaturis indidit; quinimo potest hanc voluptatem Deo offerre et consequenter mereri. Requiritur tamen ut haec voluptas naturalis sit honesta, nec voluptas sola seu exclusive quaeratur; quia si homo in actibus suis solam voluptatem quaerit, rectum ordinem a Deo statutum violat, quum medium in finem convertat, ideoque peccat. Unde Innocentius XI has damnavit propositiones: *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* N. 8. Et: *Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.* N. 9. Attamen haec deordinatio per se non est gravis; unde veniale non excedit.

Si autem homo non tantum ob hanc *solam* voluptatem ageret, sed etiam in ipsa poneret et quaereret, saltem implicite, *ultimum finem* vitae suae, ut fit in illis de quibus Paulus ait: *Quorum Deus venter est;* tunc peccaret graviter.

10. — *Q.* Actus humanus ut bonus moraliter sit, debet ne fieri: 1° ex motivo caritatis; 2° et debet ne ad Deum referri ex motivo supernaturali?

R. Ad 1.um, nego; nam actus elicitus etiam ex motivo aliarum virtutum est per se actus bonus, uti actus fidei, spei, etc. Unde in Trid. [1] declaratur quod attritio concepta ex gehennae metu est donum Dei, et poenitentem ad justificationem disponit. Ergo si est donum Dei, et ad justificationem disponit, est actus bonus, licet non sit ex motivo caritatis.

Ad 2um, pariter nego; secus sequeretur infidelem peccare in omni opere suo; quod asserere damnatum fuit ab Alex. VIII, prop. 8^{a}. Unde non peccat qui agit ex amore ipsius bonitatis actionis absque ulla relatione ad Deum; secus sequeretur peccare qui eleemosynam daret ex solo motivo humanitatis, quod asserere falsum est. Quinimo actio naturaliter bona, uti eleemosyna, non solum non est peccatum, sed est etiam moraliter bona, licet non supernaturaliter [2].

11. — *Q.* Adest ne praeceptum omnes actiones referendi ad Deum ex motivo supernaturali?

R. Unusquisque ea tantum relatione actiones suas ad Deum ordinare debet, qua Deum cognoscit aut cognoscere potest; unde si agatur de infideli saltem negativo, sufficit ut ipse actus suos in Deum referat ex motivo naturali, ad quam relationem sufficit ut actus sit moraliter bonus et honestus.

Si vero agatur de christianis, tunc disput. Th. Sententia communior et verior cum S. Th. affirmat, dicente Paulo: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* [3]; quae verba non tantum consilium, sed verum praeceptum continent.

Hoc autem praeceptum omnes nostras actiones referendi ad Deum convenit cum praecepto caritatis in Deum, proindeque non secus ac istud partim est negativum, partim affirmativum. — Qua *negativum*, hoc praeceptum signifi-

[1] *Sess.* XIV, c. 4.

[2] Deus bona opera *naturalia* temporaliter, *supernaturalia* aeternaliter remunerat; unde nulla virtus sine praemio.

[3] I *Cor*, X, 31.

cat : nihil contra Deum facite, ideoque prohibet quidquid opponitur divinae legi ; Deo enim offerri nequit quod ipsi displicet ; et obligat semper et pro semper.— Qua *affirmativum,* praecipit ut omnes nostras actiones, nulla excepta, ad Deum referamus, et quidem ex motivo supernaturali; ratio quia Deus est noster ultimus finis supernaturalis ; et obligat quando obligat praeceptum caritatis in Deum.

42. — *Q.* Quaenam oblatio requiritur ?

R. Quoad modum referendi nostras actiones in Deum, non requiritur oblatio *actualis,* qua nempe actiones Deo offerimus per actum expressum voluntatis; sed sufficit oblatio *virtualis explicita,* quando nempe quis, oblata jam Deo aliqua particulari actione, vel oblatis omnibus actionibus in genere, agit ex hac ipsa priori intentione, dummodo revocata non fuerit per actum subsequentem, vel per actum contrarium, puta peccatum grave, nec revocata censeri possit per nimium temporis lapsum.

An vero sufficiat oblatio *virtualis implicita,* seu ratione objecti ex se in Deum tendentis, cujus honestate homo movetur ad agendum, disput. Th. Sententia affirmativa probabilior et verior videtur.—Sed quidquid sit, *in praxi* fideles enixe adhortandi sunt, ut aliquoties in die, vel saltem mane sub diei initio omnes actiones suas, suosque labores atque dolores Deo offerant, quod quidem generico modo fieri potest; v. g. offerendo omnia in Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, eodem tempore quo in spiritu fidei signo sanctae crucis se signant, juxta praxim in Ecclesia receptam. *Finis rectus atque supremus Deus est, Pater scilicet et Filius et Spiritus Sanctus* [1].

§ 3°

De circumstantiis.

43. — *Q.* Quid sunt circumstantiae, et quot numerantur ?

R. Circumstantiae sunt *quaedam accidentia quae afficiunt et concomitantur actum humanum jam in suo esse seu in genere morum constitutum ;* quae propterea dare solent actioni bonitatem vel malitiam accidentalem [2]. — Dixi *accidentalem,* non essentialem; moralitas enim quae desumitur ex circumstantiis accedit actui jam constituto in sua specie in ordine morali. E contra moralitas quae desumitur ex objecto et fine dicitur *essentialis,* quia constituit essentiam actus in ordine morum.— Audiatur S. Th. : Etsi aliquando circumstantiae actionem in sua specie constituant, cujusmodi sunt illae quae speciem mutare dicuntur, tamen circumstantia secundum quod dat speciem actui, consideratur ut quaedam conditio objecti et quasi quaedam specifica differentia ejus. Quare circumstantia manens in ratione circumstantiae, cum habeat rationem accidentis, non dat speciem; sed in quantum mutatur in principa-

[1] *Gousset* n. 53.

[2] In *praxi* maximae necessitatis est circumstantias personae animadvertere; saepe enim plures casus conscientiae qui videntur identici, et sub eodem principio cadere , ob aliquam peculiarem circumstantiam, diversam exigunt solutionem.

lem conditionem objecti, secundum hoc dat speciem [1].

Circumstantiae septem enumerantur hoc notissimo versiculo comprehensae : *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* — *Quis,* qualitatem significat agentis, v. g. si est sacerdos, vel laicus. *Quid,* qualitatem aut quantitatem materiae, v. g. utrum res furata sit gravis an levis ; sacra an profana. *Ubi,* loci qualitatem, v. g. sacer, an profanus ; publicus, an occultus. *Quibus auxiliis,* nempe utrum actio peracta fuit a solo, an ope aliena ; mediis licitis an illicitis. *Cur,* seu quinam sit finis operantis. *Quomodo,* v. g. ex malitia, an ex ignorantia. *Quando,* nempe, in die festo an feriali, tempore prohibito an non.

44. — *Q.* Actus humanus desumit ne moralitatem ex circumstantiis ?

R. Actus humanus moralitatem desumit etiam ex circumstantiis ; ratio, quia circumstantiae habent relationem convenientiae, vel disconvenientiae cum recta ratione.

Sicut enim, ait S. Th.[2], in homine non tota perfectio pendet a forma substantiali, quae dat ei speciem, nempe corpore et anima rationali, sed etiam a figura, colore, partium aptitudine ; sic ad bonitatem vel malitiam actus humani multum conferunt accidentia quaedam, quae actionem comitantur et complent. Sic v. g. licet sacrificium in se bonum sit, tamen ratione circumstantiae indebitae, nempe personae, repudiata fuerunt sacrificia Saulis et Oziae, quia non erant sacerdotes.

45. — *Q.* Quinam effectus circumstantiarum ?

R. Quatuor sunt : 1° aliae mutant speciem moralitatis ; 2° aliae speciem moralitatis addunt ; 3° aliae bonitatem aut malitiam actionis aggravant, vel minuunt intra eamdem speciem ; 4° et aliae speciem theologicam mutant.

1. Circumstantiae *mutantes* speciem moralitatis sunt quae actui auferunt speciem moralitatis quam ex objecto habet, et aliam tribuunt ; v. g. ex indifferenti reddunt bonum, vel e bono reddunt malum. Sic deambulatio, actio per se indifferens, facta ob bonum finem, v. g. ex obedientia, fit actus virtutis. Sic eleemosyna peracta ob malum finem evadit mala ; haec enim circumstantia actionem per se bonam reddit malam [3].

2. Circumstantiae *addentes* speciem sunt quae bonitati, aut malitiae, quam actio jam ex objecto habet, aliam bonitatem aut malitiam addunt ; sic in eo qui furatur rem sacram, circumstantia rei sacrae malitiae furti malitiam sacrilegii addit.

3. Circumstantiae simpliciter *aggravantes*, aut *minuentes* sunt quae bonitatem, aut malitiam jam extantem augent, aut minuunt intra eamdem speciem moralitatis ; uti esset furtum majoris, vel minoris quantitatis [4]. Et hae circumstantiae aliae sunt *notabiliter*, aliae

[1] *S. Th.* 1ª 2ae, Q. 18, a. 10.
[2] *S. Th. ib.*, a. 3.
[3] Th. ut plurimum circumstantias quae speciem moralitatis *mutant*, cum iis confundunt quae speciem *addunt*, sed hae circumstantiae reapse differunt inter se, nam primae tollunt speciem moralitatis quam actio ex objecto habet, dum aliae speciem moralitatis, quam actio ex objecto habet, relinquunt et aliam addunt.
[4] Verum non constat utrum hoc sensu

leviter, seu *non notabiliter aggravantes* [1].

4. Circumstantiae aggravantes *in infinitum* in eadem specie, seu *mutantes speciem theologicam* sunt quae peccatum e veniali reddunt mortale. Sic furtum rei levis, quae tamen domino grave damnum affert, mutat speciem theologicam peccati; nam licet furtum rei levis sit per se peccatum leve, attenta tamen circumstantia gravis damni, fit peccatum grave.

hanc vocem usurpaverit Catech. Rom. quando dicit aperiendas esse in confessione circumstantias notabiliter aggravantes, an potius intelligat eas quae peccatum ex levi faciunt grave. *Ballerini*, I, 153.

[1] Circumstantia *notabiliter aggravans* ex cl. *Scavini* 1, 41, in materia quantitatis, seu posita in numero, pondere et mensura, obtinet quando seorsim sumpta et disjuncta ab ipso actu sufficit ad constituendum peccatum mortale, v. g. si supponamus libellas quinque in furto constituere materiam gravem, in furto libellarum decem erit circumstantia graviter augens quantitatem quinque libellarum. In aliis vero materiis censetur adesse circumstantia notabiliter aggravans quando excedit modum ordinarium peccandi; v. g. si quis per mensem, per annum integrum perduraverit in odio, vel si quis totam noctem illicite transegerit cum muliere; ita ex communi usu.

BREVIS APPENDIX DE MERITO

46. — *Q.* Quid est meritum, et quomodo distinguitur?

R. Meritum in abstracto definiri potest cum Billuart: *Proprietas actus moraliter boni dicens proportionem ad praemium*; in concreto definiri solet: *Opus mercede dignum.*

Duplex distinguitur: unum *de condigno*, et est opus cujus valor aequalis est mercedi, unde huic operi merces debetur ex justitia, accedente promissione remuneratoris: alterum *de congruo*, et est opus cujus valor non aequat mercedem, sed merces confertur tantum ex quadam congruitate et ex mera decentia et benignitate Dei.

47. — *Q.* Homo justificatus per bona opera potest ne mereri?

R. Homo justificatus per bona opera potest mereri. Veritas est de fide contra protestantes, qui, docentes omnia justi opera esse totidem peccata ob fidem non imputata, meriti existentiam necessario negarunt. Conc. Trid. sic definivit: *Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum, bonis operibus quae ab eo, per Dei gratiam et Jesu Christi meritum cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum; anath. sit* [1]. Et sane Christus discipulis dixit: *Merces vestra* copiosa est in coelis. S. Paulus: Bonum certamen certavi...; in reliquo reposita est mihi *corona justitiae quam red-*

[1] Trid. Sess. VI, c. XXXII.

det mihi Dominus in illa die justus judex. Et Jac.: Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet *coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* Ergo si bonis justi operibus debetur merces, corona, et quidem ex justitia, justus mereri potest [1].

18. — *Q.* Quaenam conditiones requiruntur ad meritum?

R. Conditiones ad meritum *de condigno* sunt:—1° Ex parte *agentis*, ut actus sit liber, et factus ab homine in statu viae et gratiae, nam Christus clare dixit: sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis; nemo autem in Christo manet, nisi maneat in caritate seu in gratia. — 2° Ex parte *objecti*, ut actus sit supernaturaliter bonus, tum ratione principii, seu ex influxu gratiae actualis, tum ratione motivi, nam quod fit ex motivo humano seu naturali, nullum dicit ordinem ad vitam aeternam, ac proinde eam mereri nequit, ut communiter dicunt Th. Quaenam autem relatio in Deum sufficiat ut actio ex fine supernaturalis sit, superius n. 42, dictum fuit.—3° Ex parte *Dei*, ut adsit aliqua Ejus promissio hujus mercedis, nam quum opera nostra, jam Deo debeantur ex titulo dependentiae et gratitudinis, nequeunt esse meritoria *de condigno*, nisi intercedat aliqua Dei promissio hujus mercedis.—Nihil autem refert quod actus sit ex praecepto vel non.—An vero requiratur quod actus ex motivo caritatis ad Deum referatur, disput. Th. *Prima sententia* affirmat, ideoque requirit ut actio ad Deum referatur vel actualiter, vel virtualiter, nempe ut homo, dum suo tempore urget praeceptum caritatis, per hujus virtutis actum se suasque actiones in Deum aliquando ordinaverit, licet postea in agendo neque de Deo neque de caritate cogitet. *Secunda sententia* vero negat, et dicit quod sufficit ut actus ad Deum referatur ex motivo cujuscumque virtutis supernaturalis, nam in Scripturis saepe promittitur vita aeterna operibus misericordiae, observationi mandatorum etc.

Ad meritum vero de *congruo* requiritur: — 1° Ex parte *agentis*, ut agens sit liber et viator ob rationes superius expositas: at non requiritur ut sit in statu gratiae, quia peccator opera supernaturalia, adiuvante gratia, efficere potest. — 2° Ex parte *objecti* requiritur ut actus sit supernaturaliter bonus, nam in merito de congruo aliqua proportio interesse debet inter actum meritorium et mercedem, ut dici possit ex quadam congruitate praemio dignus.

[1] Corona justi vocatur aliquando etiam corona *misericordiae*, quia Deus justi merita plus remuneratur, quam ipsi debetur; at, posita Dei promissione, est etiam corona ex justitia.—Item dicitur quod vita aeterna est *ex gratia Dei*, quia totum jus justi fundatur in libera Dei promissione, et in gratia quae ad opus meritorium faciendum necessaria est, unde vita aeterna est gratia simul et praemium.—Item ex praecepto Christi, post opera bona dicere debemus: *Servi inutiles sumus*, tum quia sine gratia Dei bona opera facere non possumus; tum quia ex nostris operibus nil commodi Deo obtingit; tum quia nihil agimus nisi quod debemus, quum Deo servire jam debeamus ex titulo dependentiae et gratitudinis; et si ex operibus bonis mercedem speramus, spes nostra gratuitae Dei promissioni innititur.

Porro nulla datur proportio inter actum naturalem et gratiam ; ergo opus meritorium supernaturale esse debet. Insuper de fide est nullum opus supernaturale fieri posse sine gratia ; ergo opus meritorium de congruo debet esse etiam ex gratia actuali. — 3.° Ex parte *Dei* non est necessaria aliqua promissio, quia haec prorsus inutilis est ut ex aliqua decentia pretium debeatur operi meritorio de congruo.

DE CONSCIENTIA

Moralitas actuum humanorum consistit, ut vidimus, in conformitate horum actuum cum regulis morum. Porro regula morum, et proinde regula actuum humanorum duplex est, remota una, proxima altera. — Regula *remota* est lex divina. Regula *proxima* est conscientia : licet enim conscientia in omnibus divinae legi conformari debeat, bonitas tamen aut malitia humanarum actionum nobis innotescit prout ab ipsa conscientia apprehenditur. Prius ergo agemus de regula proxima, nempe de conscientia ; deinde de regula remota, nimirum de legibus.

Tractatus de Conscientia maximi momenti est ; nam quum conscientia sit regula proxima actuum humanorum, per ipsam mensuratur eorum honestas aut malitia, non quidem objectiva et speculativa, sed subjectiva et practica. Quare confessarius conscientiae naturam et singulas ejus species apprime cognoscere debet, ut in actibus poenitentium rite discernat bonitatem aut malitiam formalem, atque inter rigidiores laxioresque sententias illam eligat viam, quae se suosque poenitentes ad coelum ducat.

Quatuor capitibus hic de Conscientia Tractatus conficitur : 1. *de Conscientiae natura et divisione.* 2. *de Conscientia recta ; erronea ; perplexa ; laxa ; et scrupulosa.* 3. *de Conscientia certa ; dubia ; et probabili.* 4. *de variis systematibus circa probabilitatem.*

CAPUT I.

De conscientiae natura et divisione

49. — *Q.* Quid est conscientia?

R. Conscientia, seu *cordis scientia* idem sonat ac sui scientia, et prout consideratur ut regula proxima nostrarum actionum definiri potest : *Judicium practicum circa honestatem actionis positae vel ponendae.*

In re vero morali, quum conscientia actionem ponendam praecipue respiciat, strictius definiri solet : *Actus intellectus ex principiis generalibus morum practice dictans quid hic et nunc sit agen-*

dum, vel omittendum. Dicitur : 1° *Actus,* non potentia quae invariabilis est, nec habitus ; 2° *intellectus,* nam conscientia est judicium de agendis ; judicium vero non ad voluntatem, sed ad intellectum spectat ; 3° *ex principiis generalibus morum* quia conscientia, quatenus dirigit actus humanos, est applicatio principiorum moralium, seu legis moralis ad opus ; 4° *practice dictans....,* duplex enim haberi potest judicium de aliqua re, unum *speculativum,* quo intellectus judicat aliquid in se esse bonum vel malum, alterum *practicum,* quo intellectus judicat illud objectum, consideratis praesentibus circumstantiis, esse licitum vel illicitum [1].

Est ergo conscientia judicium practicum, veluti conclusio syllogismi practici, cujus in propositione majori habetur lex, in minori factum, in conclusione sententia. Sic, v. g. judicium speculativum seu lex dicit : bellum, si adsint debitae conditiones, est justum ; judicium vero practicum dicit : sed hoc bellum quod hic et nunc agendum est debitis gaudet conditionibus, ideoque est justum ; concludit autem conscientia : ergo mihi pugnare licet.

30. — *Q.* Conscientia differt ne a synderesi ?

R. Conscientia differt a synderesi ; synderesis enim est *habitus seu cognitio speculativa primorum principiorum moralium,* v. g. Deus est colendus, malum est fugiendum, etc.; conscientia e contra est actus, quo ex dictis principiis infertur quid sit faciendum vel omittendum ; synderesis eadem est in omnibus, conscientia diversa esse potest ; synderesis non est subjecta errori, bene vero conscientia [2].

31. — *Q.* Quomodo distinguitur conscientia ?

R. Conscientia quadruplici modo distinguitur : — Ratione *temporis,* et alia est antecedens, alia consequens, prout judicium de honestate actionis praecedit actionem ipsam, vel subsequitur. — 2° Ratione *obligationis,* et alia est consulens, vel permittens, vel praecipiens, prout actionem ponendam, aut omittendam dictat esse de consilio, vel esse de re indifferenti, vel esse de praecepto. — 3° Ratione *objecti,* seu *legis,* et alia est vera seu recta [3], alia falsa seu erronea. — 4° Ratione *assen-*

[1] Saepe saepius a quibusdam haec vox auditur, *Libertas conscientiae, libertas conscientiae.* Sed scire oportet quid per haec verba ab ipsis intelligatur. Si intelligitur quod conscientia libera esse debet a violentia, verum est ; si autem intelligatur quod conscentia libera est a lege Dei quae religionem catholicam et cultum divinum praecipit, falsum est ; quum enim conscientia nil aliud sit nisi applicatio legis moralis ad opus, evidens est quod nemo a lege Dei liber esse potest.

[2] Conscientia differt a SENSU INTIMO. Sensus intimus est perceptio qua mens de praesenti suo statu admonetur, quin tamen nullum intercedat judicium practicum de licitate, vel illicitate actionis; dum conscientia judicium exercet circa moralitatem actionis.

[3] Conscientia vera, stricte loquendo, non eadem est ac conscientia recta, quamvis promiscue usurpentur; *verum* dicitur juxta quod est in se ; *rectum* juxta quod a nobis apprehenditur. Sed quoniam, quoad moralitatem actionis, conscientia considerari debet subjective, nempe prout est in subjecto, hinc Th. conscientiam rectam in subjecto uti veram habent. — *Actus humanus judicatur virtuosus aut vitiosus secundum bonum apprehensum, et non secundum materiale objectum actus.* S. Th. Quodlibet. 27.

sus, et alia est perplexa, alia laxa, alia scrupulosa, alia certa, vel dubia, vel probabilis.

52. — *Q.* Moralitas actionis desumitur ne a conscientia antecedenti, an a consequenti?

R. Moralitas actionis, idest formalis bonitas vel malitia actionis, semper desumitur a sola conscientia *antecedenti;* - ratio, quia conscientia, quum sit regula proxima actuum humanorum, necessario ipsos praecedere debet, unde semper judicat de bonitate, vel malitia actionis adhuc ponendae, ideoque moralitas actionis nunquam desumitur a conscientia *consequenti,* quia haec judicat de moralitate actionis jam positae.

Hinc saepius decipiuntur rudes, qui dum libros legunt, vel conciones audiunt, judicant se in quibusdam peccasse, quando de malitia illorum actuum, aut certe de quadam culpae gravitate nunquam inter agendum cogitaverant vel suspicati fuerant[1]. Item decipiuntur quidam scrupulosi, qui post actionem commissam confidunt ex una parte se non peccasse, et ex altera, inani ratione nixi, timent, ne forte peccaverint; nam haec esset conscientia *scrupulosa consequens*[2].

CAPUT II.

De conscientia recta, erronea, perplexa, laxa, et scrupulosa.

ART. I.

De conscientia recta.

53. — *Q.* Quaenam est conscientia recta, et quomodo obligat?

R. — Conscientia *recta* ea est *quae ex veris principiis recte concludit et judicat;* unde aliquid dicit licitum, vel illicitum quod revera tale est.

I. Conscientia recta sive praecipiens, sive prohibens, obligat *per se;* unde semper est sequenda: ratio, quia est recta legis applicatio, et manifestatio divinae legis, cui resistere semper nefas est. Unde semper peccat qui contra eam operatur, dicente Paulo: *Omne quod non est ex fide* (nempe ex dictamine conscientiae) *peccatum est.*

II. Si conscientia aliquid permissum declarat, nempe a nulla lege esse praeceptum vel prohibitum, id possumus ad libitum facere vel omittere sine ullo peccato. Res evidens est.

ART. II.

De conscientia erronea.

54. — *Q.* Quaenam conscientia erronea et quomodo dividitur?

R. Conscientia *erronea* est ea *quae ex aliquo falso principio, vel etiam ex vero principio, sed per malam consequentiam, falsam conclusionem deducit, seu falsum judicium efformat;* unde aliquid judicat licitum vel illicitum, quod revera non est. — Species conscientiae erroneae sunt conscientia *perplexa, laxa,* et *scrupulosa.*

Conscientia erronea alia est invincibilis, alia vincibilis.

Conscientia erronea *invincibilis* est ea *cujus error moraliter vinci nequit,* vel quia nulla cogitatio, nec ullum dubium, ne in confuso quidem, de errore et de malitia a-

[1] *Ballerini ad Gury,* 1, 36 (*d*).

[2] *Lehmkuhl, De Consc.* 53, 4.

ctionis venit in mentem operantis dum ponit actionem, vel ejus causam ; vel quia licet tale dubium in mentem venerit, adhibita tamen communi et ordinaria diligentia ad illud purificandum, dubium purificari nequit.

Conscientia erronea *vincibilis* e contra est ea *cujus error ab agente potest et debet vinci,* nempe quando agens jam advertit errorem vel aliquam malitiam in ipsa actione, vel saltem prudenter dubitat de errore et de malitia actionis, simulque advertit ad obligationem illud dubium deponendi, consulendo v. g. confessarium vel alium virum prudentem, et nihilominus negligit diligentiam ordinariam ad veritatem inquirendam.

55. — *Q.* Conscientia erronea obligat ne ?

R. I. Conscientia erronea si est *invincibilis*, obligat non quidem per se, sed *per accidens ;* - ratio, quia licet actio non sit recta objective, est tamen recta subjective, idest juxta conscientiam operantis. Moralitas autem actionis, ut dictum est, non desumitur ex objecto materiali, sed ex objecto formali, seu ut a subjecto cognoscitur et apprehenditur. Unde Alex. VIII sequentem damnavit propositionem: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae non excusat a peccato formali.*

II. Qui conscientia invincibiliter erronea laborat, tenetur agere quod ipsa praecipit, et se abstinere ab eo quod ipsa prohibet, et si contra eam agat peccat, quia eligit quod judicat esse malum; et contrahit illam speciem aut gravitatem peccati, quam putat actioni vel omissioni inhaerere ; - ratio, quia *affective* illam malitiam et gravitatem vult, quas in objecto adesse putat ; quo fit ut in confessione explicare debeat malitiam apprehensam, vel suspectam, quia aliter cognosci nequit nisi explicetur. — Adnotandum tamen quod agens contra conscientiam erroneam non contrahit poenas, quas actioni inflictas esse putat; quia poenae infliguntur in transgressores legis verae, et non putativae tantum.

III. Conscientia erronea si est *vincibilis* non obligat, sed ante actionem per inquisitionem veritatis est deponenda ; - ratio, quia, quum error vincibilis sit, qui cum tali conscientia agit, errat voluntarie [1].

IV. Qui agit *contra* conscientiam vincibiliter erroneam sive prohibentem, sive praecipientem, semper peccat ; peccat primum in causa, quia est voluntaria et culpabilis ignorantia eorum quae scire tenetur; dein peccat in actu, quia in agendo eligit quod judicat esse prohibitum, vel omittit quod judicat esse praeceptum. Et in hoc casu peccatum committit illius speciei et gravitatis prout conscientia dictat, quia species, et gravitas aut levitas peccati desumuntur ab objecto non materiali, sed formali, seu ut apprehenso et voluntati proposito. — Excipe ta-

[1] Fieri aliquando potest, ut conscientia prius vincibiliter erronea, actu nunc sit erronea invincibiliter, nimirum si actu nullo modo occurrit nunc suspicio de obligatione melius inquirendi, quamquam antea occurrerit. Quo in casu, actio cum tali conscientia posita, formaliter peccaminosa in se non est ; attamen est peccaminosa formaliter in causa, nempe in errore voluntarie antea non excusso, si actio praesens aliquo modo praevisa fuit. *Lehmkuhl*, 1, 45, 2.

men nisi id, quod conscientia *vincibiliter erronea* dicit veniale, sit reapse mortale; error enim voluntarius et vincibilis non tollit gravitatem essentialem peccati.

Qui autem agit *juxta* conscientiam vincibiliter erroneam aliquando peccat, aliquando non. Peccat quoties actionem illicitam agit, etsi licitam ipse putet, quia error cum sit vincibilis, est voluntarius in causa; et peccat quoties sic agendo periculo se exponit aliud praeceptum violandi [1].—Non peccat vero si actionem facit quam erronee judicat esse praeceptam, quae minime praecepta est; vel quando actionem, quae licite poni potest, omittit, quia erronee putat esse de praecepto omittendam.

36. — *Q.* Qui agit quod conscientia invincibiliter erronea praecipit vel permittit, acquirit ne meritum?

R. Disput. Th. *Prima sententia* negat, quia actio in se mala est, nec conscientia invincibiliter erronea mutare potest naturam rei. *Secunda sententia* tamen probabilior et communior affirmat; - ratio, quia ut aliquis actus dicatur bonus, saltem inadaequate, sufficit ut ille actus dirigatur per rationis et prudentiae dictamen. Cum ergo operans prudenter agat, procul dubio mereri debet, saltem propter bonum finem quo operatur, nempe gloriae Dei, aut caritatis erga proximum [2].

37. — *Q.* Peccat ne gravius qui agit *contra* conscientiam vincibiliter erroneam, quam qui agit *juxta* ipsam?

R. Th. dicunt quod ex se, ceteris paribus, gravius peccat qui agit *contra*, ratione pravae affectionis, quam in peccatum ostendit; qui vero agit *juxta*, agit ex ignorantia, quae minuit peccatum. Dixi: *ceteris paribus,* quia etiam ex subjecta materia et aliis circumstantiis judicandum est.

38. — *Q.* Qui aliquid agit quod scit esse malum, sed nescit an sit mortale, vel veniale, peccat ne graviter?

R. Triplex datur sententia. *Prima* dicit peccare graviter, vel leviter, prout in specie objectum peccati est grave, vel leve. *Secunda* dicit semper peccare graviter. *Tertia* vero distinguit et dicit quod peccat mortaliter: 1° si advertit saltem in confuso ad periculum graviter peccandi; 2° si advertit obligationem rem melius perpendendi. — Seclusis his casibus, tenet peccare tantum venialiter, modo objectum non sit certe per se peccatum grave; adderem, ait S. Alph. [3], modo etiam homo sit timoratae conscientiae.

39 — *Q.* Quid agendum a subdito si conscientia dictat non esse agendum quod est a superiore praeceptum?

R. Subditus vel est certus de injustitia praecepti, vel tantum dubius. Si *dubius*, obedire tenetur; quia in dubio pro superiore standum est. Si *certus*, tunc si

[1] Hoc discrimen intercedit inter eum qui agit *contra* conscientiam vincibiliter erroneam, et qui agit *juxta*, quod ille qui hic et nunc agit *contra*, dupliciter est reus, nempe et reus est prioris peccati in causa, et huic peccato aliud nunc addit peccatum actionis positae contra dictamen conscientiae; qui vero agit *juxta* habebit tantum reatum praecedentis peccati in causa, quia reapse hic et nunc non delinquit. *Ballerini*, Vol. I, Tr. 2, n. 35.

[2] S. Alph., L. I, 6.

[3] S. Alph., L. I, 53.

injustitia praecepti se tenet ex parte rei praeceptae, utpote intrinsece malae, nullomodo obedire potest; in hoc enim casu oportet magis obedire Deo quam hominibus. Si autem injustitia praecepti se tenet ex parte jurisdictionis, tunc subditus potest etiam ab obedientia se liberare, modo non adsit scandalum, aut periculum gravioris mali [1].

60. — *Q.* Quomodo deponenda est conscientia vincibiliter erronea?

R. Si talis conscientia hic et nunc ante actionem deponi potest, deponi debet non temere, sed prudenter. — *Temere* eam deponunt, qui ejus judicium contemnunt, ut liberius peccent; qui doctores quaerunt loquentes sibi placentia; qui ratiunculis quibuscumque, dummodo libertati faveant, cito acquiescunt. — *Prudenter* vero eam deponunt qui Deum orant: *Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam* [2]; qui sincero studio veritatis detegendae consilium petunt a viris prudentibus et piis; uno verbo, qui ad veritatem cognoscendam adhibent diligentiam quam in subjecta materia adhibere solent viri docti et timorati.

Si vero talis conscientia ante actionem deponi nequit, et adsit necessitas agendi, tunc agens intentionem habere debet se instruendi suo tempore, et interim illam partem eligere in qua minus mali apparet. Sic error ex vincibili fit invincibilis, et ad culpam ulteriorem non imputabitur, quum actu deponi nequeat, et eius causa fuerit retracta.

61. — *Q.* Quandonam confessarius tenetur monere poenitentem laborantem conscientia erronea?

R. **1.** Si conscientia erronea est *vincibilis*, confessarius tenetur semper monere poenitentem; - ratio, quia talis conscientia est culpabilis. — *Item*, si poenitens non ex scrupulo, sed gravi dubio pressus confessarium interrogat, an hoc vel illud sit illicitum, vel an adsit talis aut talis obligatio, quia tunc non censetur esse in bona fide, et praesumi potest dispositus ad se gerendum juxta responsum. — Interdum tamen interrogatio potest esse ad modum admirationis, vel exigui timoris aut scrupuli; et tunc bona fides (saltem excusans a peccato gravi) non deesset. Aliunde res potest esse adeo ardua, ut de executione juxta responsum parum aut nihil sperari possit. Itaque si Confessarius animadvertat non expedire ut poenitenti interroganti veritatem aperiat, non poterit quidem declarare licitum quod illicitum est; sed poterit fingere se non audivisse, vel non attendisse, vel oblitum fuisse respondere [3].

2. Si conscientia erronea est *invincibilis*, tunc conveniunt Th. quod confessarius tenetur monere poenitentem: — 1° Si error vel ignorantia invincibilis est circa aliquid ad salutem necessarium necessitate medii, v. g. nescit veritates fidei quas quisque fidelis scire tenetur necessitate medii ad salutem. — 2° Si ignorantia versetur circa ea quae poenitens diu ignorare non potest, v. g. circa peccata odii, furti, scandali, vel circa malitiam pollutionis, maxi-

[1] S. Alph., L. 1, 31.
[2] Ps. 118.
[3] *Berardi*, Praxis. 1113.

me si vitium progressu temporis crescat ac difficilius extirpetur.— 3° Si error vel ignorantia vergit in scandalum seu in damnum publicum spirituale, v. g. si poenitens errores contra fidem vel mores disseminaret; quia in tali casu in *praxi* semper adest spes quod monitio profutura sit, si non in praesens, saltem in futurum. — 4° Si monitio ex una parte est certe profutura, vel saltem probabilius profutura et ex altera est certe non obfutura [1].

Seclusis his casibus, si conscientia erronea est *invincibilis*, sive sit juris humani sive divini, et probabilius, cum S. Th. et S. Alph., sive etiam juris naturalis, et monitio non speratur profutura, imo prudenter judicatur esse magis obfutura, quam profutura, tunc confessarius potest et tenetur eam omittere relinquendo poenitentem in sua bona fide; - ratio, quia de duobus malis minus est permittendum, nempe peccatum materiale, ut majus evitetur, nempe peccatum formale [2].

Art. III.

De conscientia perplexa.

62. — *Q.* Quaenam est conscientia perplexa; et qui ea laborat quid agere debet?

R. Conscientia *perplexa* est ea, *qua quis in medio duorum praeceptorum constitutus peccare credit, quamcumque partem eligat.* Talis est conscientia illius qui assistens infirmo putat se peccare sive infirmum deserat ut sacro intersit, sive missam omittat ut infirmi curam gerat.

I. Qui conscientia perplexa laborat, tenetur, si potest, actionem suspendere donec consulat sapientes; - ratio, quia quisque illud, quod Deum offendere putat, evitare debet.

II. Si vero actionem suspendere nequit, tenetur eligere minus malum, vitando potius transgressionem juris naturalis, quam humani aut positivi divini.

III. Si autem non potest discernere quodnam sit minus malum, tunc, quamlibet partem eligat, non peccat; quia in hujusmodi casu deest libertas necessaria ad peccatum formale. — In hoc tamen postremo casu prudenter ageret poenitens, si a confessario inquireret quid in posterum, in simili casu, agere possit aut debeat [3].

Art. IV.

De conscientia laxa.

63. — *Q.* Quaenam est conscientia laxa; quomodo dividitur, et quaenam ejus causae, effectus, et remedia?

R. Conscientia *laxa* est ea *quae ex levibus motivis judicat esse licitum quod est illicitum, vel esse peccatum veniale quod est mortale* [4]. Haec conscientia laxa animam in-

[1] Ad judicandum vero an sit profutura nec ne, considerare oportet, sive rem in se, nempe utrum facilis sit an ardua, sive vires poenitentis, nempe utrum virtuosus sit an debilis, sive influxum exhortationis, nempe utrum verba confessarii multum aut parum influere possint.

[2] S. Alph., L. VI, 610.

[3] S. Alph., L. I. 10.

[4] Conscientia laxa duplici sensu sic dicitur: 1° quae solum de gravibus culpis cavendis sollicita est, negligens minora; 2° quae erronee levius solet censere peccatum, quod reapse gravius est. *Ballerini*, Vol. I, Tr. 2, n. 10.

troducit in illam viam latam, quae ducit ad perditionem.

Tripliciter distingui potest, scilicet: 1° conscientia *simpliciter laxa* quae tendit ad libertatem plus aequo extendendam; 2° conscientia *cauteriata*, quae ex diuturno peccandi habitu, peccata gravia, quin etiam gravissima, nihili pendit; 3° conscientia *pharisaica*, quae magna parvi, et vicissim parva magni facit.

Causae hujus conscientiae laxae praecipuae sunt: 1° vita mollis et otiosa, vel nimis curis et negotiis saeculi implicata; 2° neglectus orationis et piarum exercitationum; 3° consuetudo peccandi quae horrorem peccati tollit; 4° usus et familiaritas cum vitiosis; 5° luxuria.

Effectus praecipui sunt: 1° tranquillitas animi post peccatum; 2° insensibilitas ad pia monita; 3° irrisio piarum exercitationum; 4° obstinatio in peccatis.

Remedia vero sunt: 1° meditatio aeternarum veritatum; 2° auditio verbi Dei; 3° frequens oratio; 4° lectio bonorum librorum; 5° frequentia sacramentorum; 6° secessus spiritualis, et assiduum conscientiae examen.

Art. V.

De conscientia scrupulosa.

64. — *Q.* Quaenam est conscientia scrupulosa?

R. Conscientia *scrupulosa* ea est *quae ex levibus motivis et absque rationabili fundamento saepe formidat adesse peccatum ubi non est, vel esse peccatum grave quod est tantum veniale* [1].

Conscientia scrupulosa dicitur a scrupulo [2] qui communiter sensu morali accipitur, et definiri solet: *Timor peccati, ubi peccatum non est, ex levibus et inanibus rationibus conceptus.*

Ex praedictis definitionibus patet quod magnum discrimen extat inter scrupulum et conscientiam scrupulosam. Scrupulus enim est tantum inanis timor quin auferat illud prudens judicium de honestate actionis quod agens prius sibi efformavit, et quod in confuso saltem retinet. — Conscientia scrupulosa e contra est quando agens ex illo inani timore tale dubium de honestate actionis concipit, ut practice certo conscientiae dictamine careat.

Quare *in praxi* operari contra scrupulos, quia nondum sunt conscientiae dictamen, semper licitum est, et etiam obligatorium si noscantur animae vel corpori grave nocumentum afferre. — E contra numquam licitum est operari contra conscientiam scrupulosam, quia quum ipsa sit verum conscientiae dictamen, et conjuncta sit cum conscientia erronea, et practice dubia, debet prius prudenter deponi; secus qui cum ipsa ageret, non ageret ex fide; quod autem non est ex fide, peccatum est.

65. — *Q.* Quaenam sunt damna scrupulorum?

R. Damna quae ex scrupulis oriri solent, sequentia sunt: 1° per-

[1] S. Alph., L. I, 11.—Conscientia timorata non debet cum scrupulosa confundi, prout saepe faciunt homines mundani, qui eos quos vident etiam a levissimis peccatis diligenter declinare mox ut scrupulosos habent et irrident.

[2] Vox *scrupulus* repetenda dicitur ex lapillis, seu *scrupis*, qui calceis viatorum se ingerentes, pedibus molestiam afferunt.

turbant animae pacem et tranquillitatem ; 2° mentem excruciant, eamque saepenumero ad obeunda christianae pietatis officia ineptam reddunt ; 3° causa sunt ut qui iis vexantur, animum despondeant, de divina bonitate et clementia parum recte sentiant, in graves morbos incidant, et quandoque etiam in amentiam vel desperationem prolabantur.

66. — *Q.* Quaenam praecipua signa scrupulorum ?

R. Signa praecipua scrupulorum sunt : 1° *Pertinacia judicii,* unde scrupulosus plures consulit, sed nullius judicio acquiescit, imo quo plures audit eo magis perplexus evadit. 2° *Frequens judicii mutatio* ex levibus motivis, unde oritur inconstantia in agendo, mentis perturbatio, praesertim in actionibus externis, v. g. in celebratione missae, in horarum recitatione, in administratione vel perceptione sacramentorum. 3° *Reflexiones impertinentes* habere circa plures circumstantias, quae in actione adfuerint, vel adesse potuerint. 4° *Formido peccandi* in omnibus cum pertinacia proprii judicii contra judicium sapientium, et ideo numquam contentum esse una confessarii assertione, sed saepius in eodem actu eumdem exquirere an in agendo juxta consilium datum immunis esse possit a culpa. 5° *Obstinatio ad idem peccatum semper repetendum in confessione,* vel ad illud habendum ut peccatum, quod tale non esse jam pluries a confessario declaratum fuit. 6° *Anxietas continua circa confessiones praeteritas,* non obstante judicio confessarii, vel confessionum repetitione.

Non potest autem, saltem statim, judicari scrupulosus : 1° Qui moderate est sollicitus, aut anxius ne Deum offendat. 2° Qui post vitam in peccatis traductam adhuc angitur, nec post confessionem videtur sibi satisfecisse, sed magis vult confiteri et peccata expiare. 3° Qui deliberate adhuc consentit in gravia peccata, quamvis post commissum peccatum valde angatur, et anxie confiteatur, nam justa est causa anxietatis, saltem moderatae ; potest tamen etiam in hoc haberi verus scrupulosus. 4° Qui in uno tantum vel altero casu habet scrupulum transeunter, nec dubitat an in hoc vel illo peccaverit.

Ceterum in *praxi* saepe contingit ut confessarius non possit post poenitentem prima vel altera vice auditum, statim decernere an sit scrupulosus, etiamsi hic anxius circa multa appareat ; quippe anxietatum justa aliqua ac rationabilis causa adesse potest. Multo autem minus confessarius scrupulosus judicare potest, num poenitens scrupulosus sit, an tantum meticulosus [1].

67. — *Q.* Quaenam causae scrupulorum ?

R. Causae scrupulorum aliae sunt intrinsecae, aliae extrinsecae.

Causae *intrinsecae* sunt : 1° infirmitas capitis, maxime in mulieribus ; 2° indoles nimis melancholica, et disposita ad timores et suspiciones ; 3° ignorantia qua quis imprudenter praecepta Dei et Ecclesiae intelligit ; 4° occulta superbia, qua quis nimis suo judicio fidit ; 5° nimia abstinentia, vel vigiliae immoderatae.

Causae *extrinsecae* sunt: 1° Deus, qui aliquando scrupulos permittit

[1] *Lacroix,* L. 1, 517 ; *Gury,* I, 45.

justis ut purgentur, peccatoribus ut poenitentiam agant ; 2° daemon utpote inimicus hominis. (Scrupuli autem cognoscuntur esse a daemone, si adducunt ad animi teporem, vel si retrahunt a virtutis studio, vel si inclinant ad desperationem de sua salute : ita S. Ignatius a Loyola) ; 3° societas scrupulosorum ; 4° tandem lectio librorum nimis rigidorum.

68. — *Q.* Quaenam praecipua remedia contra scrupulos ?

R. Confessarius postquam e signis supra allatis jam percepit poenitentem esse scrupulosum, ei praescribat : 1° ut valde humilitatis virtutem colat, saepe enim scrupuli ex superbiae vitio ortum habent ; 2° ut caveat a lectione librorum scrupulos excitantium, et scrupulosorum conversationem evitet ; 3° ne diu moretur in examine conscientiae, praesertim circa ea in quibus magis vexatur ; 4° ut fugiat otium in quo saepe mens inanibus apprehensionibus impletur ; 5° ut instanter Deo se commendet ad opem obtinendam parendi praeceptis sui Directoris; hoc enim praecipuum, imo unicum potest dici remedium hujusmodi infirmorum esse, omnino acquiescere judicio sui superioris, sive confessarii, ut docent omnes Sancti Patres, Theologi et spirituales Magistri [1].

69. — *Q.* Circa quae praecipue scrupulosi vexantur, et quomodo circa haec confessarius se gerere debet ?

R. Scrupulosi, ut plurimum, circa haec vexantur : 1° alii anguntur pravis cogitationibus, quibus assentiri saepe timent ; 2° alii anguntur propter confessiones praeteritas, de quibus anxii sunt an rite factae fuerint ; 3° alii anguntur propter timorem peccandi in qualibet actione, quam facturi sunt.

Confessarius vero quoad *primum,* nempe quoad poenitentem *qui pravis cogitationibus angitur,* imponat ei ut hujusmodi pravas cogitationes despiciat, affirmans non pravas cogitationes, sed tantum pravos consensus esse peccata. Et in hac materia nunquam omittat uti regula illa a Doctoribus sapienter tradita, nempe, eos qui sunt timoratae conscientiae, nisi moraliter certo sciant se in grave peccatum consensisse, immunes a peccato esse judicandos ; nam, ut ait Pater Alvarez, impossibile est ut peccatum in animam ab illo abhorrentem ingrediatur, quin ab ea clare agnoscatur. Qua de re saepe expediet scrupulosis expresse imponere, ut a confessione hujusmodi cogitationum se abstineant, nisi ita certo sciant se in illas consensisse, ut id jurare possint [2]. Imo etsi dicant quod possent jurare se consensisse, ipsis tamen regulariter credendum non est ; nam in illa animi tempestate et obscuritate nihil amplius clare distinguere valent ; et si se consensisse jurarent, postea anxiarentur ne forte falsum juraverint.

Quoad *secundum,* nempe quoad poenitentem *qui semper anxius est de praeteritis confessionibus,* quia timet ne defecerit in integritate, vel dolore, confessarius non sinat eum repetere confessiones praeteritas, et multo minus instituere confessionem generalem, nec amplius verbum facere de peccatis

[1] S. Alph. L. I, 12.

[2] S. Alph., L. I, 15.

praeteritis, nisi jurare possit ea certe fuisse mortalia et item certe de iis nunquam se fuisse confessum [1].

Quoad *tertium* tandem, nempe quoad poenitentem, *qui in omni actione peccare formidat*, confessarius ei imponat ut libere agat, et scrupulos despiciat, et contra illos operetur semper ac non videt illam actionem evidenter esse peccatum. Et nihil refert quod operetur cum actuali timore, non deposito dubio (quod pene desperandum a scrupulosis) : hic enim timor non est verum conscientiae dictamen, nec est verum dubium practicum, nec tollit judicium antea ab ipso factum se non peccare in eo quod non cognoscit evidenter esse malum, siquidem tunc non agit contra conscientiam, sed contra illum inanem timorem. Imponat igitur confessarius huic poenitenti in virtute obedientiae ut parvipendat et superet scrupulum, libere operando contra ipsum, et ei injungat, ut deinde de illo amplius non confiteatur [2].

[1] Et si post confessionem rite peractam redeat poenitens, tunc confessarius inauditum eum dimittat, eidem praecipiens ut ad Communionem accedat. — S. Bernardus cuidam Sacerdoti ob scrupulos a Missae celebratione se abstinere volenti, dixit : *Vade et in fide mea celebra :* et liberatus fuit. Nec dicat scrupulosus : « Sed meus confessarius non est S. Bernardus ». Qui ita dicit, errat : poenitens enim confessario obedire debet, non quia est doctus vel sanctus, sed quia est ipsi praepositus a Deo : ergo illi obedire debet, non ut homini, sed ut Deo. Sic S. Antoninus, S. Alph. etc., L. I, 12.

[2] Licet generatim cum scrupulosis non sit disputandum, juvat tamen sequentes cognoscere difficultates, quas scrupulosi regulariter afferunt.—*Gury*, Casus Conse.

Objectio 1ª : Scrupulosus contra prohibitionem a Confessario injunctam ne plura declaret : Pater, clamat conscientia me alia habere peccata declaranda. Conscientiae meae contradicere nequeo, nec ejus clamoribus obsistere, eamque suffocare. Nunquam enim fas est contra conscientiam operari.

Responsio Confessarii : Frustra times, fili, ne agas contra conscientiam. Ubi est conscientia tua ? ubi est dictamen verum ? Ego in te aliud deprehendere non possum nisi densissimas tenebras : lumen tuum extinctum est, et loco luminis rectae rationis, erronea tua phantasia, vel etiam ipse *Lucifer, princeps tenebrarum*, suam tetram, caliginosam et fumosam lampadem accendit, et praeit, eam deferendo. Tu vero, miser et caecus in hoc lumine confidis ?

Objectio 2ª : Sed, Pater, si damnationem incurram, numquid a gehenna me liberabis ? Nonne Deus praecipit confessionem peccatorum integram ?

Sic ad haec Confessarius : Audi, fili mi : falsum est te damnationis periculum incurrere, si Confessario obedientiam praestes. Ipse te eximere potest ab obligatione plura peccata declarandi, si forte existant, quando judicat id ad animae tuae bonum expedire ; id est, declarare potest legem integritatis confessionis in tantis angustiis non urgere, teste *S. Alph.*, post multos alios. Ceterum non tuum est scire quid possit vel non possit Confessarius, sed tantum obedientiam ei praestare. Hac via certo consequeris animi pacem, quam per confessiones, etiam centies repetitas, numquam reperies.

Objectio 3ª : Pater, hoc quidem admitterem si me cognosceres, sed me minime nosti. Quomodo ergo tibi obtemperare possum, quomodo tu pro me coram Deo respondere vales, et in recta salutis via me dirigere, atque ab angustiis liberare ?

Responsio : Siste, frater : quid est hoc quod effutis ? scito et vide usquequo processerit obcaecatio tua ! Tu reformidas periculum erroris et aeternae damnationis, si duci tuo spirituali obtemperes, qui, praeter propriam experientiam et sapientiam, a Deo ad te dirigendum specialiter illuminatur ; minime vero de propria opinatione diffidis ? nullum reformidas errorem ex parte tui ipsius ? ubi igitur est infallibilitas tua ? numquid Deus te infallibilem constituit ad tui directionem, cum ne Papa quidem hujuscemodi gaudeat infallibilitate ? Sane infallibilis evadere potes, sed ad hoc

70. — *Q.* Quaenam praecipuae regulae pro confessario in directione scrupulosorum?

R. Confessarius sit patiens et benignus, nam scrupulosus magna indiget caritate, sed sit firmus in directione, pro qua sequentes teneat regulas:

Reg. 1ª. Ante omnia suadeat hujusmodi poenitenti hoc principium principale, quod coram Deo tuto incedit si patri spirituali obtemperet, tunc enim non homini obedit, sed ipsimet Deo qui dixit: *Qui vos audit, me audit;* et ei suadeat, quod major scrupulus, qui eum angere debet, est inobedientia.

Reg. 2ª. Interroganti respondeat breviter et sine haesitatione, sed cum auctoritate, et praescribat ei regulas potius generales quam particulares [1].

Reg. 3ª. Non permittat eum repetere opera jam facta, quomodocumque facta sint, nec eum sinat multum loqui de objecto sui scrupuli, imo quo minus de eo cogitat et loquitur, eo facilius et citius liberabitur.

Reg. 4ª. Percrebros sermones cum ipso habeat de maxima fiducia in Jesu Christo collocanda, qui mortuus est pro nobis, et in SS. ejus Matre, quae maxima potentia a Deo donata est erga eos qui ad se confugiunt. Quare eum hortetur ut vivat securus, semper Jesu et Mariae se committat patrocinio, qui procul dubio exaudiunt se invocantes [2].

Reg. 5ª et omnium utilior. Confessarius, ait S. Alph., in hoc sit fortis, ut sibi obedire faciat, et si poenitens non obediat, eum objurget, privet Communione, et quantum potest ejus retundat duritiem. Humaniter cum scrupulosis agendum est, sed quum in obedientia delinquunt, maximo cum rigore tractandi sunt; si enim hac obedientiae anchora illi destituantur, pereunt utique, nam aut in phraenesim labuntur, aut in morum se dant depravationem. — In *praxi* tamen praestat

consequendum una via superest, obedientia.

Objectio 4ª: Audio, Pater; sed nec Confessarius est infallibilis; quid igitur de me misero fiet si forte erraverit?

Responsio: Confessarius revera non est infallibilis *materialiter* in sua dirigendi ratione; tu autem vera gaudebis infallibilitate, ei obsequendo, cum Christus dixerit Apostolis seu Sacerdotibus: *Qui vos audit, me audit.* Igitur, si forte materialiter dux tuus erraverit, error illius tibi minime imputari potest. Sed dic mihi, quaeso, mi bone, quare adeo reformidas errorem ex parte Confessarii, et tam parum diffidis pertinaciae judicii tui, et spiritus superbiae ac tenebrarum quo repleris? Nescis quod *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam?* Verum si gratia conceditur humilitati, humilitas in obedientia et animi subjectione sistit. Quis igitur te *fascinavit non obedire veritati?* — *Galat.* III, 1.

Objectio 5ª: Pater, minime diffido sapientiae tuae, sed mihi ipsi, qui conscientiam meam tibi patefacere nequeo, et ideo continuis anxietatibus detineor et crucior.

Responsio: Contemne, frater, hos animi tui angores et cruciatus; inanes et periculosas abjice curas. Hunc statum tuum patienter sustine, et Deus aliquando te sublevabit, nec quippiam detrimenti ex his animae tuae perplexitatibus et angoribus capies. Dic ex imo corde cum regio Psalmista: *In te, Domine, speravi; non confundar in aeternum.* — *Ps.* XXX, 2.

[1] Scrupulosi regulis particularibus fere numquam se valent accommodare, quia eas sibi applicare nequeunt. Imo semper dubitant utrum casus fuerit satis bene explicatus et perceptus; utrum regula sibi praescripta casui illi sit bene applicata.

[2] S. Alph. Hom. Ap. T. I, 8, 9.

observare quod inter scrupulosos alii adsunt qui sano adhuc capite sunt, proindeque eorum obstinatio et inobedientia est omnino voluntaria et culpabilis, et isti, si non obediunt, maximo cum rigore tractandi sunt, prout dicit S. Alph. — Aliquando vero adsunt alii scrupulosi, quorum organa tanta infirmitate laborant, ut hic et nunc obedire, et tenorem, qualis a S. Alph. proponitur, sequi non valeant. In hoc casu, melius est eorum infirmitatis et debilitatis misereri, et eorum scrupulis ad tempus et ex parte indulgere, ne eos in barathrum desperationis injiciamus. Sic medicus infirmo roganti inutilis medicinae et interdum fortasse etiam aliquatenus nocentis sumptionem permittit, cum timere prudenter possit, ne hujus remedii denegatio in mortalem crisim eum projiciat. Unde cum istis si aliquando rigor a S. Alph. propositus adhiberi possit, necesse tamen est ut adhibeatur transeunter, et in fine saltem confessionis humaniter et dulciter dimittantur [1].

CAPUT III.

De certitudine, de dubio, de probabilitate, et de conscientia certa, dubia, et probabili.

ART. I.

De certitudine, de dubio, de probabilitate.

71. — *Q.* Quid est certitudo, et quotuplex?

R. Certitudo generatim sumpta definitur: *Persuasio prudens ac firma de veritate alicujus rei.*

Triplex vero distinguitur: physica, metaphysica, moralis.

1. Certitudo *physica*, quae versatur circa leges physicas, est adhaesio mentis propositioni, quae, servato naturali rerum cursu, aliter esse non potest, licet non repugnet ut aliter se habeat, attenta divina omnipotentia; sic certus quis est ignem comburere, quamvis per divinam omnipotentiam aliter contingere possit.

2. Certitudo *metaphysica* seu absoluta, quae versatur circa veritates necessarias est adhaesio mentis propositioni, quae motivo infallibili innititur, ita ut res absolute, ne per divinam quidem omnipotentiam, aliter esse possit; sic certitudine metaphysica constat duo et duo efficere quatuor.

3. Certitudo *moralis* (non sensu *stricto* seu philosophico, sed sensu *lato* seu morali sumpta), quae versatur circa actus hominis liberos, est adhaesio mentis propositioni, quae, ob rationes vel auctoritatem, prudenter et firmiter creditur non aliter se habere; unde haec certitudo non omnem prorsus, sed omnem prudentem formidinem falsitatis excludit. Porro de hac sola *morali* certitudine nos hic loquimur.

72. — *Q.* Certitudo moralis quomodo dividitur?

R. Certitudo moralis dividitur, ratione *acquisitionis*, in directam et reflexam; ratione vero *assensus*, in strictam et latam.

Certitudo *directa*, est ea quae oritur ex principiis intrinsecis rei, seu ex ipsa rei natura.

Certitudo vero *reflexa* est ea quae oritur ex principiis rei extrinsecis, seu ex principiis reflexis,

[1] Gousset, 2, 600.

nempe vel ex auctoritatis principio, vel ex applicatione alicujus principii generalis.

Certitudo *stricta*, seu summa et perfecta, est ea quae talibus innititur rationibus, ut adsit quidem possibilitas, at nulla probabilitas quod res aliter se habeat.

Certitudo vero *lata*, seu ordinaria et imperfecta, est ea quae talibus innititur rationibus, vel tali auctoritate, ut, licet adsint nonnullae leves rationes in contrarium, prudenter tamen et firmiter creditur rem non aliter se habere; sic v. g. communis peritorum sententia in aliqua re efformat hanc certitudinem latam seu moralem, licet in contrarium adsit unus vel alter mediocris auctor. — Ad rem optime pro more suo S. Alph.: Ad efformandam certitudinem moralem alicujus sententiae, non requiritur ut auctores oppositam tenentes omni ratione adhuc levi careant, sed sufficit si sententia illa, omnibus perpensis, ita vera appareat, ut contrariae vix supersit apparentia veritatis; vel ut contraria non videatur satis probabilis. Porro certitudo non resultat ex uno principio, sed ex pluribus conjecturis gravibus et verisimilibus, quae ad rem conferunt [1].

73. — *Q.* Quid est dubium, et quomodo dividitur?

R. Praemitto: Discrimen adest inter dubium, suspicionem et opinionem.

Dubium est *suspensio judicii inter opposita*, ita ut mens in neutram partem declinet. — *Suspicio* est quando mens in unam partem magis declinat, sed tentatur aliquo levi signo. — *Opinio* vero est quando mens uni parti adhaeret, licet cum formidine alterius.

Dubium dividitur: 1. *Ratione sui* seu assensus; et aliud est strictum, aliud latum. — Dubium *strictum* (seu proprie dictum) est quando mens ob rationes hinc inde aequales aut fere aequales judicium suspendit. — Dubium *latum* est quando mens ob aliquod nutamen imperfecte adhaeret uni de oppositis; est dubium improprie dictum, quod concomitatur certitudinem moralem latam [2].

2. *Ratione motivi* quo innititur, et aliud est negativum, aliud positivum. — Dubium *negativum* est quando ex utraque parte nullae occurrunt affirmandi, vel negandi, rationes probabiles, sed tantum leves. — *Positivum* est quando adsunt rationes vere probabiles et quidem aequales aut fere aequales pro utraque parte [3].

3. *Ratione objecti*, et aliud est juris, aliud facti. Dubium *juris* est quando dubitatur de existentia legis vel de ejus obligatione; dubium *facti* est quando dubitatur de facti particularis existentia, v. g. utrum sit vinum, an aqua, id in quo baptizare vis; utrum sit fera an homo in quem venator telum jacere vult. — Dubium juris subdistinguitur in speculativum, et practicum [4]. Dubium *speculativum* est quando dubitatur de rei veritate vel licitate in genere seu in abstracto, praescindendo a praesentibus circumstan-

[1] Dissert. an. 1755, n. 52.

[2] *Marc.* 38.

[3] Dubium negativum in ignorantiam; positivum in opinionem recidit. *D'Annibale*, I, 127 (10).

[4] Dubium practicum sine speculativo non intelligitur; speculativum sine practico consistere potest, et plerumque consistit. *D' Annibale*, I, 127.

tiis, v. g. utrum pingere sit opus servile necne ; an baptismus cum aqua distillata sit validus. Dubium *practicum* est quando dubitatur de licitate seu honestate actionis in particulari, hic et nunc exercendae ; v. g. an hoc die festo in istis circumstantiis mihi liceat pingere ; an hunc puerum aqua distillata liceat baptizare. Itaque semper distinguendum erit verum a licito; dubium enim speculativum licet in obliquo et potius consequenter respiciat licitum, tamen in recto et principaliter respicit verum ; e contra dubium practicum respicit licitum [1].

74. — *Q.* Quid est opinio, et quomodo dividitur ?

R. Opinio est actus intellectus qui fertur in unam contradictionis partem cum formidine alterius [2].

Opinio multipliciter distinguitur ; et alia est opinio tenuiter probabilis, alia probabilior, alia probabilissima, alia moraliter certa, alia tuta, alia tutior.

1. Opinio *tenuiter probabilis* est quae aliquo fundamento nititur, sed non tali ut valeat assensum viri prudentis ad se attrahere.

2. Opinio *probabilis* est quae gravi fundamento nititur, vel intrinseco rationis, vel extrinseco auctoritatis, quod valet ad se trahere assensum viri prudentis, licet cum formidine oppositi.

3 Opinio *probabilior* est quae nititur fundamento graviori, sed etiam cum formidine oppositi; nam opposita opinio probabilis, etsi minus verisimilis appareat, potest tamen esse vera.

4. Opinio *probabilissima* est quae nititur fundamento gravissimo, ita ut opposita censeatur tenuiter vel dubie probabilis [3] *.

5. Opinio *moraliter certa* est quae omnem prudentem formidinem falsitatis excludit, ita ut opposita reputetur omnino improbabilis [4].

6. Opinio *tuta* demum est quae removet ab omni periculo pec-

[1] S. Alph., L. I, 20, 21,

[2] S. Th., p. 1, q. 79, a. 9 ad 4.

[3] Proprie loquendo opinio probabilissimae adversa non est ea quae *tenuiter*, sed ea quae *dubitanter* probabilis est ; unde sicut probabilissima non caret omni prudenti formidine quod sit falsa, ita opinio probabilissimae opposita non caret omni prudenti motivo quod sit vera. (S. Alph., L. I, 82).

* Opinio probabilissima hic definita est prout eam accipit S. Alph., aliique recentiores.—Ceterum observare oportet, *probabilissimum* ex vi vocis significare dumtaxat motivum gravissimi ponderis ad assensum persuadendum. Quoniam vero gravissimo non opponitur leve, quemadmodum lucidissimo per se non opponitur subobscurum,sic etiam, proprie loquendo, nihil prohibet quominus sententiae probabilissimae contradicat sententia vere et solide probabilis. Quocirca definitio tradita in textu de opinione quam S. Alph. probabilissimam nominat, proprie loquendo, convenit opinioni quam veteres appellabant *unice probabilem*, quae tunc habetur, cum rationes omnes, quae prudentem suadent assensum, pro una tantum parte contradictionis militant, etsi nulla earum sit irrefragabilis. Jam vero opinio quae *hoc sensu probabilissima* dicitur, minime reapse differt ab opinione moraliter certa.

[4] Opinio moraliter certa est ea quae, etsi motivo non omnino irrefragabili nitatur, ideoque adhuc *opinio* vocetur, est tamen ejusmodi ut opposita tamquam plane improbabilis merito reputetur. Vocatur moraliter certa, quia tanta nec major est certitudo quae in rebus moralibus regulariter habetur; quaeque, etsi non sit plane infallibilis, certissimam tamen suppeditat regulam recte operandi. Hinc S. Th.: « Dicendum quod secundum Philosophum in 1° Ethic. *certitudo non est similiter quaerenda in omnibus, sed in unaquaque materia secundum proprium modum.* Quia vero materia prudentiae sunt singularia

candi. *Tutior* vero est quae magis a tali periculo removet, etsi rationibus firmioribus non nitatur. Opinio tuta ab aliis vocatur minus tuta, et hoc non in se, cum et ipsa sit secura, sed comparative ad tutiorem; haec enim in omni eventu liberat a peccato s ve formali, sive materiali ; dum opinio minus tuta, quando falsa esset, operantem a peccato formali quidem excusaret, neutiquam vero a materiali.

Hinc patet quod opinio tuta et tutior multum differunt ab opinione probabili et probabiliori ; nam major vel minor securitas alicujus opinionis desumitur a majore vel minore ejusdem distantia a peccato ; e contra major vel minor probabilitas desumitur a majore vel minore veritatis apparentia ; unde aliquando evenire potest quod aliqua opinio sit quidem tutior, sed minus probabilis [1].

75. — *Q.* Quid est probabilitas, et quomodo dividitur ?

R. Probabilitas [2] definiri potest : *Apparentia veritatis, seu verisimilitudo fundata in aliquo motivo gravi, licet absolute fallibili ;* unde major vel minor est probabilitas, prout majus vel minus grave est motivum cui innititur. — Igitur quod probabile est excludit certitudinem, et admittit possibilitatem, imo timorem quemdam errandi, plus minusve fundatum. Hoc tamen errandi periculum unice judicium *speculativum* respicit, nullomodo vero judicium *practicum*.

Probabilitas multiplex est :

1. Alia est *intrinseca*, alia *extrinseca*. Dicitur probabilitas *intrinseca*, si innititur rationibus ex natura rei deductis, quae probabilitas proinde plus minusve est talis, prout majus vel minus est pondus rationum, quibus innititur. Dicitur vero *extrinseca*, si innititur testimoniis et auctoritate Doctorum. Et haec probabilitas extrinseca constituit opinionem vere et satis graviter probabilem, quia si bene et in se perpendatur, ipsa resolvitur in probabilitatem intrinsecam ; nam graves Doctores, qui illam opinionem ut vere probabilem tradiderunt, certe bene et accurate perpenderunt rei veritatem in se, neque illam uti talem tradere voluerint, nisi rationibus satis validis innixi. Quis enim cogitare audeat ipsos temere fuisse locutos ? [3]

2. Alia est *juris*, et alia est *facti*. Prima est quae consideratur in se ipsa prout est objectum cognitionis, sine ulla applicatione ad opus ; unde respicit rei veritatem. Secunda est quae consideratur respectu ad opus, quatenus

contingentia, circa quae sunt operationes humanae, non potest certitudo prudentiae tanta esse, quod omnino sollicitudo tollatur ». 2a 2ea, q. 47, a 9, ad. 2.

[1] S. Alph., L. I, 40.

[2] Probabile, juxta vim nominis, est id quod probari potest. Nunc vero, communi Th. usu, illud est quod absolute certum non est, gravibus tamen innititur fundamentis.

[3] Doctrina solide probabilis praesumi potest, quando a viro docto et prudenti ut talis habetur, dummodo nihil adeo grave in contrarium se offerat, ut ejus opinio amplius tamquam probabilis haberi non possit. Si itaque Confessarius se gerat juxta instructionem habitam a proprio magistro, vel juxta Auctorem etiam neotericum sed publica existimatione gaudentem, vel juxta consilium viri qui pariter valde existimetur, id sufficit ut bene se gerat. Porro ex una parte publica existimatio est oculus publicus, qui mille et mille oculis componitur, et difficile decipitur, et ex alia qui frequenter errat, publica existimatione gaudere non potest. *Berardi*, Praxis. n. 1111.

nempe, omnibus inspectis, inservire potest ad dictamen practicum et certum conscientiae; unde respicit actionis honestatem.

3 Alia est *absoluta*, vel *relativa*, prout nulla vel aliqua gravis probabilitas stat ex adverso.

4. Alia est *solitaria*, vel *comparativa*, prout talis apparet in se sola spectata, vel comparata cum contradictoria. Haec autem probabilitas comparativa, per varios gradus quos admittit, dividitur in probabilem, aeque probabilem, probabiliorem et probabilissimam.

Duo sedulo hic adnotanda sunt:

1. Auctoritas unius auctoris non sufficit ad reddendam probabilem aliquam opinionem, nisi validis rationibus eam probet. Et Alex. VII. sequentem damnavit propositionem: *Si liber sit alicujus auctoris junioris et moderni, opinio debet censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a S. Sede Apostolica tanquam improbabilem.* Excipe tamen, auctorem magnae auctoritatis in Ecclesia, et *omni exceptione majorem,* uti esset S. Thomas, S. Alphonsus M. de Lig. Hinc S. Poenitentiaria anno 1831 interrogata an esset inquietandus confessarius, vel Th. moralis professor, qui in Poenitentiae tribunali sequitur sententiam S. Alph., non perpendens momenta seu rationes quibus innituntur variae ejus opiniones, sed ob solam ejus auctoritatem, respondit: *Non esse inquietandum.*

2. Major vel minor probabilitas alicujus opinionis, ut plurimum, non est absoluta, sed respectiva, nimirum non pendet a motivis intrinsecis sed a diverso opinandi modo auctorum; unde unusquisque probabiliorem vocat opinionem quae sibi magis arridet [1]. En exemplum. Inter Th. disputatur an pueri, qui ante septennium expletum certe pervenerint ad usum rationis, ad Ecclesiae leges teneantur. Suarez et alii sententiam affirmativam probabiliorem vocant [2]. E contra Alasia [3] dicit: sententia probabilior negat. Patet ergo quod saepe aliqua opinio quibusdam auctoribus probabilior videtur, dum aliis videtur probabilior opinio contraria. Et ipsemet S. Alph. ait: Non raro aliqua opinio, quae alicui probabilior apparet, alicui minus probabilis apparebit; imo sibimetipsi opinio, quae heri minus probabilis erat, hodie probabilior apparebit. — Difficile erit ergo determinare utrum aliqua opinio sit in se tantum probabilis, an probabilior [4].

[1] *D'Annibale*, I. 266, (23).
[2] S. Alph., L. III, 270,
[3] *De leg.*, c. 4, a. I, n. 8.
[4] « Optarem, ita Cl. *Frassinetti*, ut aliquis Theologus sedulo examinare vellet, an vere admittenda sit distinctio inter opiniones theologicas probabiliores et probabilissimas. Haec distinctio hodiernis Theologis tam communis, antiquis forsan ignota erat.

« Saepius enim animadverti, quod easdem opiniones alii vocarunt *probabiles*, alii *probabiliores*, alii etiam *probabilissimas;* unde censeo probabilitatem alicujus opinionis profluere, generatim loquendo, non tam ab ejusdem opinionis substantia, quam a diverso opinandi modo Theologorum. Et re vera, si aliqua opinio haberet ex se probabilitatem intrinsecam vel *majorem*, vel etiam *maximam* respectu opinionis oppositae, putarem Theologos non posse tam inter se dissentire circa eamdem opinionem, uti saepe saepius evenit. Opinio quae ex se esset probabilior, et etiam probabilissima, ex rationibus ipsi opinioni intrinsecis, uti talis admitti deberet a communi Theologorum sententia. Si opinio *A* gradus 100 probabilitatis haberet respectu opinionis *B*

ART. II.

De conscientia moraliter certa; dubia, et probabili.

76. — *Q.* Quaenam est conscientia moraliter certa; quaenam conscientia dubia; et quaenam probabilis?

R. Conscientia *moraliter certa* definiri potest: *Judicium, quo quis firmiter et absque errandi formidine credit esse licitum vel illicitum quod hic et nunc facere aut omittere intendit.*

Conscientia *dubia* est *suspensio judicii circa bonitatem aut malitiam alicujus actus.*—Haec autem alia est speculative dubia, alia practice dubia.

Conscientia *probabilis* vero, juxta S. Alph., est *ea, qua quis aliqua opinione probabili innixus, ex certis principiis reflexis, format sibi practicum dictamen rationis ad licite operandum.*

Conscientia ergo probabilis, uti a S. Alph accipitur, est in *praxi* recta regula morum, quia ex principiis reflexis suppeditat dictamen practicum et certum de moralitate actionis.

Ex dicta definitione patet magnam adesse differentiam inter opinionem probabilem et conscientiam probabilem.—Opinio judicat *in abstracto* utrum aliquid licitum sit, necne, abstrahendo a *praxi*, nempe a circumstantiis actualibus. — Conscientia vero judicat actum ipsum *in praxi*, nempe actum ipsum hic et nunc ponendum judicat cum omnibus suis circumstantiis.

77. — *Q.* Ad licite agendum quaenam conscientia requiritur?

R. I. Ad licite agendum requiritur et sufficit *conscientia moraliter certa*, quaecumque sit, sive directa, sive indirecta seu reflexa, sive stricta et perfecta sit, sive lata et imperfecta; - ratio, quia quum talis conscientia moraliter certa omnem prudentem errandi formidinem excludat, qui cum ipsa agit, vere agit ex fide, seu juxta rectam rationem; ideoque non peccat.

II. Nunquam licet operari cum conscientia *practice dubia;* - ratio, quia homo in agendo debet esse moraliter certus de rei honestate; aliter peccat, quia sic se exponit periculo peccandi, et esset reus illius peccati, cujus dubium habet. Quare si dubitat esse v. g. sacrilegium, sacrilegium committit; si dubitat esse mortale, mortaliter peccat.

III. Cum conscientia *speculative*

quae solum enumerat 50 gradus; et si opinio *C* gradus 100 haberet respectu opinionis *D* quae solum 10 gradus enumerat, opinio *A* omnibus Theologis probabilior deberet esse quam opinio *B;* et opinio *C* respectu opinionis *D* deberet esse probabilissima.

« Exclusis igitur quatuor casibus, (*ut dicetur in Tr. n.* 81), in quibus omnes Th. conveniunt quod sequenda est opinio tutior, optandum esset ut aliquis Theologus rem serio examinaret, utrum sufficeret necne unica distinctio inter opinionem *tutam* et opinionem *probabilem.* Opinio *tuta* illa esset quae excludit periculum errandi; *probabilis* vero illa quae tali motivo probabili et gravi innititur ut ad se trahere valeat consensum viri prudentis. Sic finita esset quaestio inter Theologos circa *probabiliorismum;* quaestio Theologis antiquis *forsan* ignota, quaeque *certe* nullum bonum Scientiae morali attulit postremis hisce saeculis.

« Excludenda etiam mihi videtur distinctio opinionis *tenuiter probabilis;* tenuis enim probabilitas nullomodo est vera probabilitas ». T. 1, nota 2 ad n. 15.

dubia licet operari semper ac operans per alias rationes, seu per principia reflexa, *practice* sibi efformet conscientiam moraliter certam de honestate actionis: - ratio, quia dubium speculativum stare potest cum morali certitudine de honestate actionis. Aliae enim sunt rationes, quibus judicamus de rei *veritate* in se, seu objective, v. g. an bellum sit justum; et aliae sunt rationes, quibus judicamus de rei *licitate* in subjecto agente, v. g. an in tali bello liceat militi praeliari. Hinc, licet *speculative* dubium remaneat utrum illud bellum sit justum necne; in *praxi* tamen, miles subditus potest praeliari cum conscientia moraliter certa de honestate seu de justitia belli, innixus videlicet illo principio reflexo: *In dubio standum est pro superioribus.*

78. — *Q.* Qui dubio practico laborat de honestate alicujus actionis quasnam regulas sequi debet ut licite agere possit?

R. Has regulas sequi debet:

1. Si illud dubium est *inane,* illud despiciat, et agat confidenter, quia dubium inane est contemnendum.

2. Si illud dubium est *grave,* tunc si dubitans sit rudis, cum ex se non valeat sibi conscientiam certam efformare, consulat parochum, vel confessarium, vel alium virum pium et doctum, cujus consilio acquiescat. — Si vero dubitans sit doctus, dubium prius deponere debet, sibi efformando conscientiam moraliter certam ex aliquo principio reflexo, vi cujus certus moraliter sit de illius actionis honestate [1].

3. Si autem agens capax non est hoc vel illo modo deponere tale dubium practicum, tunc tenetur vel se abstinere a tali actione, vel amplecti partem tutiorem, ne se exponat periculo peccandi.

79. — *Q.* Quaenam sunt principia reflexa?

R. Principia reflexa ex quibus conscientia *speculative dubia* potest evadere *practice moraliter certa,* primaria duo sunt; secundaria, ex principiis primariis deducta, plura enumerantur.

Principia primaria

1. *Lex dubia non obligat;* vel: *Lex dubia non potest certam inducere obligationem.* Et sane: Lex, quum sit regula seu mensura actuum humanorum, ut vim habeat obligandi, debet esse sufficienter promulgata, et quidem ut *certa;* si enim promulgatur ut dubia, promulgatur dumtaxat dubium. Atqui lex dubia non est sufficienter promulgata. Ergo. Praeterea: Effectus nunquam potest esse major sua causa; hoc principium evidens est. Atqui talis esset, si ex lege *dubia* oriretur obligatio *certa.* Ergo...

2. *In dubio melior est conditio possidentis* [2]. Hoc principium possessionis certe valet in materia justitiae, et in hoc conveniunt Th. At Probabilioristae censuerunt valere tantum in materia justitiae,

[1] S. Alph., L. I, 24.

[2] Bene advertunt DD. id procedere, quando est merum dubium negativum; nam si esset dubium positivum et rationes probabiles pro utraque parte, tunc servandae essent regulae, quae communiter dantur circa conscientiam probabilem, et regulariter debitor amplecti potest judicium probabile. (Ita *De Lugo, de Just. et Jur.* Disp. 23, n. 110). *Ballerini ad Gury,* I, 79, (a).

ne videlicet ex hoc principio, quod ab omnibus receptum videbant, vis accederet alteri principio, quod ipsi impugnabant, nempe: *legem dubiam non obligare* [1]. — At in sententia longe communiori et probabiliori hoc principium possessionis, licet in materia justitiae *strictius* valeat, sive quia justitia ceteris virtutibus rigidior est, sive quia possessio praesumptionem parit in favorem possidentis, tamen valet etiam in omni alia materia. — Ad rem sic S. Alph.: Licet aliqui hoc principium infirmare conentur, dicentes quod valet tantum pro foro, vel tantum in materia justitiae, ego tamen nescio quomodo in omnibus negari possit. Quaestio tantum esse potest: *An in quolibet dubio morali possideat lex aut libertas.* Antiprobabilistae dicunt, semper legem possidere; nos vero dicimus, aliquando possidere legem, aliquando libertatem, quando nempe lex non est adhuc promulgata. Haec, dico, quaestio est; sed nemo negare potest principium, meliorem semper esse possidentis conditionem. Casu igitur quo possidet lex, pro ea standum est; si vero possidet libertas, standum pro libertate.

Hinc in dubio an aliqua lex existat, vel an sit promulgata, vel an comprehendat hunc vel illum casum, tunc possidet libertas, quia haec antecedenter est certa, et lex esset in hisce casibus tantum dubia. E contra, si aliqua lex est certa, et a legitimo superiore, et promulgata, et dubium oritur an sit acceptata, vel an adsit dispensatio, etc., tunc possidet lex, et ideo observanda erit.

Ex dictis consequitur quod adolescens in dubio an expleverit 21um annum, nondum tenetur ad jejunium, quia tunc possidet ejus libertas. E contra ad jejunium adhuc tenetur senex in dubio an pervenerit ad annum 60um, quia in hoc casu possidet lex. — Idem dicendum de eo qui nocte feriae quintae dubitat an jam pervenerit hora mediae noctis vel non, iste poterit carnem manducare, quia adhuc possidet ejus libertas. E contra in tali dubio non poterit carnem manducare in nocte feriae sextae quia adhuc possidet lex [2].

Principia secundaria [3].

1. *In dubio de possessione standum est pro ea parte pro qua stat praesumptio.* Porro praesumptio stat pro ea parte quae non tenetur factum probare; tenetur autem probare altera pars; v. g. Titius possidet horologium, unde praesumitur habere jus in illo, et jure possidere; sed insurgit Cajus qui e contra dicit horologium esse suum. Cujusnam erit onus probandi rem? Certe Caji. Ergo praesumptio stat pro Titio.

2. *In dubio facti, factum non praesumitur, sed probatur.*

3. *Nemo praesumitur malus, nisi probetur.*

4. *In dubio delicti favendum est reo.*

5. *In dubio judicandum est ex ordinarie et communiter contingentibus.* Quod enim in plerisque casibus, et ex consuetudine evenire

[1] *Gury*, I, 79.
[2] S. Alph., L. I, 26, 27.
[3] Principia secundaria quae hic enumerantur, etsi saepe locum habeant etiam pro foro interno, ut plurimum tamen tradi solent pro externo et judicio juridico.

solet, in iisdem rerum adjunctis idem evenisse censendum est. Hinc v. g. in dubio an puer ad usum rationis pervenerit, pervenisse praesumitur si septennium compleverit; secus non. Sic in dubio an quis pravae cogitationi consenserit, praesumitur non consensisse si vir est pius et timoratae conscientiae, quia iste ordinarie non consentit; secus si est vir malus et conscientiae laxae. Sic in dubio an in recitatione breviarii quis omiserit aliquam partem, et solitus erat dato tempore illud diligenter recitare, judicandum erit pro recitatione.

6. *In dubio de valore alicujus actus, standum est pro ejus valore, donec certo non probetur contrarium.*

7. *In dubio omne factum praesumitur rite factum, quod jure faciendum erat.* Sic qui horas canonicas persolvit, vel sacramentalem poenitentiam adimplevit, in dubio an satisfecerit tenendum est quod *rite fecerit, quod facere debuerat,* donec certo non probetur contrarium.

8. *In dubio favores sunt ampliandi, odia restringenda.*

9. *In dubio standum est pro superiore.*

10. *In dubio quod minimum est tenendum;*[1] nempe in dubio an lex aliquod onus importet, eligimus interpretationem quae minimum onerat.

CAPUT IV.

De variis systematibus circa probabilitatem, et de usu opinionis probabilis.

ART. I.

De variis systematibus circa probabilitatem.

80. — *Q.* Quot sunt Th. Moralist. Systemata circa probabilitatem?

R. Praemitto: *Systema morale* est: *Complexus regularum, quibus controversiae morales ex probabilibus opinionibus exortae in* praxi *dirimuntur.* Hac praemissa definitione: Systemata Moralistarum ad sex reduci possunt, et sunt: 1° Laxismus; 2° Tutiorismus vel Rigorismus absolutus; 3° Tutiorismus, vel Rigorismus mitigatus; 4° Probabiliorismus; 5° Aequiprobabilismus; 6° Probabilismus. —Cl. D'Annibale tria tantum systemata recenset[1]: 1° Tutiorismus seu Probabiliorismus; 2° Aequiprobabilismus; 3° Probabilismus.

I. **Laxismus** tenet quod licet sequi opinionem etiam tenuiter probabilem pro libertate, licet opinio pro lege sit probabilissima.—Haec sententia non potest licite teneri, quia opinio tenuiter probabilis nequit ad se trahere assensum viri prudentis; imo tenuis probabilitas dici nequit vera

[1] *D'Annibale*, I, 256.—Illud dictum: *Qui probabiliter agit prudenter agit*, potest esse verum vel falsum, pro diverso sensu quo accipi potest. Est *verum*, si intelligatur quod potest licite operari cum probabilitate, modo per principia reflexa conscientiam moraliter certam quis sibi faciat de honestate actionis. Et hoc sensu aliquando Th. moralistae, brevitatis causa, sententiam quam amplectuntur, probabilem simpliciter vocant, sed penes ipsos illud probabile, in *praxi* non est amplius probabile, sed ob aliquod principium reflexum est moraliter certum — Est *falsum*, si intelligatur, quod agens potest licite operari cum sola probabilitate. Et hoc sensu S. Alph. in quadam sua dissertatione confessus est se non tenere probabilismum sed reprobare. S. Alph., L. I, 55 et seg.

probabilitas, sicut tenuis peritia, dici nequit vera peritia, sed potius imperitia; ideoque, ait S. Alph., non est prudentia, sed imprudentia velle eam sequi[1]. Hinc contra Laxistas Innocentius XI hanc damnavit propositionem: *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

Haec propositio damnata fuit quia statuit quod opinione probabili utens *semper* prudenter agit, ideoque etiam in casibus in quibus lex certa id vetat — Praeterea: si nomine *tenuis probabilitatis* ea intelligitur quae nequit ad se trahere assensum viri prudentis, illa propositio etiam damnabilis erit ob rationem a S. Alph. super allatam[2].

2. Tutiorismus strictus, vel **Rigorismus absolutus** tenet quod tunc tantum aliquam opinionem quae libertati favet sequi possumus, quum sit moraliter certa, et tenet ne opinionem quidem probabilissimam sequi licere.—Sed Rigorismus est alienus a spiritu Christi, qui dixit: *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* Rigorismus enim onus intolerabile imponendo illaqueat conscientias, auget peccata, generat desperationem, aedificat ad gehennam. Unde Alexander VII hanc damnavit propositionem: *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles, probabilissimam.*

3. Tutiorismus, vel **Rigorismus mitigatus** non requirit quod opinio pro libertate sit omnino certa, ut volunt Tutioristae rigidi, sed requirit quod opinio quae libertati favet sit probabilissima. — Sed S. Alphon. evidenter demonstrat quod haec sententia, quae opinionem tantum probabilissimam pro libertate permittit, difficulter ab ejus auctoribus *in praxi* potest adhiberi quin in rigorismum absolutum labantur[3].

4. Probabiliorismus tenet quod sequi possumus opinionem quae libertati favet, in solo casu quod sit vere probabilior.—Si vero opinio probabilior stat pro lege, et probabilis pro libertate, vel si opinio est aeque probabilis pro lege ac pro libertate, tunc nos tenemur sequi opinionem probabiliorem, vel aequiprobabilem pro lege, relicta probabili pro libertate[4].

Haec sententia multis ac magnis incommodis scatet. Nam dum affirmat necessitatem legem servandi, quando obligatio legis nondum est certa, novas obligationes legi Dei addit, et sic difficultates ad salutem consequendam adauget[5].

5. Aequiprobabilismus juxta alios[6] tenet quod tunc solum licet sequi opinionem quae favet liberali, quando est aeque probabilis ac opposita quae favet legi; juxta alios vero[7] tenet quod in concursu duarum opinionum aeque vel fere aeque probabilium, quarum una favet legi, altera liber-

[1] S. Alph., L. I, 56.
[2] *Ballerini ad Gury*, 58 (b).
[3] S. Alph. Hom. Ap. T. I, 33.
[4] Probabilioristas, qua tales, qui *ex consilio* probabiliora sequuntur, laudabilissime operari affirmamus. Probabilioristis, strictetalibus, qui *ex praecepto*, quod nunquam clare probant, se ipsos et alios ad probabiliora impellunt, merito rigoristarum nomen imponimus. S. Alph., L. I, 85.
[5] *Suarez*, de leg., L. VIII. c. 3, n. 19.
[6] *Lehmkuhl*, I, 74.
[7] *Marc.*, 86.

tati, tunc non semper pro lege, neque semper pro libertate standum esse, sed pro ea parte quae in possessione est, ideoque si lex possidet, sequenda est opinio quae favet legi; si vero possidet libertas sequi possumus opinionem quae libertati favet [1].

6. Probabilismus e contra tenet quod etiam in concursu opinionis probabilioris quae favet legi, sequi possumus opinionem quae favet libertati, dummodo sit vere probabilis seu gravi ratione innixa; ratio, quia obligatio certa non est, nisi adsit certa lex; at vero quando opinio pro libertate est vere probabilis, seu gravi ratione innixa, lex certa dici nequit.

Ceterum Th. omnes conveniunt nullam legem obligare nisi fuerit sufficienter promulgata; sed dissentiunt quandonam lex dicenda sit sufficienter promulgata. Haec est dissensio utrum lex dubia, quam nempe extare alii affirmant, alii vero negant, sufficienter promulgata dici possit [2]. Hoc toto, aut certe praecipuo, versamur cardine rerum [3].

[1] Th. conveniunt quod, cum inter utramque opinionem modica est praeponderantia, ita ut valde tenuis et dubius sit excessus, tunc ambae opiniones aeque probabiles existimantur juxta commune illud axioma: *Parum pro nihilo reputatur.* S. Alph., L. I, 55.

[2] *D'Annibale*, I, 257.

[3] *Brevis historica notitia circa Probabilismum.* — Ad nomen systesmatis probabilismi invehendum, sic Cl. *Lehmkuhl*, ansam dedit primo *Medina* O. P., qui in suis commentariis in S. Thomam in 1ª 2ae, q. 19, a. 6, dissertis verbis principium statuit: Si opinio est probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita probabilior sit. At rem non novam proposuit, quum hucusque valuisset doctrina communiter admissa, ex diversis opinionibus, modo sint solidae doctrinae, posse unam etiam practice teneri. Quo etiam factum est, ut Medinae doctrina nullam admirationem aut bellum contra se excitaret, imo usque ad medium sequentis saeculi apertos adversarios duos tantum nacta sit eosque e Societate Jesu, Comitolum (circa annum 1609) et Bianchi sub nomine Candidi Philalethis (circa annum 1642).

Igitur in propugnando probabilismo convenerunt cum laicis, Presbyteri, Episcopi, Cardinales; cum clero saeculari, regulares; discipuli S. Thomae, cum Scoti discipulis; Dominicani cum Jesuitis, eo praeciso tempore, quo celebres de gratia controversias habebant; demum cum Universitatibus Hispaniae, Italiae, Germaniae, Facultates Parisienses, Lovan., Duacena. Hinc ipsemet Th. Gonzalez, acerrimus probabilismi adversarius, et secundum S. Alph. intolerabilis rigorismi fautor, fateri cogitur probabilismum usque ad annum 1656 omnes fere Theologos traxisse in sui assensum, et nullam fortasse doctrinam esse, quae cursu non longo temporis plures sectatores et defensores habuisset. Et Opstraet, alter probabilismi adversarius, aperte confitetur quod probabilismus erat doctrina communis et universalis per Ecclesiam.

Postquam vero Alex. VII, 1656 et 1666, et Innoc. XI, 1679, plures theses laxas damnavit, et inter eas aliquot quae systema probabilismi tangere videbantur (quamquam re ipsa nullatenus ipsum systema respiciebant), complures probabilismi adversarii exorti sunt. Theses illae damnatae sunt 27 ab Alex. VII proscripta: *Si liber est alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet eam rejectam esse a Sede Apost. tamquam improbabilem.* Et Theses. 1. 2, 3, ab Innoc. XI damnatae: 1° *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore...* 2° *Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.* 3° *Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

Quae theses, ut dixi, verum probabilismum nullatenus petunt. At negari nequit ex eo tempore probabilismum plures nactum esse adversarios. Imprimis autem Jansenismi asseclae et fau-

ART. II.

De usu opinionis probabilis.

81. — *Q.* Est ne licitus usus opinionis probabilis ?

R. I. Si agatur de probabilitate *facti,* seu de *aliquo effectu necessario obtinendo,* qui a nostra persuasione non pendet, sed valida tantum actione obtineri potest, puta de periculo damni vel proprii, vel alterius, quod justitia vel caritas cer e praecavere jubet; tunc conveniunt Th. quod non licet sequi opinionem probabilem, nec probabiliorem, sed opinio tutior tenenda est : - ratio, quia nostra existimatio rei veritatem non mutat, et agens sequendo opinionem contrariam etiam probabiliorem, periculo se exponeret illum effectum non consequendi ; ergo cum illum effectum necessario consequi teneatur, media nonnisi certe valida adhibere debet.

Hinc Th. omnes conveniunt quod sententia tutior tenenda est in quatuor sequentibus casibus :

1. Quando agitur *de rebus necessariis necessitate medii ad salutem;* tunc enim factum unice attenditur, proindeque sola media tuta sunt adhibenda, et major probabilitas non sufficit, nec tollit periculum damnationis ; unde hic valet axioma : *Nulla nimia securitas, ubi periclitatur aeternitas.* Et propositio : *In materiis fidei et salutis aeternae non est tenenda sententia tutior,* damnata fuit. Hinc in materia quae ad religionem pertinet, tenemur sequi sententiam tutiorem, ac per consequens amplecti debemus religionem magis tutam, qualis est procul dubio nostra Catholica ; et qui in dubio aliam amplecteretur, etiamsi haec videretur ipsi probabilior, damnum tamen suae aeternae salutis non effugeret [1].

2. Quando agitur de *validitate Sacramentorum;* quia validitas Sacramentorum non pendet ab opi-

tores in eum insurrexerunt eo fine, ut Jesuitas, qui longe maxima ex parte semper probabilismum docuerunt (etsi aliorum Ordinum socii in eo defendendo non segniores fuerint), laxitatis accusarent atque calumniis opprimerent.

Verum etiam alii putaverunt, sibi ab illa probabilismi regula eousque communissima recedendum esse. Ita refert Simar quod Ordò Theatinorum in capitulo generali anno 1598 suis injunxit ut probabiliorismum defenderent, et teste Billuart idem injunctum est Ordini Praedicatorum in generali capitulo anno 1656; atque etiam ex aliis religiosis familiis, et ex clero saeculari non paucos fuisse constat qui ad probabiliorismum declinarent, ut ex Societate Jesu Thyrsus, Gonzales, Antoine, Elizalde, Camago.

Nihilominus, si confers catalogum scriptorum operi S. Alphonsi praefixum, primo intuitu patet, semper majorem partem Theologorum mansisse ex partibus probabilismi, etsi aliqui etiam ante S. Alph. principia sua ita enuntiare maluerint, ut aequiprobabilismum potius defendere viderentur.

Imo praecedente saeculo S. Alphonsus, etsi in rigidiore schola edoctus, singulari sua prudentia, et sanctissimo zelo majoris Dei gloriae et animarum salutis brevi perspexit, ad benigniores sententias redeundum esse. Quas ut in usum iterum induceret, strenuissime laboravit, neque sine speciali Dei providentia, ut Pius IX in Constitutione, qua sanctum virum in Doctorem Ecclesiae proclamavit, aperte dicit, id factum est, quo videlicet erroris tenebrae, et lubricae viae tum nimiae levitatis, tum periculosae severitatis evitarentur. Sibi autem S. Doctor ipse non minus continuas vexationes atque laxitatis incriminationem conciliavit, quam tot Societatis Jesu scriptores, quos praecipue in singulis quaestionibus secutus est. — *Lehmkuhl S. J.,* 78.

[1] S. Alph., L. I, 43.

nione hominum, vel a conscientiae dictamine, sed ab institutione Christi; et opinio contraria, etsi probabilior, si falsa forsitan esset, non redderet Sacramentum validum. Unde in valore Sacramentorum opinio tutior est tenenda; - ratio, quia aliter exponeretur Sacramentum periculo nullitatis, et proximus periculo damni spiritualis [1].

Excipe tamen duos casus: 1° in casu necessitatis; quia, quum Sacramenta sint propter homines, in casu necessitatis ipsa administranda sunt meliori modo quo fieri potest; ad reverentiam tamen Sacramenti salvandam, conferri debent sub conditione, excepto quandoque Sacramento Extremae Unctionis, ut suo loco videbimus; 2° quando Ecclesia supplet defectum jurisdictionis, si forte haec desit, in Sacramento Poenitentiae; vel aufert impedimentum dirimens, si forte adsit, in Sacramento Matrimonii, ut suo loco dicetur.

3. Quando agitur *de damno spirituali aut temporali sive proprio sive alieno, quod quis praecavere aut impedire tenetur*. Quare in his quae *proximum periculum peccandi formaliter continent,* vel propter humanam fragilitatem, prout in lubricis, vel propter hallucinationis periculum, ut in expetenda punitione offensoris, in materia simoniae, in lectione pravorum librorum, sententia tutior est eligenda. — *Item,* quando agitur *de periculo damni proximi,* semper ac proximus est in certa sui juris possessione, quia ex una parte jus certum proximi illaesum servari debet, et ex altera ejus damnum non a maiore probabilitate, vel a dictamine conscientiae, sed a facto posito pendet. Hinc venator v. g. in dubio probabili utrum objectum in nemore latens homo sit an fera, nequit arma explodere, secus ageret non contra legem dubiam, sed contra legem certam; in tali enim casu certa lex est ne in probabile periculum conjiciatur vita proximi, qui certum jus habet ne laedatur [2]. Dixi: *Semper ac proximus est in certa possessione sui juris;* nam si jus

[1] Hic praestat integram referre propositionem ab Innocentio XI damnatam die 2 martii 1679. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.*

Haec porro propositio damnata est *prout jacet.* Est autem propositio *complexa,* quae *copulative* et *illative* continet duas partes. Prima est: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.* Secunda est: *Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.*— Est autem regula generaliter tradita a Theologis quod non semper ac damnatur propositio aliqua complexa, eo ipso damnentur *singula membra* quae in ea continentur, sed satis est si unum saltem eorum damnabile sit. Jam vero in recitata propositione secundum membrum sine dubio damnabile est, nec ullo modo legitime sequitur ex priori membro. Saepenumero enim contingit ut grave damnum habeatur non solum si probabilis sententia adhiberetur in collatione Baptismi, vel Ordinis sacerdotalis aut episcopalis, sed etiam in aliis. Quare etsi prima pars recitatae propositionis foret vera, secunda tamen, atque ideo *integra* propositio, damnabilis foret.

[2] S. Alph. Hom. Ap. Tr. I, 24.

alterius est incertum, tunc melior erit conditio possidentis ; et si nullum jus certum alterius laeditur, nulla erit obligatio restituendi.

4. Quando agitur de homine qui in agendo *tenetur uti mediis tutioribus,* et hoc vel ex praecepto, vel ex tacita aut expressa conventione. Hinc judex, notarius publicus, medicus proprium munus exercens tenetur inter diversa media illud eligere quod sibi tutius apparet[1].

II. Si e contra agatur de probabilitate *juris*, seu de *sola licitate* vel *illicitate actionis respectu operantis,* quae nempe a nostra persuasione pendet, tunc Th. discrepant inter se circa usum opinionis probabilis ; unde habentur diversae Th. sententiae, seu diversa systemata ut dictum fuit.

82. — *Q.* Confessarius potest ne uti opinione probabili : 1° ad eximendum poenitentem ab obligatione ; 2° ad obligationem ipsi imponendam ?

R. Ad 1um affirmo, quia quando hinc e inde adest opinio vere probabilis, obligatio legis non est certa, ideoque confessarius potest poenitentem ab obligatione eximere.

Ad 2um disput. Th. Alii cum Berardi[2] affirmant, saltem si poenitens non reluctet, ratio quia non est inquietandus Confessarius qui omnes sequitur opiniones S. Alph., qui plerasque tenet opiniones legi faventes, uti patet in casu de contractu rei turpis, quo in casu, licet S. Doctor dicat opinionem contrariam probabilem, tamen dicit quod sententia probabilior et communis tenet quod post factum adest obligatio solvendi pretium[3]. Attamen si poenitens expresse petat an adsit aliqua sententia quae eum ab obligatione liberet, Confessarius tenetur vel a dando consilio se abstinere, vel opinionem contrariam manifestare, secus poenitentem deciperet.—Plures vero Th. negant posse Confessarium uti opinione probabili ad imponendam obligationem. Cl. Ballerini[4] sic habet :

« Non licet Confessario uti opinione probabili ad imponendam obligationem quando opposita quoque est probabilis. Nec refert quod poenitens id nesciat ; iniquissimum enim foret poenitentis ignorantia ita abuti, ut ipsi imponatur obligatio, quae a Deo legislatore non imponitur ». Et Cl. Gury[5] idem repetit, et subdit quod si Confessarius juxta opinionem probabilem contra aliam probabilem imponeret obligationem restituendi, injuste et cum damno poenitentis illam imponeret, et proinde ipse ad restitutionem erga poenitentem teneretur. Idem dicunt Cl. D'Annibale, Frassinetti.

83. — *Q.* Quodnam est systema S. Alphonsi ?

R. Praemitto : Quum systema S. Alphonsi posi iva gaudeat S. Sedis approbatione, et solemni Rom. Pont. oraculo tuto id sequi possimus, certe omnibus aliis *in praxi* praeferendum est, unde omnes Th. recentiores illud tenere profitentur. Hoc praemisso: Circa systema S. Alphonsi, plu-

[1] S. Alph., L. I, 41-45.
[2] Praxis, n. 1111.
[3] S. Alph., L. III, 712.
[4] *Ballerini ad Gury*, Vol. I, 80, 7, (*a*).
[5] Casus consc. n. 70.

res volunt quod genuinum ejus systema sit *Aequiprobabilismus ;* plures vero quod sit *Probabilismus* [1]. Cl. Marc. sic habet: « Aequiprobabilismus est genuinum systema S. Alphonsi, quod saltem ab anno 1762 definitive amplexus est. Ante hunc annum visus est magis Probabilismo, quam Aequiprobabilismo favere. Sed a praedicto anno post diligentiorem rerum disquisitionem ac ponderationem, et post multas preces Deo fusas, priorem suam haesitationem abjecit, et hoc systema ut suum statuit et constanter tenuit [2] ». — Et hoc verum est si quaestio sit de *nomine,* vel de *verbis.*

At si quaestio sit non de verbis, sed de ipsa re, seu de substantia doctrinae, plures contendunt S. Alphonsi systema Probabilismum esse. Hinc Cl. Ballerini sic scribit: « Quidam dixerunt S. Alphonsum de Lig. auctorem esse systematis Aequiprobabilismi. At non ita intellegi id debet, nec potest, quasi a communi systemate Probabilismi, quod et ipse acerrime defendit, aliquando vir sanctus recesserit [3] ». Item tenet Cl. Bucceroni (vol. I, 131).

Et Cl. Lehmkuhl haec habet: « Utut S. Alphonsus in posterioris aetatis suae scriptis Aequiprobabilismum profitetur, tamen vix ullam sententiam probabilistarum, modo vere probabilis sit, expunxit, aut licitam practice esse negavit; imo adsunt opiniones, quas sequi licere S. Alph. affirmat, etsi graves auctores probabilistae negent.—Ceterum, systema Aequiprobabilismi, si non stricte *vim vocis,* sed *sensum* eorum, qui eum profitentur, accipiamus, vix a Probabilismo discrepat. Nimirum admittunt licere sequi eam sententiam libertati faventem, quae sive aequeprobabilis, sive fere aequeprobabilis *etsi paulo minus probabilis* sit, quam contraria. Insuper de probabilitate alicujus sententiae ejusque gravitate etiam ex scriptorum auctoritate externa merito judicare posse censent; quo necessario fit, ut vix quidquam illicitum dici possit secundum Aequiprobabilismum ita moderatum, quod Probabilismus licitum esse declaret. Si quid enim gravi ratione nititur, atque multis viris doctis et probis *simpliciter probatur,* quomodo fieri potest ut illis vel pluribus eorum id ipsum saltem fere aeque probabile non appareat, quam contrarium? Neque id temere dici, ipsa experientia plane demonstrat [4] ».

[1] Revera S. Alph. in concursu duarum opinionum aeque vel fere aeque probabilium aliquando stat pro possessione legis, aliquando pro possessione libertatis. En exemplum. Titius est in dubio an adimpleverit praecepto recitandi officium, et Cajus in dubio an adimpleverit praecepto confitendi aliquod peccatum mortale. Dubium in utroque casu est positivum, ita ut Titius probabiliter judicet jam officium dixisse, et Cajus probabiliter judicet jam illud peccatum confessum fuisse. Videtur quod solutio eadem esse debet. Attamen S. Alph. dicit quod Titius non tenetur officium recitare (Lib. IV, 150), Cajus vero tenetur peccatum confiteri (Lib. VI, 477). Item in dubio an quis adimpleverit votum, stat pro lege, quia possidet (Lib. I, 28); in dubio vero an sexagenarius adhuc teneatur legi jejunii, stat pro libertate, etsi possideat lex (Lib. III, 1036). Hinc est quod Th. merito disput. an systema S. Alph. sit Aequiprobabilismus, vel Probabilismus.

[2] *Marc.* 90.

[3] *Ballerini ad Gury*, I, 80, 3, (*a*).

[4] *Lehmkuhl*, 77.

Et Cl. D' Annibale scribit : « Illud in primis meminisse juverit S. Alph. ea quae primo initio jecit fundamenta *Probabilismi,* nunquam postea mutasse[1]: *Probabilismi moderati*, inquam, et non *Aequiprobabilismi* nondum extantis. Et quae postea Aequiprobabilismo tuendo scripsit, disseruit (ab anno 1748 et 1755 usque ad vitae suae exitum) illa ad tuendum moderatum Probabilismum apprime deservire »[2].

Et Cl. Professores Theologiae Seminarii Claromontensis sic habent[3]: Aequiprobabilismus et Probabilismus conveniunt quoad substantiam theoriae, disconveniunt quoad accidentia quaedam tantum.

Conveniunt quoad substantiam. Nam — 1° Probabilismus simpliciter dictus supponit obligationem, de qua agitur, esse speculative dubiam, ob rationes utrinque probabiles ; si enim probabiles non essent rationes, nullum esset dubium, et vana esset disputatio; hoc autem est etiam aequiprobabilistarum capitale principium.—2° Probabilismus requirit ut opinio minus tuta sit certe et solide probabilis, nec istam probabilitatem perdiderit per rationem contrariam ; hic iterum nec aliud nec plus exigit Aequiprobabilismus.—3° Probabilismus fundat judicium practicum non in opinione ipsa quae incerta est, nec in ejus probabilitate quae forte falsa est, sed in principio reflexo quod in dubiis non constat de obligatione; ideoque non agit temere, sed prudenter, qui sequitur id quod ratio vel auctoritas dicunt esse probabile; nihil solidius aut clarius in Aequiprobabilismo exigitur.

Disconveniunt quoad accidentia quaedam, scilicet — 1° *Quoad verba* quibus thesis ab utraque sententia ponitur; siquidem Aequiprobabilismus requirit ut opinio minus tuta sit *aeque* aut *fere aeque* probabilis ; sed *in praxi* opinio *fere aeque* probabilis parum differt ab opinione *minus* probabili, praesertim si cum S. Alph. in hujusmodi *fere aequali* probabilitate includatur quaelibet opinio probabilis, cui non opponitur altera quae sit *certe* vel *notabiliter* probabilior. — 2° *Quoad modum procedendi* in perpendenda probabilitate ; aequiprobabilista enim, juxta suam theoriam, judicare debet de opinionis probabilitate non tantum absoluta, sed respectiva; probabilista vero inquirit tantum de certa et solida probabilitate *in se et absolute* considerata. Probabilista dicit probabile quod habet solida fundamenta intrinseca, vel extrinseca. Aequiprobabilista probabile asserit quod habet fundamenta aeque vel fere aeque solida ac ejus oppositum. At S. Alph. qui, ut omnes norunt, auctor est Aequiprobabilismi, hanc formulam non videtur addidisse ad probabilitatem augendam, sed ad veram solidamque probabilitatem discernendam regulamque praebendam pro usu opinionis probabilis. Ergo praesens discrimen Probabilismi et Aequiprobabilismi accidentale videtur et extrinsecum, non vero substantiale et intrinsecum. Ergo

[1] « Il vero si è che Mons. Liguori meglio ponderando le cose, varie opinioni ritrattò : ma non ritrattò giammai il suo sistema morale, nè mai cambiò i suoi principii ». Così *Tannoia*, Vita di S. Alfonso, L. IV, c. 16, p. 647, Torino, 1867.

[2] *D' Annibale*, I, 263 (10).

[3] Tom. V, De Consc., cap. II.

S. Alphonsus, per vocem Aequiprobabilismi, novam tantum probabilitatis formulam, novamque pro ejus usu regulam non vero novum systema tradere voluit, ut ipse expresse declarat.

Ratio autem praecipua cur Probabilismus *in praxi* sit a Confessario praeferendus Aequiprobabilismo, haec est : aequiprobabilista quum judicare debeat de opinionis probabilitate non tantum absoluta, sed *respectiva*, inquirere tenetur an opinio contraria sit vere probabilior ; e contra probabilista, quum inquirat tantum de certa et solida probabilitate *in se et absolute* considerata, statim ac opinionem invenit, quae solidum habeat fundamentum intrinsecum vel extrinsecum, ipsam prudenter amplecti potest, quin ulterius inquirere teneatur, sicque non remanet anceps aut perplexus.

84. — *Q.* Quomodo comprobatur systema Probabilismi ?

R. Systema Probabilismi comprobatur :

1. *Ex ratione.* Natura legis cujuscumque talis est, ut quoadusque lex est dubia non obliget. Atqui in concursu duarum opinionum, quarum una stat pro lege, et altera pro libertate, si opinio quae stat pro libertate est vere et solide probabilis, tunc lex certa dici nequit, ideoque est dubia. Ergo... — Praeterea : Probabilistae contendunt quod lex est dubia non solum quando dubitatur de ejus existentia, in quo conveniunt aequiprobabilistae, sed etiam quando dubitatur de ejus cessatione, nam ut ait S. Alph. [1] quando probabile est quod lex abolita sit, tunc cessat praesumptio pro lege, et possidet libertas. Ergo...

[1] S. Alph., L. III, 112, q. 3.

2. *Ex auctoritate.* Si enim inspiciantur scholae catholicae per totum orbem diffusae, dici potest quod nunc in omnibus traditur systema et doctrina S. Alph. seu doctrina *Probabilismi moderati*, praesertim Romae, quae merito haberi debet uti centrum scientiarum theologicarum, et ubi falsa doctrina et quidem publice, tacente Ecclesia doceri profecto nequit. Ergo...

3. *Ex approbatione Ecclesiae saltem implicita* in approbatione operum S. Alphonsi de Lig. Nam, praeter rationes intrinsecas quae ejus doctrinae favent, adest etiam positiva approbatio S. Sedis.

Interrogata enim fuit S. Poenitentiaria, anno 1831, ab Eminent. Card. de Rohan :

1. *Utrum S. Theologiae Professor opiniones, quas* [2] *in sua Theologia profitetur S. Alph. de Lig. sequi tuto possit ac profiteri ?*

Respondit : *Affirmative*, quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.

2. *An sit inquietandus Confessarius, qui omnes S. Alph. a Lig. sequitur opiniones in praxi sacri Poenitentiae tribunalis, hac sola ratione quod a S. Sede Apostolica nihil in operibus ejus censura dignum repertum fuerit ?* — Confessarius, de quo in dubio, non legit opera beati Doctoris, *nisi ad cognoscendam accurate ejus doctrinam*, non perpendens momenta rationesve quibus variae nituntur opiniones ; sed existimat se tuto agere, eo ipso quod doctrinam quae nihil censura dignum continet, prudenter judicare queat *sanam* esse, *tutam nec nullatenus*

[2] Quas videlicet non reformavit.

sanctitati evangelicae contrariam.

Respondit: *Negative,* habita ratione mentis Sanctae Sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonizationis [1].

Utrumque responsum a Papa Gregorio XVI approbatum et confirmatum fuit. — Quid ultra et melius desiderari potest ad sequendum systema et doctrinam S. Alphonsi de Lig.?

85. — *Q.* In praxi expedit ne opiniones rigidas an benignas praeferre?

R. In praxi cavenda est nimia indulgentia, et nimius rigor, cum utrumque sit animabus noxium [2]. Cavenda est, inquit S. Bonav., conscientia nimis larga, et nimis stricta; nam prima generat praesumptionem, secunda desperationem; prima saepe salvat damnandum, secunda e contra damnat salvandum. Haec erat firmissima S. Alph. sententia: Protestor, inquit, quod sicut confessarios illos non approbo qui nimiae austeritati adhaerentes facile damnant usum plurium opinionum quae gravi nituntur fundamento, ita e contra neque approbare possum eos qui de facili opiniones sine fundamento tamquam probabiles acclamant [3].

Oportet igitur ut Confessarius *in praxi* magnam prudentiam adhibeat in usu opinionum, inspiciendo semper quid postulet bonum ipsius poenitentis, et interdum etiam bonum aliorum, et maxime bonum publicum. Hinc S. Alph. *pro praxi* sic distinguit: Si opiniones benignae magis removent poenitentem a periculo peccati formalis, confessarius debet, generaliter loquendo et in quantum christiana prudentia suggerit, benignis opinionibus uti. — Si vero opiniones benignae propius reddunt periculum formalis peccati, prout sunt nonnullae auctorum opiniones, v. g. circa oscula, tactus, circa repressionem motuum venereorum, circa compensationes, circa occasiones proximas, et similia, tunc, generatim loquendo, expedit ut confessarius utatur, imo dico quod ipse ut medicus animarum tenetur uti opinionibus tutioribus, quae poenitentes ad se servandos in statu gratiae conducunt.

Dixi: *generatim loquendo;* nam si confessarius perspiciat quod bonum poenitentis exigat ut sententiam rigidiorem sequatur, et simul spes adsit quod insistendo, et etiam absolutionem denegando, poenitens tandem obediat, confessarius a tali sententia recedere non debet. E contra si ex una parte nullus speratur fructus, et ex alia timendum esset quod poenitens propter rigorem a Sacramentali viam, per quam Christi fidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent ».

[1] Bulla Canonizationis 26 Maji 1839 sic habet: « Illud vero in primis notatu dignum est, quod, licet copiosissime scripserit, ejusdem tamen opera inoffenso prorsus pede percurri posse a fidelibus, post diligens institutum examen, perspectum fuerit ».

Litterae Apostolicae 7 Julii 1871 super confirmatione tituli Doctoris sic habent: « Plurimos scripsit libros sana eruditione ac pietate refertos, inter implexas Theologorum tum laxiores, tum rigidiores sententias, ad tutam munien-

[2] A lethali non excusatur qui sciens prudens tenet sententias, in his quae ad fidem et mores pertinent, quas Th. fere unanimi consensu erroneas, temerarias, etc. judicant, quia imprudentissimum est in doctrina sacra sic opinari, et qui sic opinatur exponit se periculo gravius errandi. *D' Annibale,* Ed. 2ª, v. II, 3 (4).

[3] S. Alph., L. I, 86.

tis recederet, tunc prudens confessarius sententiam benigniorem sequi deberet et interim pro viribus curare ut poenitens, orationi insistendo et Sacramenta frequentando omne periculum peccati removeat [1].

86. — *Q.* Confessarius potest ne absolvere poenitentem, qui vult sequi opinionem contrariam illi, quam tenet ipse confessarius?

R. Distinguo : Si opinio poenitentis versatur circa *ejus dispositiones* pro absolutione habenda, vel etiam circa administrationem Sacramenti, v. g. si confessarius putat se non habere jurisdictionem, poenitens debet stare judicio confessarii, et confessarius tenetur proprium sequi judicium; nam alias absolvendo sine debita jurisdictione, vel quem ipse judicat indispositum, peccat agendo contra propriam conscientiam [2].

Si vero opinio versatur circa *obligationem poenitentis*, nempe circa ea quae a poenitente agenda, vel vitanda sunt, confessarius non est judex opinionum, nec potest obligare ad sequendam suam opinionem poenitentem, qui vult sequi contrariam, quam ipse putat *cum fundamento* licite posse teneri; et ideo, juxta communiorem sententiam, illum absolvere tenetur; ratio valde urgens hujus sententiae est, quia poenitens, facta confessione, cum sit dispositus, habet strictum jus ad absolutionem, quam denegando confessarius gravem injuriam illi irrogaret; tum quia privare eum gratia Sacramenti, tum quia obligaret eum ad magnum onus subeundum, nempe ad repetenda apud alterum sua gravia peccata [3].

87. — *Q.* Potest ne quis mutare sententiam semel acceptam?

[1] *Berardi*, Praxis, n. 1111.

[2] Res certa evadit ex sequenti S. Poenitentiariae responso. — Titius Sacerdos, ad tribunal Poenitentiae accedens, peccata exponit partim simpliciter reservata, partim etiam cum censura Episcopali *in Dioecesi confessarii*. Dolet hic, et humaniter admonet Titium, ut se sistat habenti facultatem. (*Disputant enim Th. an confessarius absolvere possit subditum alterius Dioecesis habentem peccata reservata in Dioecesi confessarii, et sententia longe probabilior et tenenda negat*). — Sed Titius instat pro absolutione, et dicit quod confessarius, quum non sit judex opinionum, potest et debet absolvere poenitentem qui vult sequi opinionem non solum probabilem, sed etiam communissimam inter Th. antiquos et praesentes. Confessarius firmus in sententia non acquiescit, et inabsolutum dimittit poenitentem.

Quaeritur: 1° Utrum confessor bene se gessit. 2° Potest ne semper in casu ita se gerere? — S. Poenitentiaria, 21 Nov. 1873 consideratis expositis, respondit ad utrumque: *Affirmative*. — V. Vindiciae Alph., Ed. 2, T. II, p. 151.

[3] S. Alph., VI, 604. — « Quum S. Doctor saepius docuerit unicuique licitum esse eas opiniones sequi quae sibi probabiles videntur, licet oppositae videantur probabiliores (L. III, 669), reprehendit tum confessarios qui cogunt poenitentes sententias deserere quae non sint *omnino improbabiles* (L. III, 669), tum alios, *qui de facili notam laxitatis inurunt his quae aperte improbabiles non videntur* (L. IV, 52); dispicere juverit quaenam sententiae S. Doctori videantur prorsus improbabiles, ut ab eis cavere possimus. Et intererit, utrum post recitatam alicujus sententiam, ipse suum de illa judicium proferat, an judicium alterius, an nullum.— 1° Si *suum* improbabiles dicendae non sunt nedum illae, quas dicit non improbabiles, has enim habet ut *satis probabiles*, sed et illae quas *non audet improbabiles dicere*, vel aliis *se remittit, an sint satis probabiles*. Ceterum in has regulariter eundum est pede claudo; imo nullatenus eundum est; eoque minus in eas, quas *non audet probabiles dicere*. — 2° Si *aliorum* tantum judicium profert v. g. *Salmantic. hanc opinionem satis probabilem pu-*

R. Si agatur de *eodem facto,* non potest, quia, quum veritas in una vel altera sententia contineatur, si quis vellet utramque sententiam simul tenere, contradictionem involveret. Sic v. g. qui aliqua sententia vere probabili judicat aliquod testamentum esse validum, et ideo se posse in conscientia haereditatem retinere, non potest diversa sententia innixus illud invalidum judicare, et ideo recusare solvere legata adnexa; esset enim in eodem casu et eodem tempore judicare testamentum validum et invalidum, quod contradictionem involvit.

Si vero agatur *de diverso facto,* tunc quisque potest suam mutare sententiam, quia dum unam sequitur, altera non desinit esse vere probabilis, et adhaerendo priori sententiae, non censetur renuntiare juri adhaerendi sententiae oppositae, etiam probabili, in alio casu opportuno [1].

tant, videtur cum eis sentire. — 3° Sin demum *nullum*, neque suum, neque alterius judicium exprimit, ita statuendum videtur : 1° Si ei sententiae quam retulit nihil prorsus opponit, et illa a gravibus Auctoribus traditur; tenendum est eam judicare satis probabilem. Sed hic admonendi sunt qui S. Doctorem legunt, ne putent ipsum tenere eas *Busembaum* sententias quibus non contradicit, nam si illum suo Operi inseruit, id fecit, quod ipsemet profitetur, non ut doctrinas, sed ut methodum tantum ejus sequeretur. 2° Si ait : « *hanc sententiam neque probabilem neque improbabilem dico* », videtur aliorum judicio eam relinquere. *Item* si dicit : « *non audeo eam damnare*, vel, *non propterea intelligo eam probabilem dicere* », quod ipsemet nos admonuit. (In Praef. *Th. Mor.*). 3° Demum quoties unam sententiam *probabiliorem* aut *veriorem* vocat, ipsemet nos docet sententiam illi contrariam *incerta*, contrariam huic *nulla solida* probabilitate sibi pollere (L. V, 76): ideo ab utrisque cavendum est ». *D'Annibale*, I,17 (9).

[1] *Gury*, I, 80. *D'Annibale*, I, 263.

DE LEGIBUS

Conscientia, ut vidimus, est judicium practicum de alicujus actionis honestate vel malitia, et dicitur regula proxima actuum humanorum. At conscientia desumit honestatem vel malitiam actionis ex ejus convenientia vel discrepantia cum lege, quae, idcirco regula remota actuum humanorum vocatur. Ergo, postquam de conscientia disseruimus, nunc de lege, quae conscientiae dictamen determinat, agendum nobis est.

Universam de lege tractationem in decem capita persequimur : 1. de legis natura et proprietatibus; 2. de lege divina; 3. de lege humana; 4. de legis humanae objecto et subjecto; 5. de promulgatione et acceptatione legis; 6. de obligatione legis humanae; 7. de modo legem adimplendi; et de causis ab ea excusantibus; 8. de legis interpretatione et epikeia; 9. de dispensatione; 10. de legis abrogatione et cessatione.

CAPUT I.

De legis natura et proprietatibus.

88.— *Q.* Quid est lex; et quomodo dividitur ?

R. Lex a *ligando* dicta, juxta S. Thomam, quia subditum ad recte agendum ligat; vel a *legendo,* juxta S. Isidorum, quia lex scribitur et legendo proponitur ; vel ab *eligendo,* juxta S. Augustinum, quia eligit et determinat quid agendum sit, definitur a Sancto Thoma [1]: *Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis promulgata.* Dicitur : 1° *ordinatio*, et sic distinguitur a consilio ; lex enim ordinat, consilium tantum dirigit; 2° *rationis,* quia legis est praescribere non quaecumque, sed quae recta et juxta sunt; 3° *ad bonum commune,* hoc enim est finis immediatus et directus legis; 4° *ab eo qui curam habet communitatis,* nempe a legitimo superiore; 5° *promulgata,* quia, si lex non est cognita, obligare nequit.

Lex multipliciter dividitur :

[1] 1ª 2ae, q. 90, a. 4.—Lex *ampliori* appellatione regulam significat, quae unamquamque rem in finem suum dirigit, quo sensu omnis creatura suas habet leges; *propria* significat regulam quae actiones humanas in finem suum ultimum dirigit. *D'Annibale*, 2. 160.

1. Ratione *auctoris,* et alia est divina, alia humana. Divina alia est aeterna, naturalis, positiva. Humana alia est ecclesiastica, alia civilis.

2. Ratione *objecti;* et alia est affirmativa, alia negativa. Illa bonum et quidem actu positivo praecipit, haec malum prohibet, nempe praecipit ab actu prohibito se abstinere. — Differunt inter se, eo quod lex affirmativa obligat quidem *semper sed non ad semper,* seu non omni tempore; v. g. honorandi sunt parentes, non semper, sed suo tempore. Lex vero negativa probibet *semper et ad semper* idest omni tempore; quovis enim tempore a malo nos abstinere debemus [1].

3. Ratione *effectus,* et alia est obligans, permittens, irritans. Lex obligans alia est moralis quae ligat in conscientia, alia poenalis quae ligat solum ad poenam, alia mixta quae ligat ad utrumque simul. Lex permittens est quae aliquid ut licitum et impune declarat, simulque curat ne quis a re permissa impediatur. Lex irritans est quae quosdam actus illico uti nullos et irritos habet; et haec potest esse vel solum irritans, vel irritans simul et prohibens.

89. — *Q.* Quaenam sunt proprietates legis humanae?

R. Proprietates legis humanae hae sunt; — 1° Ut data sit a *legitimo superiore,* nempe ab eo qui praeest communitati perfectae (uti Ecclesiae, Regno, Provinciae sui juris), proindeque lata sit subditis suis, et intra limites propriae jurisdictionis. — 2° Ut sit *justa* et *honesta,* tum in se seu *quoad materiam,* nempe sit rectae rationi conformis, nec legi naturali aut divino-positivae contraria; nulla enim lex ad actus pravos adstringere potest; tum *quoad modum,* nempe jus subditorum non violet. — 3° Ut sit *moraliter possibilis,* nempe viribus subditorum accommodata (ad impossibilia enim nemo tenetur); et sit *aequa* nempe onera subditis imponantur servata aequa proportione. — 4° Ut sit *necessaria* vel *utilis* bono publico, secus careret suo fine essentiali et primario. — 5° Ut sit *certa, clara, et sufficienter promulgata,* nam si est incerta non potest certam inducere obligationem; si non est clara ita ut dubitetur quaenam sit sententia legis, tunc, lex dubia non obligat; et si non est sufficienter promulgata vim obligandi non habet, nam, quum lex sit regula remota morum, ipsa cognosci debet. — 6° Ut sit *stabilis,* seu tamdiu duratura, quamdiu durat communitas, nisi, mutatis circumstantiis, inutilis vel noxia evadat.

90. — *Q.* Quodnam discrimen inter legem et praeceptum?

R. Licet lex et praeceptum saepius promiscue accipiantur, differunt tamen etiam inter se: — 1° Ratione *jubentis,* lex est a sola persona publica, praeceptum etiam a privata. — 2° Ratione *subditi,* lex communitatem respicit, praeceptum etiam personam particularem. — 3° Ratione *finis,* finis directus et immediatus legis est primario bonum publicum, secundario etiam privatum; finis vero praecepti directus et immediatus potest esse etiam solum bonum privatum. Verum quidem est quod lex etiam bonum privatum promovet, et praeceptum bonum publicum, sed hoc est solum indirecte et mediate tan-

[1] S. Alph., L. I, 101.

tum. — 4° Ratione *temporis*, lex per se est perpetua, praeceptum e contra expirat elapso tempore praecepti, vel morte praecipientis. — 5° Ratione *loci*, lex immediate afficit territorium, praeceptum vero personam [1].

Hinc si Sacerdos fuerit a suo Superiore suspensus, haec poena eum comitatur etiam in aliena Dioecesi, in qua ideo nequit celebrare. E contra si per legem generalem in sua Synodo Episcopus suo Clero prohibuisset ne ingrederetur liquorum officinas (vulgo *caffè*) sub excommunicatione latae sententiae, hanc poenam non incurreret Clericus qui eas ingrederetur extra Dioecesim suam [2].

91. — *Q.* Quaenam causae legis?

R. Causae legis quatuor recensentur: efficiens, materialis, formalis, et finalis. Causa *efficiens* est legislator, qui communitati praeest; *materialis* est ipsius legis objectum; *formalis*, sunt verba quibus lex exprimitur; *finalis* demum est finis ad quem lex fertur, seu bonum publicum.

92. — *Q.* Quinam praecipui legis actus et effectus?

R. Actus legis quatuor communiter recensentur in hoc versiculo comprehensi: *Praecipit, ac prohibet, permittit, denique punit.*

Effectus vero legis duo sunt: 1° subditorum *obligatio*, nam cum lex sit actus jurisdictionis superioris, subditus ei obedire tenetur; 2° eorum *bonitas*, quae ex ipsa legis observantia consequitur.

CAPUT II.

De lege divina.

93. — *Q.* Quae et quotuplex lex divina?

R. Lex divina generatim sumpta est *lex quae a Deo procedit.* Haec autem alia est aeterna, alia naturalis, et alia divino-positiva.

ART. I.

De lege aeterna.

94. — *Q.* Quid est lex aeterna?

R. Lex aeterna, accepto legis vocabulo lata significatione [3], definiri potest cum S. Augustino: *Ratio et voluntas Dei ordinem naturalem servari jubens et perturbari vetans.*

Existere autem legem aeternam evidenter patet:

1. *Ex S. Scriptura.* In ea enim legimus quod Divina Sapientia *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* [4]. Atqui haec dispositio qua Deus omnes res ad suos fines ordinat atque dirigit est ipsa lex aeterna. Ergo...

[1] Aliquando tamen dantur leges veri nominis, quae immediate afficiunt personas, non territorium; puta leges Ordinum religiosorum.

[2] *Scavini* I, 151, 4.

[3] Dixi: *lata significatione*, nam disput. Th. an promulgatio necessaria sit ad rationem legis. Alii affirmant, et dicunt quod lex aeterna fuit quidem ab aeterno materialiter lex, sed non formaliter, seu sub ratione legis actualiter obligantis, quia tunc non fuit intimata subditis, qui ab aeterno non extiterunt; unde lex aeterna quoad nos est lex, accepto legis vocabulo lata significatione. Alii negant, et dicunt quod promulgatio est quidem necessaria ut lex, actu obliget, sed non est necessaria ad rationem legis; unde lex aeterna, etsi ab aeterno non fuerit creatura cui lex promulgaretur, tamen ab aeterno fuit lex etiam stricto sensu accepta.

[4] *Sap.* VIII, 1.

2. *Ex ipsa ratione.* Hanc veritatem evincimus ex ipsis argumentis, quibus existentiam Dei probamus. At vero Deus est Ens summe bonum, justum et sapiens; ergo cum Deus sit ipsa *Bonitas*, necessario diligit bonum et odit malum; cum sit *summa Veritas*, necessario veritatem diligit et mendacium odit; cum sit ipsa *Sapientia*, necessario ordinem diligit et perturbationem odit; ergo cum lex aeterna non sit nisi ipsa Dei voluntas ordinem servari jubens, ex necessitate existentiae Dei et ejus attributorum, necessitas consequitur existen iae legis aeternae.

95.— *Q.* Quaenam proprietates legis aeternae?

R. Praecipuae legis aeternae proprietates hae sunt: 1° Ut sit *necessaria*, quum enim Deus necessario suas perfectiones diligat, debuit quoque suis creaturis ordinem imponere suis divinis et aeternis perfectionibus respondentem.—2° Ut sit *immutabilis*, nam quum Deus immutabilis sit, immutabilis et haec lex esse debet.— 3° Ut sit *cognita*, plus minusve, licet non in se, saltem in ejus effectibus.—4° Ut sit *praeceptiva*, quoad creaturas rationales seu intelligentes, unde etiam Angeli huic legi subjecti sunt; et sit *directiva* quoad creaturas irrationales. — 5° Ut cum sit suprema et aeterna lex, necessario sit etiam *fons et origo* a qua ceterae leges dimanant [1]. Ab ipsa enim dimanat lex naturalis, mediante lumine rationis; lex divino-positiva, mediante divina revelatione; et lex humana, mediante potestate legitimis superioribus communicata. Unde eruitur hoc

Corollarium:—Lex aeterna sola est prima regula totius honestatis et moralitatis.

ART. II.

De lege naturali.

§ 1°

De essentia legis naturalis.

96. — *Q.* Quid est lex naturalis?

R. Lex na uralis definiri potest cum S. Thoma: *Participatio legis aeternae in creatura rationali dictans et praescribens quid sit agendum ut intrinsece bonum, et quid fugiendum ut intrinsece malum.* Dicitur: 1° *participatio legis aeternae*, et sic ab ipsa lege aeterna distinguitur, ut pars a toto; 2° *in creatura rationali*, et sic distinguitur ab aliis legibus, quibus ceterae creaturae gubernantur; 3° *dictans et praescribens etc.*, et sic complectitur omnia praecepta moralitatis [2].

Haec vero lex dicitur *naturalis*,

[1] Errant proinde toto coelo politici illi, qui humanas leges *atheas* esse debere contendunt; nam lex humana a lege divina sejuncta nec pro objecto semper haberet quod justum est, sed plerumque quod utile; nec sufficientem haberet auctoritatem ad subditos continendos in legum observantia, proindeque neque legislatores, neque subditos ab iniquitate continere posset, prout dolorosa experientia constat.

[2] Unde fit ut sine Deo creatore et legislatore lex naturalis nec existere, nec concipi possit. Cognitio enim legis naturalis ejusque obligationis includit cognitionem Dei, ut principii praescribentis et obligantis, siquidem obligatio non apprehenditur, quin simul concipiatur legislator obligans. Itaque falsa est illa sententia quae asserit naturam ipsam rationalem esse primam moralis bonitatis regulam, ita ut ex conformitate,

quia afficit ipsam hominis naturam, et ita homini inhaeret, ut haberi nequeat idea hominis sine idea hujus legis, unde naturae hominis intrinseca est.

97. — *Q.* Existentia legis naturalis est ne certa ?

R. Existentia legis naturalis certissima est. Propositio est contra pseudophilosophos Spinozam, Helvetium, Holbach, etc., qui dicebant non adesse differentiam moralem inter bonum et malum, unde negabant existentiam legis naturalis.

Veritas patet: 1° *Ex S. Scriptura;* nam Paulus sic ait: *Cum gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem* (idest legem scriptam) *non habentes, ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum* [1]. Evidens autem est S. Paulum ibi loqui *de lege naturali* in nobis impressa, et a lege Moysis scripta distincta. Ergo...

2° *Ex traditione.* S. Ambr. ait: *Haec lex non inscribitur, sed innascitur, non aliquid praecipitur lectione, sed profluo quodam naturae fonte in singulis exprimitur* [2]. Et S. Augustinus: *Lex naturalis est ipsa lex aeterna, quae ante legem scriptam manebat in cordibus piorum* [3]. Sic ceteri SS. Patres et Th. hanc doctrinam ut omnino certam, et ab omnibus admissam, evincunt. Ergo...

3° *Ex communi populorum consensu.* Ipsemet Cicero sic scribit: *Quae natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum et beneficii memorem diligit? Quae superbos, quae maleficos, quae crudeles, quae ingratos non aspernatur ?*

98. — *Q.* Lex naturalis distinguitur ne a ratione, a synderesi, a conscientia, et a jure gentium?

R. Lex naturalis distinguitur: 1° a *ratione humana,* ratio enim humana non est ipsa lex, sed solum facultas, qua homo legem naturalem cognoscit; 2° distinguitur etiam a *synderesi,* sicuti res distinguitur ab ejus cognitione; nam lex naturalis est ipsa ordinatio divinae voluntatis, in nobis impressa, synderesis vero est habitualis cognitio hujus divinae ordinationis; 3° distinguitur etiam a *conscientia,* quia prior est ipsa lex, conscientia vero applicatio hujus divinae legis ad casus particulares per actum intellectus, et aliunde conscientia falsa esse potest, lex autem naturalis semper vera est; 4° tandem distinguitur *a jure gentium,* lex enim naturalis fuit a Deo signata in cordibus nostris, jus vero gentium introductum fuit tacito et communi gentium consensu et usu.

99. — *Q.* Quaenam proprietates legis naturalis ?

R. Praecipuae legis naturalis proprietates hae sunt: 1° ut omnes homines, absque ullo discrimine, subjectos habeat, et obliget tum privatos, tum principes summos, gentesque omnes et civitates; - ratio, quia Deus, qui juris naturalis auctor est, universum genus humanum iisdem legibus subjectum esse voluit. Hinc quotiescumque jus positivum deficit, vel non satis apertum est, omnis

vel difformitate ad illam tota desumatur honestas vel malitia actionum, absque ullo respectu ad voluntatem Dei. *Vecchiotti,* c. 2, § 15.

[1] Ad Rom. II, 14.
[2] Ep. 7.
[3] *Lib. cont. Just.,* n. 8.

quaestio etiam inter Reges et belligerantes juxta praecepta legis naturalis definienda est; 2° ut sit omnino immutabilis quoad omnia sua praecepta sive primaria, sive secundaria. In quibusdam vero mutationem pati potest, sed materialem tantum, non formalem, ut dicetur infra; 3° ut saltem quoad prima principia evidens omnibus sit ac manifesta.

100. — *Q.* Quodnam est primum principium legis naturalis?

R. Primum principium vel praeceptum generale, a quo omnia alia legis naturalis principia vel praecepta dimanant, hoc est: *Ordo naturalis servandus est;* et licet alii cum S. Thoma dicant hoc esse: *Bonum est faciendum et malum vitandum,* etsi non in verbis, in re tamen conveniunt, nam bonum in ordine rationis, et malum in hujus ordinis perversione consistit.

101. — *Q.* Quomodo omnia praecepta juris naturae ab illo primo principio procedunt?

R. Ad cognoscendum quomodo omnia juris naturae praecepta fluant ab illo primo principio: *Ordo naturalis est servandus,* animadvertendum est triplicem esse ordinem: ordo inferioris ad superiorem; ordo aequalis ad aequalem; et ordo sui ipsius ad semetipsum.

Jamvero ex *primo* ordine inferioris ad superiorem, eruitur obligatio Deum colendi, necnon superioribus obediendi, et ex hoc ordine fluunt quatuor prima praecepta decalogi.

Ex *secundo* ordine, aequalis ad aequalem, necessario sequuntur haec principia: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris; et quod tibi vis, alteri feceris;* ex quibus oriuntur sex alia decalogi praecepta.

Tandem ex *tertio* ordine, sui ipsius ad semetipsum, sequitur amor hominis in semetipsum, et quoniam homo mente et corpore constat, praecipiuntur eae virtutes, quae ad excolendum animum, vel ad conservandum corpus sunt necessariae; hinc fluunt virtutes cardinales, et aliae virtutes hisce adnexae.

§ 2°

De objecto et subjecto legis naturalis.

102. — *Q.* Quodnam objectum legis naturalis?

R. I. Objectum materiale legis naturalis sunt omnia honestatis principia, seu omnia moralia praecepta immutabilia nobis imposita. — Haec autem principia alia sunt *primaria* et generaliora, et omnibus per se nota, ut: *declina a malo, et fac bonum;* alia *secundaria,* et magis determinata, quae scilicet ex primis principiis immediate deducuntur, ut sunt praecepta decalogi; alia *remota,* quae mediate tantum, videlicet mediante difficili et operoso discursu ex primis principiis deducuntur.

II. Objectum formale consistit in ratione praecepti a Deo hominibus impositi, ita ut dictamen rationis haberi debeat uti promulgatio divinae ordinationis, seu signum divinae voluntatis praecipientis, aut vetantis [1].

103. — *Q.* 1° Lex naturalis praecipit ne omnes actus bonos; 2° et prohibet ne omnes actus malos?

R. Ad 1.[um] Lex naturalis praecipit tantum actus bonos qui con-

[1] *Ballerini,* I, 28.

servationi ordinis necessarii sunt, et quorum omissio turpis esset.— Quoad alios, lex naturae omnes quidem probat, sed non omnes praecipit ; dantur enim actus boni qui congruunt legi naturae, sed non habent cum ea necessariam connexionem, ut sunt v. g. consilia evangelica. — Ceterum etiam isti actus possunt, lato sensu, dici de lege naturae, hoc sensu quod lex naturae praecipit, si fiant, ut virtuose fiant.

Ad 2.um Lex naturae prohibet omnes actus malos, qui intrinsece mali sunt ; actus vero malos quia prohibitos prohibet tantum hoc sensu, quatenus prohibet inobedientiam superioribus.

104. — *Q.* Quodnam subjectum legis naturalis?

R. Subjectum legis naturalis est omnis homo, licet parvulus, vel amens, aut ebrius sit.

Hinc peccaret qui parvulum, amentem, ebrium induceret ad aliquem actum a lege naturali prohibitum : - ratio, quia licet per accidens parvulus, amens, ebrius excusetur a peccato ob defectum cognitionis, semper tamen est legi naturali subjectus ideoque ejus actio est objective et materialiter mala ; proindeque illam velle in aliis, vel eam consulere, vel ad eam incitare est malum formaliter.

An vero, quod de actionibus dictum est, etiam dicendum sit de verbis, disput. Th. ; alii negant, quia si facta ex se, seu ex obiecto offendunt, verba e contra offendunt solum secundum id quod significant, seu quatenus qui ea profert intendit aliquid per ea significare ; ergo verba a parvulo, amente, ebrio prolata nihil significant, quia ipsi nihil significare intendunt ; ideoque illa verba sunt meri soni, seu verba materialia tanquam a pica prolata [1]. Alii vero affirmant, et dicunt peccare qui parvulum, amentem, ebrium induceret ad illa verba intrinsece mala proferenda, quia illi utpote naturam rationalem habentes, legi naturali *in actu primo* seu radicaliter subjecti sunt, et illa verba ab ipsis proferuntur modo non *narrativo* tantum, sed *significativo*, ex intentione illius qui ipsos incitat ad ea proferenda, unde ipsi imputantur veluti principali agenti, qui alterius opera utitur quasi instrumento [2].

105. — *Q.* Potest ne dari ignorantia invincibilis circa praecepta legis naturalis?

R. Praemitto : tria distinguenda sunt in lege naturali ; principia primaria, principia secundaria seu consectaria proxima, et consectaria remota. His praemissis :

1. Circa *principia primaria*, vel circa praecepta principaliora legis naturalis, v. g. *Deus est colendus.* — *Quod tibi non vis, alteri ne feceris, etc.*, ignorantia invincibilis aut conscientia invincibiliter erronea dari nequit ; - ratio, quia ipso lumine naturae omnibus innotescunt, et ex sola terminorum apprehensione intelliguntur.

2. Circa *principia secundaria*, seu circa consectaria proxima, nempe proxime deducta a primis principiis, etiam non datur, nisi in rudibus et ad breve tempus, vel nisi adsit aliqua circumstantia quae apparenter actum coho-

[1] *Tamburini*, L. II, Expl. Decal. c. VI, 17. *Sanchez*, *Navarrus*.

[2] S. Alph., L. I, 155, 4 ; Hom, Ap. II, 36 ; *D' Annibale*, I, 173, (80) ; *Ballerini* Opus Theol. I, 172.

nestet; quia in hoc casu principia secundaria obscura fiunt et reducun ur ad consectaria remota.

3. Circa vero *consectaria remota,* discursu deducta a primis principiis ut sunt v. g. praecepta de vitanda usura, vel de vitando scandalo, et alia id genus, circa haec dicimus posse dari ignorantiam invincibilem in eo qui, adhibita communi diligentia, dubium vincere nequit.

4. An vero dari possit ignorantia invincibilis circa obligationes proprii status, Th. dicunt quod generatim loquendo non datur, qui enim cuipiam statui se mancipiat, eo ipso tenetur illius status obligationes callere et in ipsis instrui; unde si quis ignorat, quia voluntarie discere negligit, ejus ignorantia sine dubio est vincibilis et culpabilis graviter vel leviter pro ratione materiae, damnorum, etc.; ideoque omnes errores quos ex tali ignorantia deinde patraverit ipsi imputantur, etiamsi in iis perpetrandis actualem advertentiam de malitia non habuerit; nam ad imputabilitatem sufficit advertentia virtualis quam initio habuit cum proprias obligationes addiscere neglexit. Dixi: *generatim loquendo,* nam excipiendi sunt duo casus: 1° quando quis sufficienter instructus et diligens in suo ufficio per involuntariam inadvertentiam errat; 2° quando agitur de quibusdam quaestionibus reconditis et extraordinariis [1].

106. — *Q.* Potest ne dari ignorantia invincibilis circa malitiam pravorum desideriorum in eo qui cognoscit malitiam actus?

R. Distinguo inter desiderium efficax, et inefficax. — Si desiderium est *inefficax,* disput. Th.; et multi sat probabiliter affirmant saltem pro rudibus. — Si vero desiderium est *efficax* etiam disput. Th.; plures etiam affirmant saltem pro rudioribus et minus eruditis; at S. Alph. [2] hanc opinionem nunquam probabilem censere potui, quia si quis certo cognoscit mali iam actionis ex ernae, et *vellet,* si possit, illam exequi, jam cognoscit se *velle* malum [3].

[1] S. Alph., L. I, 170, 171.

[2] L. I, n. 9.

[3] Distinctio inter desiderium efficax et inefficax quotidiana experientia comprobatur. Evenit enim saepe saepius ut quidam peccatores rudes et ingenii obtusi graviter peccare existiment si quaedam peccata operis committunt, v. g. contra sextum praeceptum, et illa peccata confitentur; at internas delectationes, et quasdam velleitates quaedam peccata committendi, nonnisi ut levissima peccata habent. Ipsi enim, juxta materialem eorum existimationem, magnum discrimen inveniunt inter opus et cogitationem operis. In opere, si opus graviter malum cognoscunt, etiam gravem malitiam inveniunt; at in cogitatione nonnisi levem inveniunt malitiam, quia cogitatio, prout ipsis videtur, nullum affert malum, vel non nisi leve. Sic enim ipsi inter se ratiocinantur: si proximum graviter percuterem, certe ipsi grave malum afferrem; at si tantum eum percutere cogito, quid mali ei affero? nihil omnino. Putant ergo quod inter opus et cogitationem magnum intersit discrimen.—Attamen in desiderio absoluto et efficaci (nimirum cum quis ex corde aliquid desiderat, et certissime perageret si posset), malitiam agnoscunt etiam gravem, semper tamen minorem malitia quae adest in opere.—Mihi igitur videtur quod personae rudes, imperitae et obtusi ingenii, debitaque instructione carentes, a superallatis rationibus decipi possint, ita ut earum ignorantia invincibilis existimari possit.

Hisce positis, quando Confessarius invenit tales poenitentes rudes et habituatos in peccatis cogitationis, et desiderii inefficacis, et ex ipsorum confessione comperit ipsos talia peccata interna non habere ut mortalia, imprudenter ageret

107.—*Q.* Potest ne dari ignorantia invincibilis circa malitiam quarumdam actionum turpium?

R. Th. communiter dicunt ignorantiam invincibilem dari posse, sed raro et ad breve tempus; facilius tamen admitti potest in pueris, et rudibus. Unde interrogandi sunt isti poenitentes utrum saltem aliquam suspicionem de ea malitia habuerint, num de obligatione veritatem inquirendi saltem dubitaverint. *In praxi* tutius est poenitentem ad confessionem similium peccatorum inducere, quod brevi facilique negotio fieri potest [1].

108. — *Q.* Datur ne: 1° mutatio; 2° aut dispensatio in lege naturali?

si eos illico admoneret talia desideria et delectationes mortalia esse, ut sunt peccata operis; sed prius eos pro viribus adhortabitur ut in posterum has pravas cogitationes et delectationes, statim ac eas advertant, quam primum e mente depellant, utpote res quae generatim Deo displicent, quaeque animae inferunt damnum quod aliquando grave esse posset. Et sic semper se gerat usquedum tales poenitentes illum pravum habitum deposuerint; quo deposito, illos admonebit de gravitate horum peccatorum internorum. Nam si prius de tali gravitate eos admoneret, ex una parte talia peccata probabiliter non impediret, et ex altera parte causa esset quod ipsi in hisce cogitationibus mortaliter peccarent, dum, admonitione dilata, nonnisi venialiter peccarent, prout eorum conscientia dictabat. *Cf. Frassinetti*, Tr. I. n. 2, 3.

[1] An in pueris detur ignorantia invincibilis quoad peccata turpia, quaestio est maximae utilitatis. S. Alph. affirmat. In suo opere: *La monaca santa*, cap. 18, § 1°, n. 14, casum ponit cujusdam puellae quae in sua pueritia vel ex se sola, vel cum aliis, quosdam jocos vel actus immodestos commisit, sed sine ulla malitia vel sine malitia gravi, aut dubio malitiae gravis. Illi joci vel actus impudici quos commisit supponuntur graves in se, cum Sanctus Alph. loquatur de obligatione eos confitendi, quae obligatio, ut scitur, viget tantum quoad peccata gravia. Nunc autem haec puella aetate progressa, et pia ac devota facta, virginem se Deo consecravit, et quia illos pueritiae jocos et actus nunquam confessa est, nunc timet ne bene sit confessa, et dicit quod magnam repugnantiam et erubescentiam experitura esset si illos jocos et actus confiteri deberet. S. Alph. huic moniali sic respondet: Quidnam refert erubescentia tua illos actus confitendi? Usquedum non teneris ad confitendum, ne te conturbes; manifestatio enim quarundam actionum naturalium propriae personae erubescentiam causant, sed non consequitur eas esse confitendas... nec est signum certum de earum malitia eo quod clam peractae sunt, dum non sunt peccata. Quapropter necesse non est hos actus singillatim confiteri, nisi quando quis meminerit eos commisisse cum cognitione culpae gravis aut cum dubio culpae gravis; et satis erit confessario dicere: *Pater, si vere scirem me teneri ad confitendum, statim id agerem, etsi maxima poena mihi subeunda esset.*

Pueri ergo vel puellae qui tempore pueritiae vel secum ipsis vel cum aliis quosdam jocos, vel actus immodestos et quidem ex se graves committunt, sed sine ulla malitia, aut dubio malitiae, vel saltem sine malitia gravi aut dubio gravis malitiae, non committunt peccatum, vel saltem non grave;—ratio, quia ipsi tunc ignorantia invincibili laborabant circa malitiam vel gravitatem malitiae illorum actuum.

Valde vero difficile est limites aetatis determinare in qua dari possit haec ignorantia invincibilis. Ad hoc judicandum consideranda est major vel minor intelligentia personae de qua agitur, ejus educatio plus minusve circumspecta et reservata, ejus major vel minor instructio. Sed quidquid sit, *in praxi* si puer et puella praesertim, sincere fatentur se in illis actibus nunquam suspicatos fuisse malitiam peccati, praesertim si decepti fuissent a persona auctoritatem habente, quae ipsi puero vel puellae (quod saepe saepius accidit) dixisset, in illis actibus non adesse malum sed esse necessitatem naturalem, et sanitati necessarium, et ab omnibus

R. Praemitto : Duplex mutatio in lege distingui potest : mutatio *formalis* et *propria*, quando manente eadem materia tollitur obligatio legis ; et mutatio *materialis et impropria*, quando non mutatur ipsa lex, sed ejus objectum, ita ut non sit amplius materia legis. Hoc praemisso :

Ad 1.um Mutatio formalis et propria in lege naturali non datur ; lex enim naturalis non praecipit nisi quod est intrinsece bonum et non prohibet nisi quod est intrinsece malum ; ergo immutabilis est. — Mutatio vero materialis et impropria dari potest, sed in praeceptis secundariis tantum, cum nempe materia legis, ob aliquam advenientem circumstantiam desinit esse materia legis, quod contingit maxime in iis quae pendent a supremo Dei dominio, et a libera hominis voluntate.

Ad 2.um Dispensatio quoque proprie dicta in lege naturae nec dari potest, ob eamdem rationem nuper allatam quoad mutationem formalem ; bene vero dari potest dispensatio improprie dicta, seu quando mutatur materia legis. Quod ut recte intelligatur distinguendi sunt duo ordines rerum.

Primus ordo complectitur illas res quae ex sua natura tales sunt, ut in ipsis Deus dispensare nequeat, quin seipsum neget. Sic Deus creaturam dispensare nequit a subjectione erga Se Ipsum, nec a reverentia erga suum SS. Nomen. Porro in hoc rerum ordine nec mutatio, nec dispensatio dari potest.

Secundus ordo complectitur illas res quae Deo subjectae sunt ratione dominii quod Ipse habet in omnes creaturas. At vero quum talis ordo non sit absolute necessarius, Deus in illo dispensare potest hoc sensu, quod, cum sit ipse dominus absolutus vitae, rerum, et jurium hominum, potest aliis hominibus transferre et communicare hoc suum dominium, et jus quod habet in vitam, vel in res alienas ; et sic subtrahitur materia a lege prohibita, et proinde subtrahitur ejus malitia. Sic Deus fecit cum Abraham praecipiendo ei immolationem Isaac. Sic fecit cum Hebraeis, ipsis permittendo u[t] vasa Aegyptiorum mutuo accepta non amplius restitue-

patrari etc., putarem nihil interesse quamnam aetatem plus minusve attigerint, et fidem illis praestarem ; idque a fortiori, si illi, cognito peccato, statim emendationi studuissent.

Nec inde putandum est omnes pueros et puellas cognoscere gravitatem peccati ex eo quod, dum turpia committunt, cognoscunt malum peragere, et ideo illud confitentur. Quapropter, si tenera adhuc aetate sunt, Confessarius ex una parte pro viribus curet ut ipsi ab illis actibus horrescant et ex altera caveat ne illis palam dicat ea omnia esse peccata mortalia ; nam, quum non omnes habeant eamdem conscientiam, nec omnes ad emendationem dispositi sint, ex tali monitione eveniret quod majore malitia peccarent.

Pariter ex communi sensu moralistarum compertum est, ignorantia invincibili laborare etiam plures conjuges, praesertim uxores, circa debitum coniugale. Experientia enim constat plures conjugatos putare in ipsorum statu plura licita esse quae licita non sunt, et serio putant non peccare dum quaedam agunt quae per se graviter vetita sunt, et ideo in ipsis quidam actus sunt peccata tantum materialia et non formalia. Id minime negari potest. Quapropter Confessarius maxima prudentia uti debet dum conjuges interrogat praesertim mulieres, et eadem prudentia eisdemque regulis uti debet, quas utendas diximus cum pueris. *Cf. Frassinetti*, Tr. I, n. 4-8.

rent, in ipsos nempe transferendo dominium.—Item: dispensatio votorum quae sunt de jure naturae, et tamen per potestatem Ecclesiae relaxantur, consistit in subtractione materiae, quatenus auctoritate Superioris dispensantis fit ut hoc quod continebatur sub voto, non amplius contineatur, quia nempe Ecclesia nomine Dei remittit jus quod Deus per votum acquisierat [1].

Notandum tamen est quod aliud est dispensare *in lege voti*, aliud dispensare *in voto*. Primum nec Deus, nec Ecclesia potest, cum contineat dispensationem formalem in lege naturae. Alterum potest tum Deus, tum Ecclesia *nomine Dei;* quia haec est dispensatio *in materia* legis, non vero in ipsa lege. — Idem dicatur de juramento. — Id tamen Ecclesia non potest valide efficere, nisi adsit justa causa; Ecclesia enim, quum dispensat in rebus ejusmodi, se habet ut inferior dispensans in lege superioris.

Art. III.

De lege divino-positiva.

109. — *Q.* Quaenam est lex divino-positiva?

R. Lex divino-positiva est *lex exterius data a Deo, hominem dirigens ad finem supernaturalem et perfectius ad finem naturalem.* Dicitur: 1° *lex exterius data,* et sic distinguitur tum a lege pure naturali, tum a lege connaturali gratiae, seu a lege fidei; prior enim est a Deo mediante natura a qua manat, tanquam proprietas ejus; altera autem est a Deo per se infundente gratiam et ipsum lumen supernaturale, sine quo homines non potuissent in supernaturalem beatitudinem tendere. Lex divino-positiva vero est quae ultra naturam et gratiam, et consequenter ultra lumen rationis et supernaturale ac divinum lumen fidei, exterius per divinam revelationem data fuit [2]; 2° *data a Deo,* et sic distinguitur a lege humana; 3° *hominem dirigens ad finem supernaturalem,* quia sicut lex naturalis hominem ducit ad finem naturalem facultatibus humanae naturae proportionatum ita lex divino-positiva hominem ducit ad finem supernaturalem, nempe ad felicitatem aeternam; 4° *et perfectius ad finem naturalem,* quia ex S. Th. [3] juvat hominem in naturalibus ne erret, ut infra dicetur.

110. — *Q.* Lex divino-positiva quomodo dividitur?

R. Lex divino-positiva dividitur in legem veterem et novam.

Lex *vetus* est ea quae populo Hebraeo a Deo data fuit per Moysen, et continebat praecepta moralia, caeremonialia et judicialia. Sed quia figura erat legis novae, ita, adveniente ista, praecepta caeremonialia et judicialia cessare debebant, et revera a Christo abrogata fuerunt. Praecepta vero moralia confirmata fuerunt a Christo in lege nova.

Lex *nova* seu *evangelica,* dicta

[1] *S. Th.* 2ª 2ae, *q.* 88 a. 10, ad 2.

[2] Sciendum est illam legem vocari *positivam,* quae non est innata cum natura vel gratia, sed ultra illas posita est ab aliquo principio extrinseco habente potestatem, inde enim positiva dicta est, quasi addita naturali legi, non ex illa necessario manans. Unde ab aliquibus *Jus positivum* vocatur. *Suarez,* De Leg., L. 1, n. 13.

[3] P. I, q. 1, art. 4.

etiam lex gratiae, lex libertatis, est ea quam Christus nobis dedit in Novo Testamento, et quam Apostoli per totum orbem annuntiaverunt, et continet documenta triplicis generis : 1° praecepta *moralia* circa virtutes praesertim theologicas ; 2° praecepta *caeremonialia* circa Sacramenta et Sacrificium Missae; 3° mera *consilia*, *evangelica* dicta, sed magno praemio digna.

Lex evangelica obligat omnes homines, ut constat ex verbis Christi ad Apostolos suos: Euntes in mundum *universum*: praedicate Evangelium *omni* creaturae. Euntes docete *omnes* gentes; docentes eos *servare omnia* quaecunque mandavi vobis. Hinc Trid. definivit: *Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo omnibus datum fuisse ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediant; anathema sit* [1].

111. — *Q.* Fuitne necessaria aliqua lex divino-positiva?

R. Aliqua lex divino positiva homini necessaria fuit ad consequendum suum finem sive naturalem sive supernaturalem.

Quoad *finem naturalem moraliter necessaria* fuit, ut homo tot errores vitare posset. Ex ipsa enim historia evidenter constat quod nullum fuit absurdum quod ab aliquo philosopho dictum non fuerit, ut fatetur ipsemet Tullius. Et revera, stoici suicidium commendant; Cato fovet libidinem; Plato ebrietatem probat; Tullius ipse perjurium excusat. Fuit ergo homini lex divino-positiva, in praesenti conditione generis humani, moraliter necessaria ut sic tot errores vitare posset.

Quoad finem supernaturalem vero fuit *absolute* necessaria [2]; nam quum talis finis sit altioris ordinis, et proportionem facultatis humanae excedat, homo auxiliis solius legis naturalis numquam ad ipsum pervenire potuisset. Ergo haec lex homini necessaria fuit.

CAPUT III.

De lege humana.

112. — *Q.* Quaenam est lex humana et quomodo dividitur?

R. Lex humana est *illa, quam superior societatis suis subditis praescribit ad bonum commune.* Quoniam autem duplex est societas, ecclesiastica et civilis, hinc duplex est lex humana, ecclesiastica scilicet et civilis; illa imponitur a Rectore societatis ecclesiasticae suis subditis ad bonum commune spirituale, haec a Rectore societatis civilis ad bonum commune temporale.

ART. I.

De lege ecclesiastica.

113. — *Q.* Ecclesia Catholica habet ne potestatem ferendi leges?

[1] *Sess.* VI, c. 21.

[2] Intellige, ait Suarez, ex suppositione institutionis Synagogae, vel Ecclesiae, respectu cujus censeri potest necessitas simpliciter, licet respectu ipsius finis sit potius ad melius esse et ad majorem hominum instructionem, vel propter eorum nimiam coecitatem et depravatos mores ad illos cohibendos, vel propter majorem perfectionem et lumen ad perfectionem virtutis et sanctitatis assequendam; ratio, quia licet aliqua lex supernaturalis, sicut et supernaturalis cognitio, fuerit necessaria, sufficere poterat illa quae est connaturalis ipsi gratiae; necessitas ergo addendi alteram legem positivam orta est ex peculiari institutione corporis mystici spiritualis (ut sic dicam). *Suarez*, De Leg., L. I, n. 15, 16.

R. I. Ecclesia Catholica potestatem habet ferendi leges disciplinares in suos subditos, earumque observationem exigendi [1].

Veritas de *fide* est: nam propositio contraria Synodi Pistoriensis, quae affirmabat abusum esse auctoritatis Ecclesiae usum ejus potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsi Apostoli in disciplina constituenda et sancienda, ut haeretica damnata fuit a Pio VI in Constit. Dogmatica *Auctorem fidei* [2].

Constat 1° *Ex S. Scriptura.* Christus enim ait Apostolis suis: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* et iterum: *Quaecumque ligaveritis super terram erunt ligata et in coelis.* — 2° *Ex ipsa ratione.* Et sane, omnis societas bene ordinata facultatem habet ferendi leges ad bonum ipsius societatis; atqui Ecclesia Christi est societas perfecta; ergo, etc.

In novo Codice iuris canonici sic habetur: Recurrentes ad laicalem potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta, eorumve promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos ad quos pertinent litterae vel acta, sive alios laedentes vel perterrefacientes, ipso facto subiaceant *excommunicationi*, Sedi Apostolicae *speciali modo* reservatae. **Can. 2333.**

II. Certum est Papam non recipere potestatem legislativam a populo, sed a Christo Domino, qui dixit: *Pasce agnos meos, pasce oves meas;* et: *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis.*

III. Idem dicatur de Episcopis, qui vel immediate, vel mediate per Christi Vicarium ab eodem Domino potestatem habent. Hinc leges ecclesiasticae sive a Papa sive ab Episcopis latae obligant etiamsi ab aliqua civili auctoritate non essent admissae; et propositio contraria damnata fuit a Pio IX in suo Syllabo [3].

114. — *Q.* Quinam in Ecclesia facultatem habent condendi leges?

R. I. Summus Pontifex habet plenam et supremam potestatem non solum honoris sed etiam jurisdictionis in universam Ecclesiam, et hoc de *fide* est, ut definivit Concil. Vatic. contra Protestantes, Jansenistas, et omnes haereticos: *Si quis dixerit: Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem et mores,*

[1] Potestas ferendi leges alia est pro foro interno vel externo; et alia pro foro contentioso, vel voluntario. Ad forum *contentiosum*, a contentione partium sic dictum, pertinet leges condere, praecipere, punire, definire causas civiles et criminales. Ad forum vero *voluntarium* pertinet leges applicare in volentes et consentientes, uti dispensare, conferre officia, beneficia etc.

[2] Objectum disciplinae ideoque et legum disciplinarium est quidquid conferre potest ad fidei defensionem, morumque sanctitatem obtinendam. Hinc exterior Dei cultus; administratio sacramentorum; politia et correctio cleri; divisio particularium Dioecesium; recta dispensatio ecclesiasticorum bonorum, regula morum in ordine ad Deum, proximum, ac semetipsos, aliaque ejusmodi totidem objecta sunt legislativae, coactivae, ac supremae potestatis, quam habet Ecclesia a Christo. *Perrone* Pars 1, *De loc. theol.*

[3] S. Alph., L. I, 138.

sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut Eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremae potestatis; aut hanc Eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anath. sit. Ideoque in Ecclesiam universam leges ferre potest.

In novo Codice iuris canonici nomine Sedis Apostolicae veniunt non solum Romanus Pontifex, sed etiam nisi ex rei natura vel sermonis contextu aliud appareat, Congregationes, Tribunalia, Officia, per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet. **Can. 7.**

II. Concilium *Oecumenicum* a Papa confirmatum potestatem habet ferendi leges in totam Ecclesiam.—Concilia *Nationalia* potestatem habent in totam nationem. *Provincialia* in totam provinciam.

III. Cardinalis ratione suae dignitatis potest ex jure ferre leges in Ecclesiam sui Tituli. — Item ex eodem jure Legatus Apostolicus in locum suae Legationis.

IV. *Episcopus* in propriam dioecesim. Hoc autem ius Episcopus habitu accipit sua canonica institutione. Attamen ut actu illud exerceat, ex jure requiritur tum ut Litterae Apostolicae expeditae sint, atque iis exhibitae quibus exhibendae de jure, tum ut realis possessio capta sit [1].

V. Capitulum Cathedrale, nam succedit in locum Episcopi; jurisdictio tamen Capituli exercetur per electum Vicarium Capitularem.

VI. Abbates et Praelati exemti in proprium territorium, ubi quasi episcopalem exercent jurisdictionem; jurisdictioni enim adnexa est potestas legislativa.

VII. Denique leges ferre possunt sive Ordines religiosi in Capitulo generali, sive Superior Generalis juxta cujusque Ordinis statuta ab Apostolica Sede approbata, vi potestatis a Papa iisdem concessae.

Abbatissae autem et Superiorissae Monialium leges proprie dictas ferre nequeunt, cum jurisdictione ecclesiastica sint incapaces. Possunt tamen praecepta obedientiae imponere, sive circa res praeceptas, sive circa ea quae ad profectum Monialium juxta regulas conducunt, et hoc sive ex voto obedientiae a Monialibus emisso, sive ex necessitate disciplinae, quae in communitate servari debet.

115. — *Q.* Statuta Episcopi habent ne vim legis?

R. Statuta Episcopi data in Synodo uti verae leges habentur, per se perpetuo duraturae, etsi unum tantum coetum subditorum respiciant, cum in codice legislativo contineantur. Edita vero extra Synodum dioecesanam, inconsulto Capitulo cathedralis Ecclesiae, juxta sententiam communiorem et veriorem non habentur uti leges, unde resoluto jure ipsorum, v. g. morte, abdicatione, translatione, evanescunt. — Edita autem consulto Capitulo, utrum evanescant, disput. Th.; et sententia probabilior negat [2].

Ceterum sacri canones jubent, ut Episcopus in rebus gravioris momenti consensum sui Capituli,

[1] *Scavini*, I, n. 165.

[2] *D'Annibale*, I, 199 (4).

aut saltem ipsius consilium requirat, quandoquidem Canonici Ecclesiae cathedralis sunt consiliarii nati Episcoporum. Generalis igitur regula est, ne quid Praesul in negotiis gravioribus sine Capituli consilio aut consensu agat; et ita quidem, ut quae de consensu Capituli fieri debent, eo neglecto, nulla sint. Si vero Capituli solum consilium postulatur, oportet illud audire, non tamen sequi. Quibus autem in rebus aut consensus, aut consilium Capituli requirendum sit, vix statui potest; idque ad jus canonicum spectat [1].

116. — *Q.* Ubinam continentur leges Ecclesiae generales, et quomodo promulgantur?

R. Leges generales Ecclesiae continentur in novo Codice iuris canonici Pii X Pontificis maximi iusso digesto, et Benedicto XV autoritate promulgato; in Concilio Trid.; in Bullis, Brevibus et Rescriptis Ss. Pontificum; in declarationibus Sacr. Congregationum; et in Regulis Cancellariae Apostolicae.

Leges a Sede Apostolica latae promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis Commentario Officiali*, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus; et vim suam exerunt tantum expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent, aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta. **Can. 9.**

117. — *Q.* 1° Quid est Jus canonicum; 2° et obligat ne universim?

R. Ad 1.um Jus canonicum definire potest: *Complexio canonum seu legum fidem, mores et disciplinam spectantium, quae ab ecclesiastica potestate christianis vel praescriptae, vel propositae sunt* [2]. — Ad 2.um Canones iuris canonici vim legis habent, et universim obligant; continent enim sancta Pontificum et Conciliorum statuta [3].

118. — *Q.* Bullae, Brevia, Rescripta quid sunt, et habent ne vim obligandi?

R. Nomine *Bullarum* veniunt Pontificum Constitutiones sic dictae a bulla, seu sigillo exhibente hinc SS. Petri et Pauli imagines, illinc nomen Pontificis. Graviora, ut plurimum, negotia respiciunt. — Nomine *Brevium* veniunt Pon-

[1] S. Alph., L. 1, 104. *Vecchiotti*, L. II, c. VI, § 60.

[2] Jus canonicum de rebus fidei et morum aliter tractat ac Theologia dogmatica et moralis. Theologia dogmatica de fide rebusque divinis universim disserit, ut statuat regulam credendi: proindeque studium omne et operam collocat in demostrando quid contra fidem pugnet, quantum et quatenus opinio quaevis sanae et catholicae doctrinae congruat, vel adversetur. At Jus canonicum res fidei respicit, ut ex eis agendi regulam hauriat, cum multae sint disciplinae leges, quae a fidei regulis ita pendent ut credendi regula regulam agendi constituat.—Verum Theologia moralis versatur circa virtutes omnes ac vitia motivo generali bonitatis, vel malitiae; et spectat primario ac praecipue forum internum, et tractat actiones qnaslibet sive respectum habeant ad civitatem, sive non. Sed Jus canonicum rationem habet officiorum, quae in ecclesiastica societate praestanda sunt, ut fideles pie honesteque conversentur; et idcirco respicit fideles, ratione habita ad communitatem ecclesiasticam, forumque externum maxime intuetur.— *Vecchiotti*, L. I. c. 1, § 3.

[3] S. Alph. L. I, 105. *Ninzatti*, 64.

tificum Constitutiones, quae per Secretarium Brevium expediuntur pro negotiis, ut plurimum, non ita gravibus, sub sigillo rubro in quo impressa est imago S. Petri piscationem agentis ; ideo dicuntur expediri sub *annulo Piscatoris*. Bullae et Brevia obligant omnes sub gravi in re gravi; sunt enim Apostolicae Sedis sanctiones, quae accipiendae sunt tanquam ipsius divi Petri voce firmatae.

Rescripta sunt rogatorum Pontificum responsa, et aliá dantur instar epistolarum familiarium, et ideo vim non habent obligandi, etsi reverenda; et alia dantur instar decretorum ; de hisce aiebat S. Augustinus : *Per Papae rescriptum causa Pelagianorum finita est* [1].

119. — *Q.* Decreta S. Rituum Congr. habent ne vim legis ?

R. Certum est quod decreta S. R. C. vim verae legis, aut veri praecepti habent, etsi non fuerint expresse approbata a Summo Pontifice. Quaesitum enim fuit : « An Decreta a S. C. R. emanata, et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto formaliter editae, eamdem habeant auctoritatem, ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae ?» S. C. die 23 Maji 1846 respondit : *Affirmative*. Et Pius IX 17 Jul. ejusdem anni responsionem confirmavit [2].

Ut autem haec Decreta vim habeant legis, ex eadem Congr. non requiritur promulgatio vel Romae, vel ab Episcopis in suis Dioecesibus facta, sed sufficit quod responsiones sint subscripta a S. C. R. Praefecto et Secretario, ac ejusdem sigillo munitae. Imo ex alio decreto ejusdem S. R. C. die 6 Sept. 1854, tanquam formaliter edita habenda sunt decreta et responsiones in authentica Collectione Gardelliniana inserta [3].

Si quis igitur moraliter certus sit de aliquo Decreto hujus S. Congr. et quidem authentice edito, vel inserto in nova collectione Authentica, statim ad illud observandum tenetur et quidem sub culpa gravi vel levi, prout materia gravis vel levis est.

An vero Decreta, Indulta, Decisiones S. Rituum Congreg. datae vel dandae in casibus particularibus, applicabiles sint, et adoptandae in similibus casibus, quasi essent pro omni loco decretae eo vel magis, quia Sacra ipsa Congreg. id innuere videtur, quando propositis dubiis respondere solet: *Dentur Decreta; juxta alia Decreta; provisum in una, etc.*, S. R. Congr. 8 Aprile 1854, resp. *Negative,* et semper recurrendum in casibus particularibus [4].

120. — *Q.* Decreta S. R. C. abrogant ne contrarias consuetudines etiam immemorabiles ?

R. I. Si agatur de consuetu-

[1] *Del Vecchio*, I, 115.

[2] Decreta S. R. C. aliquando possunt esse tantum *directiva*, et aliquid consulunt vel permittunt, et tunc feruntur hisce formulis : *Convenit, laudabilius esset, tolerari, permitti potest.* etc., quo in casu regulariter non obligant sub culpa, secluso scandalo et contemptu. Regulariter tamen sunt *praeceptiva*, et aliquid praescribunt vel prohibent, et tunc feruntur hisce formulis : *Ita rescripsit ac servari mandavit, eliminanda est consuetudo, etc.*, et tunc obligant sub culpa pro ratione materiae.

[3] Nunc vero, restricta et emendata veteri Collectione Gardelliniana, omnem vim obligandi retinet sola *nova authentica Collectio*, ab ipsa S. R. C. edita anno 1899.

[4] *Bucceroni*, Enchiridion morale, p. 6.

dine contra Rubricas Missalis Romani certum est quod talem consuetudinem abrogant, sic enim declaravit ipsa S. R. C.; quia quaecumque consuetudo etiam immemorabilis contra Rubricas Missalis nil aliud est nisi abusus et corruptela. Item dicendum de Rubricis Caeremonialis Episcoporum.

2. Si agatur vero de consuetudine contra Rubricas Ritualis Rom. tunc etiam affirmandum erit, sed recurrendum est in particulari. Interrogata S. C. R.: « An decreta S. R. C. dum eduntur derogent cuicumque contrariae invectae consuetudini, etiam ab immemorabili, et, in casu affirmativo, an obligent in conscientia? » Respondit: *Affirmative, sed recurrendum in particulari;* hoc autem significat quod ut consuetudo immemorabilis abrogata censeatur, necessarium est praedictum judicium S. R. C., excepto casu quo evidenter pateat consuetudinem abusum esse.

121. — *Q.* Decreta et declarationes aliarum Congregationum habent ne vim legis?

R. Quoad Decreta aliarum Congregationum, si illa sunt *particularia*, seu respiciunt non jus commune, sed dumtaxat jus particulare alicujus loci, vel aliquarum personarum ex privilegio aut legitima consuetudine exortum, evidens est quod non habent vim legis universalis; sed obligant pro casibus particularibus pro quibus eduntur.

Si vero sunt *formaliter generalia,* nempe quae expressis verbis formam generalem continent, v. g. si decretum inscribitur: *Urbis et Orbis;* vel praemittuntur haec verba: *Decretum generale;* vel in eo edicitur: *in quibusvis mundi Ecclesiis,* aut: *ubique servandum,* tunc illa decreta vim legis habent, cum enim illa promulgentur et edantur auctoritate Summi Pontificis, pro veris legibus habenda sunt [1].

Si autem sunt solum *aequivalenter generalia,* nempe dubium propositum est generale, tunc an haec decreta obligent pro similibus casibus, distinguendum est: si interpretationes seu declarationes sunt *comprehensivae,* idest sensum legis universalis tantum declarant, vim legis habent, etsi promulgatione proprie dicta careant, modo de ipsis certo constet, quia istae declarationes non sunt novae leges, sed legem jam editam tantum interpretantur. — Si vero declarationes sunt *extensivae,* nimirum non sunt merae legum interpretationes, sed novam legem inducunt, tunc habent vim legis universalis, si ex mandato Summi Pontificis fuerint editae et legitime promulgatae; secus non habent vim legis, nec tollunt probabilitatem sententiae contrariae, nec eis proinde necessario standum est [2].

122. — *Q.* Responsiones Ss. Congregationum sunt ne semper inter se conformes?

R. Negative: hoc autem evenit:

1. Si agatur *de casibus singularibus,* qui ob diversas locorum

[1] Qaesitum fuit: *Utrum per acta a S. Sede Apostolica profecta designentur tantum acta quae immediate a S. Pontifice proficiscuntur, an etiam quae mediate a SS. RR. Congregationibus proveniunt?* S. C. S. Off. die 13 Jan. 1892 resp.: *Negative* ad primam partem: *affirmative* ad secundam. Quod decretum Sanctitas Sua Leo XIII approbavit et confirmavit die 14 Jan. 1892.

[2] Hic ad faciliorem intelligentiam responsionum S. R. E. Congregationum referre praestat quosdam respondendi

et rerum circumstantias diversimode aliquando resolvuntur ; vel *de rebus dubiis,* si nondum facta sit discussio. Et in hoc casu si illico sit respondendum, solent Congregationes communiori sententiae adhaerere (doctrinaliter, non decisive) ; quin intendant

modos, quos Romanae Congregationes, ad evitandas longiores verborum circumlocutiones induxerunt.

Dilata, seu differtur respondere, ut res maturiori examini subjiciatur, utpote difficilis solutionis, vel etiam quia desiderantur alia documenta.

Affirmative et amplius. Negative et amplius, seu cum res fuerit in S. Congregatione plus aequo discussa, et plenis votis prout jacet decisa, nonnisi rarissime de novo admittitur tale quaesitum.

Nihil, seu non admittitur petitio utpote incongrua.

Relatum, seu quando supplex libellus relatus Pontifici exauditus non fuit,

Lectum, seu cum lectum fuerit in S. Congregatione postulatum, non fuit admissum.

Reponatur, vel *non proposita*, seu non datur responsio, seu petitio reponitur in Archiviis S. Congregationis quin gratia concedatur.

Dentur decreta, seu recolantur decreta antecedentia, in quibus jam data fuit conveniens responsio.

Detur decretum generale, est quando agitur de re gravi, quae a pluribus negligitur.

Spectare ad Episcopum, vel *Orator adeat Episcopum,* ut nempe ipse provideat juxta canonicas ordinationes.

Orator rem deferat ad Ordinarium, et ejus judicio se dirigat, est quando S. Poenitentiaria non tribuit aliquam facultatem, sed simpliciter remittit oratorem ad Ordinarium, qui si habet facultatem in casu, provideat juxta propriam conscientiam ; si facultatem non habet et putat rem tueri, illam petitionem commendet tribunali competenti.

Per summaria precum, seu non agi de aliquo gravi dubio, vel de causa contentiosa.

Non congruere. — Non expedire, seu non convenit concedere quod postulatum fuit.

Serventur Rubricae ; seu consulantur et serventur Rubricae quin aliud requiratur.

Ponatur in folio, sic S. C. respondet quando agitur de dubio gravi, quod non resolvitur nisi post maturam discussionem, quae locum habet non in sessionibus ordinariis, sed in aliqua sessione speciali et quidem coram Tribunali ejusdem Congr.

In decretis, in decisis, est quando orator iterat preces, et S. Congr. iterum decernit standum esse in jam data resolutione.

Ad mentem, est quando praeter solutionem dubii, S. Congregatio censet aliquid aliud animadvertendum vel declarandum. Quod aliquando manifestatur tantum illis ad quos responsio dirigitur ; aliquando in ipsius dubii solutione publice declaratur ; et tunc additur : *Mens est,* etc.

Nihil transeat, est cum partes, procuratore constituto, volunt procedendi formam ad unguem servari.

Utatur jure suo, idest cum sit de ordinario jure et potestate Episcopi providere in casu, provideat, si ipsi in Domino videbitur ; neque enim ad id tenetur.

Facto verbo cum Sanctissimo, vel *Ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo*, haec clausula ponitur, si S. Congregatio gratiae concedendae facultatem non habet ; et ideo injungitur Secretario ut rescriptum referat S. Pontifici, qui judicium Congregationis approbare solet, et gratiam concedere.

Sub dependentia Ordinarii, haec clausula in rescriptis Pontificiis adjecta significat ut Ordinarius rerum omnium quae in rescripto comprehenduntur certior fiat, et veram realemque pervigilantiam exerceat. Haec tamen potestas non eousque extenditur, ut quaevis praepediatur subjectis ordinaria administratio.

Aperitio oris, est venia quam impetrare oportet a S. Pontifice, antequam quis disceptare adhuc possit super litem ad quam finiendam decreta pontificia jam lata fuerant.

Providebitur in casibus particularibus, est quando controversia S. Congregationi proposita fuit generice et indeterminate. Tunc casus est proponendus determinate, cum omnibus adjunctis specialibus.

Gaudeat impetratis, seu quando post

quidpiam veritati detrahere, ut notat Bened. XIV [1].

2. Si agatur de decisione quae datur ob peculiares rationes ad lites, scandala, odia sopienda ; quo in casu decisio fulminatur, ut dicunt, *a posteriori, non a priori,* idest non secundum jus strictum, et nude consideratum ; sed habita ra ione illius casus specialis. Quando autem hoc evenit, decisioni additur v. g. *affirmative* vel *negative ut jacet, ut in casu, etc.*, et istae decisiones generatim typis demandari non solent cum pro norma generali inservire nequeant [2].

123. — *Q.* Regulae Cancellariae Apostolicae obligant ne ubique ?

R. Regulae Cancellariae Apostolicae sunt quaedam leges pontificiae, quae de disciplina universali disponunt, et maxime reservationes beneficiorum respiciunt. Cum autem sint verae leges obligant ubique, modo ipsis derogatum non sit vel per concordata, vel per consuetudinem contrariam legitime praescriptam [3].

—

primam gratiam obtentam, ejus extensio vel alia de novo postulatur, quam S. Congregatio non censet esse concedendam.

Reportare rescriptum, idest reddere rescriptum S. Congregationi, a qua idem prodiit, ut inter acta reponatur aut laceretur, aut deleatur, ita ut perinde sit ac si concessum et expeditum non fuisset.

Consulat probatos auctores, nempe quum S. Poenitentiaria putat non expedire propositum dubium resolvere, et petentem mittit ut consulat probatos auctores, qui nempe usu recepti sunt in Ecclesia, vel consulat viros qui in singulis dioecesibus scientia et prudentia praestant, et duce Episcopo, valeant suas dare opiniones, quibus acquiescere prudenter possit.

Sacra vero Rituum Congregatio ordinarie non respondet per litteras supplicationibus privatorum circa rem liturgicam ; unde si quis privatus aliquid postulet, in Urbe statuat qui nomine ipsius agat. Item dictae supplicationes a proprio Ordinario subscriptae esse debent. — *Del Vecchio*, 1, 120. V. alia plura apud *Scavini*, L. I, n. 340.

[1] *De synodo*, L. 6, c. 6, n. 4.
[2] *Del Vecchio*, I, 120.
[3] S. Alph., L. I, 106. *Ninzatti*, I, 67,
[4] *Rom.* 13, 1.

ART. II.

De lege civili et de jure gentium.

124. — *Q.* Quid est lex civilis ?

R. Lex civilis est *ordinatio rationis a legitima potestate promulgata, qua societas ad bonum commune temporale dirigitur.*

Lex civilis, ut sit vera lex, gaudere debet omnibus proprietatibus legis humanae superius positis, n. 89.

125. — *Q.* Auctoritas civilis gaudet ne facultate ferendi leges ?

R. Suprema potestas civilis certe gaudet facultate ferendi leges circa res mere civiles; quae leges obligant in conscientia, dummodo justae sint ; - ratio, quia ipsa a Deo est. Hinc Paulus : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo ; itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit* [4].

Hinc Pius IX in suo Syllabo hanc damnavit propositionem : *Legitimis Principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet.* Patet ergo quod legitima auctoritas civilis gaudet facultate ferendi leges.

126. — *Q.* Legislatores civiles accipiunt ne a populo potestatem condendi leges ?

R. Protestantes docent quod potestas legislativa, quae societati cuilibet civili competit, *nullatenus a Deo,* sed *a libera tantum voluntate hominum oritur.* Haec autem potestas non in peculiari persona aut coetu, sed in ipsa integra communitate residet ; et populus essentialiter est et remanet princeps.

Hanc doctrinam, utpote omnis juris socialis et potestatis politicae eversivam, omnes Theologi catholici rejiciunt, et affirmant auctoritatem in societate civili vigentem a Deo primariam originem ducere ; unde Leo XIII in Encycl. *Diuturnum,* 29 Jun. 1881, ait : *Politicum imperium a Deo proficisci recte docet Ecclesia.*

Disputant vero Th. catholici de modo quo Deus hanc potestatem societati civili confert. Et alii dicunt quod subjectum, sive una persona sit, sive coetus, in quo suprema potestas residet, a populo quidem per electionem formalem, aut aequivalentem designatur, sed in subjectum sic electum Deus ipse *immediate* confert auctoritatem. Alii vero dicunt quod Deus *immediate* confert auctoritatem supremam non uni personae aut coetui, sed ipsi corpori communitatis, seu ipsi societati. Haec autem potestas non est societati concessa ut in ea semper maneat, aut per eam immediate exerceatur, sed ut per liberam ejus electionem aut consensum in unum subjectum aut coetum transferatur; quam translationem Deus approbat, et quasi sacram et irrevocabilem servari vult [1].

Ceterum haec quaestio potius ad Philosophiam quam ad Theologiam Moralem spectat [2].

127. — *Q.* Adest ne obligatio obediendi superiori in dubio an sit legitimus ?

R. Omnino tenendum est, ait S. Alph. [3] quod obediendum sit semper ac supe ior est in pacifica possessione suae potestatis, quia tunc conditio ejus est jam possidentis jus praecipiendi.

E contra non adest obligatio obediendi si superior hujusmodi nondum possederit jus praecipiendi. — Item si ab initio dubium sit de legitima electione superioris regularis, de legitima potestate legati, praesidis provinciae, etc.

128. — *Q.* Est ne obediendum tyranno ?

R. I. Si tyrannus talis est *regimine,* qui scilicet perverse po-

[1] Theol. Clarom. De legibus, pars 2ª.

[2] Singuli senatores et deputati non sunt veri legislatores, rigorose loquendo, quia suprema jurisdictio ipsis nec tota competit, nec singulis competit. Non tota competit, quia ad approbationem legis requiritur suffragium Regis et alterius *Camerae ;* nec singulis competit, quia ipsis competit collective tantum non distributive. — In Italia vero, praesentibus circumstantiis, illicitum est ex declaratione Summi Pontificis sive tale munus accipere, sive ad eorum electionem concurrere. — At senatores et deputati, ex sola ratione talis muneris nullam excommunicationem incurrunt. Incurrere tamen possunt si in exercitio proprii muneris actus committunt quibus excommunicatio adnexa est, uti esset: 1° si proprio voto concurrerent ad legem edendam quae directe vel indirecte jurisdictionem ecclesiasticam impediret; 2° si legem sancirent contra libertatem, vel jura, vel bona Ecclesiae, vel contra personas ecclesiasticas; 3° vel si proprio voto concurrerent ad servandam supremam laicalem jurisdictionem in locis dominio Pontificio subjectis (Const. *Ap. Sedis,* n. VI, VII, XI, XII).

[3] L. 1, 28. *Ballerini,* V. I. Tr. 3,10

pulum regit et opprimit, ipsi profecto obtemperandum est, clamante S. Petro : *Subditi estote dominis non tantum bonis, sed etiam dyscolis* [1] ; quia ejus potestas etiam a Deo est ; et licet injuste exercitata ab illo, tamen juste est ordinata a Deo vel ad malorum punitionem, vel ad probationem bonorum. Id tamen intelligendum est si non praecipiantur ea quae Dei et Ecclesiae legibus repugnant. — At quale remedium adest, si regimen principis esset excessive tyrannicum ? Remedium quod suppetit, ait S. Th., est ad Deum recurrere, ut auxilium praebeat ; sed ut populus hoc beneficium a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare, quia in ultionem peccati, divina permissione, impii accipiunt potestatem.

2. Si vero tyrannus talis est *usurpatione,* qui regnandi titulum non habet, tunc vel nondum est in pacifica regni possessione vel jam est. Si 1.[um] etsi non liceat eum factis agnoscere et juvare ut in sua possessione stabiliatur, legibus tamen quae ab ipso pro bono communi et ordine sociali feruntur obtemperandum est, in hoc enim consensus legitimi principis praesumi debet. Si 2.[um] idest si tyrannus jam est in pacifica regni possessione, seu annorum decursu novus potestatis possessor ita obfirmetur, ut pristinus ordo redintegrari nequeat, tunc illi non secus ac legitimo principi obedientia praestari debet, et nihil contra illum moliri fas est. Nec vero contrarium velle legitimus princeps praesumi potest. Id enim exigit necessitas servandi ipsam communitatem seu societatem. Neque enim subditi leges illas servant, quasi legitimam habeant, aut profiteantur usurpationis potestatem, sed quia lex naturalis ordinem aliquem servari praecipit ; et cum ille tantum ordo tunc possibilis sit, hunc lex naturae servandum jubet [2].

[1] I Petri, II, 18.

[2] *D'Annibale*, I, 161, (4). *Müller*, L. I, § 50, n. 8. *Marc, Ballerini*, etc.

Quaesitum fuit a S. Poenitentiaria Ap.

1° Se gli Amministratori dei luoghi pii occupati dal governo invasore possano essere dagli Ordinarii abilitati non solo a continuare nell'amministrazione, ma ancora ad accettarla coloro che venissero eletti nuovamente dalla illegittima Autorità.

R. « S. Poenitentiaria, de speciali et expressa Apostolica Auctoritate, omnibus et singulis Locorum Ordinariis, quorum territoria a Gubernio invasore occupata fuerunt, ad sex menses duraturam facultatem concedit praefatis personis, ut officium administratoris, dummodo exinde non requiratur adhaesio gubernio invasori, aut juramentum fidelitatis juxta formam ab eodem gubernio propositam, et ad effectum et sub conditione curandi utilitatem Locorum Piorum, et abstinendi omnino ab alienatione bonorum, et cum dependentia ab Episcopo seu ab Ordinario Loci, cui rationem reddere teneantur, retinere ac de novo assumere et exercere licite valeant, Apostolica expressa Auctoritate indulgente. Porro quisque curabit scandalum removere, caute manifestando se id peragere de licentia apostolica. Episcopi vero et Ordinarii in administratione Locorum Piorum passive se habeant, nullumque positivae conniventiae argumentum quoad Gubernium exhibeant, et eidem dumtaxat, si fuerint interrogati, respondeant ».

2° Se possono ritenersi ed assumersi gl' impieghi sotto il governo intruso.

R. « Dummodo non agatur de officiis, quae directe et proxime influunt in spolium, vel in ejusdem spolii manutentionem, et exerceri possint absque periculo laesionis legum divinarum et ecclesiasticarum, posse tolerari: in praxi vero quilibet ex dictis officialibus aut personis ditionis Pontificiae, qui paratus sit stare mandatis S. Sedis, caute moneatur, ut consulat Episcopum seu

129. — *Q.* Quid est jus gentium ?

R. Jus gentium, a modernis *jus internationale* dictum, definiri potest : *Complexio jurium et obligationum, quae inter diversas gentes ab ipsa natura constitutae sunt.* Hoc vero jus tacito et communi populorum consensu et usu inter seipsos constitutum fuit. Ius gentium suum principium et robur a jure naturali desumit, quia hoc, et non res publica, est sola fons et origo omnium jurium; et propos. contraria a Pio IX in suo Syllabo damnata fuit. Obligat autem omnes homines, quia etsi non omnes eodem statu civili contineantur, humanitatem tamen et communionem juris naturalis omnes retinent.

CAPUT IV.

De objecto et subjecto legis humanae.

ART. I.

De objecto.

130. — *Q.* Quodnam est objectum legis humanae ?

R. I. Objectum legis humanae sunt omnes et soli actus quorum positio vel omissio ad bonum commune conferre potest. Ergo objectum legis humanae esse non potest quod est inhonestum, injustum, moraliter impossibile, vel etiam mere inutile; ratio quia non conferret ad bonum publicum.

II. Actus *ex se mali* non possunt esse objectum legis *praecipientis;* actus *ex se boni* non possunt esse objectum legis *prohibentis*, nisi aliquando *per accidens* bonum publicum ordinis superioris exigat ut talis actus ex se bonus omittatur. Actus *ex se indifferentes* et praecipi et prohiberi possunt, prout ex circumstantiis possunt prodesse vel obesse bono publico.

131. — *Q.* Lex humana praecipere ne potest actus heroicos ?

R. Quoad actus *heroicos*, lex vel est particularis vel generalis.

Si est *particularis*, actus heroicos praecipere potest quando quis ipsi legi se voluntarie submittit, uti lex castitatis pro Sacerdotibus, lex clausurae pro Monialibus.

Si vero lex est *generalis*, per se non potest, quia generatim lex esset impossibilis ; per accidens tamen praecipere potest duobus in casibus : 1° Quando hoc exigit bonum publicum. Sic Episcopus, tempore pestis, praecipere potest presbyteris, etiam non parochis, ut urbem non deserant, quia bonum publicum praevalet bono privato. 2° Quando omissio alicujus actus cessura esset in Dei aut religionis contemptum, in hoc enim casu ille actus omitti non potest, quin ipsa lex naturae violetur [1].

Loci Ordinarium, qui in singulis casibus decernet juxta mentem Ss. Domini »: *S. Poenitentiaria*, 20 *feb.* 1867.

Quoad juramentum vero praestandum, Plus VII, an. 1809, illicitum et irritum declaravit juramentum illimitatum quod infidelitatem et flagitium implicat contra legitimum Principem. E contra permisit ut juramentum fieret hac formula: *Promitto et iuro me cuiuslibet generis coniurationi, sive conventui, sive seditioni contra actuale gubernium operam nunquam daturum, itemque eidem me subjectum fore atque obtemperantem in iis omnibus quae nec Dei nec Ecclesiae legibus adversentur.* Sic etiam nunc fieri potest juramentum.

[1] *Marc.* 155.

132.—*Q.* Lex humana praecipere ne potest: 1° actus mere internos; 2° vel externos quidem sed occultos?

R. Ad 1.um Distinguo. Si lex est civilis certo praecipere potest *indirecte* actus internos *per se* connexos cum externis; non potest vero neque indirecte, si per se conjuncti non sunt cum externis, quia etiam sine his obtinet suum finem, nempe tranquillitatem reipublicae, quae facile habetur si ponantur actus externi praecepti, et evitentur prohibiti.

Si vero lex est ecclesiastica certe praecipere eos potest in foro interno; et etiam in foro externo *indirecte* eos praecipere potest, quando nempe actus interni conjunguntur per se cum actu externo ut unum actum moralem efficiant, uti attentio in auditione missae [1]. An vero etiam *directe* actus internos praecipere possit, quaestio est inter Theologos. Plures cum S. Alphonso [1] probabilius negant, quia tales actus mere internos Ecclesia cognoscere nequit, unde nec eos praecipere, vel vetare potest.

Ad 2.um Lex humana in actus *externos, etsi occultos*, potestatem habet; actus enim occulti natura sua ab aliis non differunt, unde et ipsi cadunt sub lege. Sic poena excommunicationis plectitur haeresis externata licet occulta; sic homicidium etiam occultum sub irregularitate cadit.

133.—*Q.* Lex potest ne ad actus praeteritos se extendere?

R. Lex non potest se extendere ad actus praeteritos nec ratione *culpae*, cum non adsit praevericatio ubi non est lex; nec ratione *verae poenae*, cum haec lata sit tantum in culpae vindictam; nec ratione *rescissionis actuum*; nisi in aliquo casu a lege expresso; hinc Codex iuris canonici sic habet: Leges ecclesiasticae respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur. **Can. 10.**

Si tamen lex quasdam *inhabilitates* constitueret, v. g. pronuntiando eos qui hoc vel illud fecerint, esse irregulares, vel inhabiles ad contrahendum matrimonium etc., tunc lex ad actus praeteritos se extenderet, quia tunc non constitueret poenam pro culpa praeterita, sed requireret conditionem seu qualitatem re vera actualiter deficientem.

134.—*Q.* Si lex ecclesiastica et civilis contraria decernat, cuinam parendum est?

R. Si lex ecclesiastica et civilis contraria decernant, illi legi parendum est quae praecipit in iis quae suae jurisdictionis sunt, nempe legi ecclesiasticae si objectum legis ad res pias et religiosas spectat, legi civili vero si objectum respicit res saeculares; hinc v. g. in testamentis quoad causas *pias* juri canonico; quoad alias causas juri civili standum est [2].

[1] S. Alph., L. I, 100.

[2] Nihilominus quia ad Ecclesiam pertinent jus naturale et divinum custodire, si aliquam legem civilem reprobaverit tanquam a bonis moribus vel divino jure alienam, juri canonico standum est; et ut generaliter dixerim, quoties agitur de peccato vitando, juri canonico est adhaerendum, ut puta in usucapionibus, et praescriptionibus sine bona fide completis. *D' Annibale*, I, 201 (10).

ART. II.

De subjecto.

135.—*Q.* Quodnam est subjetum legis humanae?

R. I. Omnes et soli subditi rationis habitualiter compotes sunt subjecti legi humanae. Dixi: 1° *soli subditi*, quia lex subditos tantum afficere potest. Dixi: 2° *rationis habitualiter compotes*, quia qui habitualiter usu rationis carent, humano modo dirigi nequeunt.

II. Soli adulti rationis actualiter compotes possunt legem moraliter violare; - ratio, quia deficiente cognitione, nemo peccare potest.

III. Legibus mere ecclesiasticis non tenentur qui babtismum non receperunt, nec baptizati qui sufficienti rationis usu non gaudent, nec qui, licet rationis usum assecuti, septimum aetatis annum nondum expleverunt, nisi aliud iure expresse caveatur. Can. 12.

136. — *Q.* Legislator tenetur ne suis legibus?

R. Legislator singularis et absolutus non tenetur suis legibus quoad vim coactivam et poenam. — An teneatur quoad vim derectivam, disput. Th. Alii affirmant ex quadam aequitate; sed alii plures negant, quia non est sibimetipsi subditus. - Certe autem tenetur quoties adsit lex superior ipsum obligans. Hinc tenetur: 1° si ejus leges continent jus naturale vel divino positivum, vel respiciunt bonum publicum, vel solemnitates contractuum; 2° tenetur si ex ejus legis transgressione adest scandalum vel damnum tertii.

137.—*Q.* Clerici tenentur ne legibus civilibus?

R. Clerici cum jure divino sint exempti a potestate civili non tenentur legibus civilibus directe et quoad vim coactivam; tenentur tamen, uti membra reipublicae indirecte et quoad vim directivam, iis legibus communibus quae ad bonum commune spectant, et hoc etiam Ecclesia exigit et praecipit, dummodo tamen non repugnent immunitati ecclesiasticae adhuc vigenti, vel eorum statui, aut sacris canonibus. Ita communiter [1].

138. — *Q.* Infideles, haeretici, amentes, ebrii et pueri tenentur ne legibus Ecclesiae?

R. Infideles, idest non baptizati, legibus Ecclesiae subjecti non sunt.

Haeretici, qui ad sectam haereticam non pertinent, uti catholici qui circa fidem naufragium fecerunt, certe legibus Ecclesiae tenentur. *Item* communius et probabilius tenentur qui a fide catholica ad sectam haereticam transierunt, ne commodum reportent ex eorum iniquitate. An vero teneantur haeretici qui ad sectam haereticam pertinent, utpote in ipsa nati, disput. Th. Sententia probabilior tenet quod licet *per se* legibus Ecclesiae teneantur, quia per baptismum sunt ejus subditi, *per ac-*

[1] Summus Pontifex jure divino et naturali immunis est a saeculari jurisdictione; id enim sequitur necessario ex notione supremi gubernatoris societatis perfectae inter homines ubique terrarum degentes constitutae, qualis est Ecclesia. Unde SS. Pontifices etiam primis Ecclesiae saeculis subditi erant quoad factum, non quoad jus.

cidens tamen non tenentur quoad leges mere *praeceptivas*, quae respiciunt bonum spirituale animarum, uti lex jejunii, festorum, quia non praesumitur quod Ecclesia velit eos certa lege obligare ne multiplicentur peccata, nec ipsi credunt se his legibus teneri.—An autem teneantur quoad leges *irritantes*, quae respiciunt bonum et ordinem publicum, uti impedimentum dirimens matrimonium, disput. Th. Sententia communis et verior affirmat, uti colligitur ex praxi SS. RR. Congregationum.

Ceterum haeretici a peccato *formali* ordinarie excusantur propter eorum bonam fidem, inadvertentiam inculpabilem, aut ignorantiam invincibilem. Quare *in praxi* si quis haereticus ad unitatem Ecclesiae rediret, non est ab eo exigenda confessio de omissione praeceptorum Ecclesiae, puta auditionis Sacri, vigiliae, jejunii, etc.

Amentes vel tales sunt in perpetuum vel ad tempus. Si in perpetuum, non sunt subjecti; si ad tempus, subjecti sunt tempore lucidi intervalli.

Ebrii sunt subjecti legi, quia habitualiter compotes sunt rationis. Ipsi tamen, etsi vere legibus obligentur, earum violatione non peccant, defectu advertentiae, et consensus, excipe si praeviderint saltem in confuso violationem legis, quo in casu adesset voluntarium indirectum et in causa.

Impubes, ante plenum septenium, dicitur infans seu puer vel parvulus, et censetur non sui compos; expleto autem septennio, usum rationis habere praesumitur. Infanti assimilantur quotquot usu rationis sunt habitu destituti. **Can. 88.**

Persona quae 21 annum explevit, maior est: infra hanc aetatem, minor.

Minor si masculus censetur pubes a 14; si femina a 12 anno completo. **Can. 88.**

In dubio vero an habeant usum rationis, si non compleverint septimum annum, sunt liberi; si compleverint, tenentur; quia praesumptio stat pro communiter contingentibus, nempe pro sufficienti usu rationis [1].

Si vero ante septennium *certo* habent usum rationis, tamen non tenentur; ratio, quia Ecclesia respicit quod communiter contingit, nec viam anxietatibus et scrupulis aperire vult [2].

139. — *Q.* Subditus tenetur ne legibus proprii territorii si ab eo abest?

R. Subditus, etsi absens, tenetur legibus proprii territorii: 1° si *fictione juris* censetur moraliter praesens in territorio; 2° si lex prohibet ipsum a territorio discedere, uti lex de reservatione et de matrimonio clandestino; 3° e contra certum est non teneri, et proinde nullomodo peccare, si actio, cujus omissio vel positio contingit extra territorium, nihil ad finem legis conducit, uti si lex ratione rebellionis prohiberet ar-

[1] Quamvis pueris ante septennium liceat dare carnes edendas diebus quibus illae ab Ecclesia prohibentur, *in praxi* tamen id non expedit cum pueris qui septennio proximi sunt, et aliquatenus licet imperfectum usum rationis habere incipiunt. Interest enim quam maxime ut ab unguiculis iugum Domini portare assuescant. *Gurry-Ballerini*, I, 92 (*a*).

[2] S. Alph., 155.

ma, et tu sis absens.—Seclusis his casibus, an peccet qui a territorio discedit ut legem evadat, disput. Th., sed communiter negant, quia ille utitur jure suo; lex enim exire e proprio territorio non prohibet [1].

140.—*Q.* Subditus discedens a proprio territorio ubi lex viget, tenetur ne ante discessum illam adimplere?

R. Si lex est *negativa*, idest prohibens, cum obliget *semper et pro semper*, certe tenetur.—Hinc qui manet in loco ubi non est jejunium vesci potest carnibus, etsi circa meridiem reversurus sit in domum ubi est jejunium, quia lex particularis afficit territorium. Domi tamen certe tenetur a carnibus se abstinere, quia haec est lex negativa, quae obligat semper et pro semper.

Si vero est *affirmativa*, idest praecipiens, tunc distinguo: vel lex praecipit actum transeuntem et divisum, uti missam, vel actum permanentem et indivisum, uti jejunium.

Si lex praecipit actum *transeuntem*, certum est: 1° subditum non teneri retardare discessum cum gravi incommodo ut legem adimpleat; 2° e contra ad legem teneri si ei una tantum occasio et quidem ante discessum sese offert in tali loco legem adimplendi; nec alia occasio praevidetur possibilis; quia tunc ante discessum esset consummata legis obligatio.—Seclusis his casibus, disput. Theologi. Sed probabile est, ait S. Alph., non teneri die festo missam audire, qui antequam ultima missa ibi celebretur, perventurus est in locum ubi non sit festum, quia si mansisset in loco ubi praeceptum obligabat, poterat differre ad illud tempus; quando autem pervenit ad alium locum, desinit obligari. Nec obstat, quod praevidens impedimentum teneatur illi obviare; quia id tunc tantum verum est, quando quis, manente vi praecepti, praevidet impeditum iri, non autem quando ab obligatione praecepti subtrahitur [3]. Contraria tamen sententia, uti magis pia suaderi potest, nisi aliud obstet, sed nequit imponi.

Si vero lex praecipit actum *permanentem*, tunc triplex adest sententia: *prima* dicit teneri pro tempore quo quis est in territorio; *secunda* autem dicit teneri juxta locum in quo major pars diei transigitur; *tertia*, cui adhaeret S. Alph., probabiliter dicit ad nihil teneri quia praeceptum est indivisum. Quare qui scit in die a loco ubi est jejunium profecturum esse in locum ubi jejunium non est, potest collatiunculam facere; sed non potest vesci carnibus et cibis prohibitis, quia quum haec sit lex negativa, obligat semper et pro semper quandiu quis manet in loco legis.

141.—*Q.* Incola, peregrinus, advena, et vagus quibus legibus tenentur?

R. Praemitto majoris claritatis gratia: *Incola* dicitur qui in aliquo loco domicilium habet. *Advena* dicitur qui alicubi quasi-domicilium acquirit. In civili quasi-domicilium vocatur *residentia*. *Peregrinus* dicitur qui extra proprium territorium alio pergit animo non manendi, sed tantum subsistendi per aliquot dies, vel ad summum per minorem anni partem, uti mercatores, viatores; non autem studiosi, neque ancillae quae aliunde

[1] S. Alph., I, 157. *Ballerini*, I, 188.

veniunt ad serviendum. Tandem *Vagus* dicitur qui nullibi domicilium fixum habet.

Domicilium autem acquiritur commoratione in aliquo loco ex. gr. in aliqua paroecia, quae commoratio vel coniuncta sit cum animo ibi perpetuo permanendi, si nihil inde avocet, vel sit protracta ad decennium completum.

Quasi-domicilium acquiritur commoratione in aliquo loco, quae commoratio vel coniuncta sit cum animo ibi manendi saltem ad maiorem anni partem, si nihil inde avocet, vel sit reapse protracta ad maiorem anni partem. **Can. 92.**

Domicilium vel quasi — domicilium incipit primo momento quo in illo loco quis versatur.

Hisce praemissis :

1. Legibus generalibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt. Legibus conditis pro particulari territorio ii subiiciuntur pro quibus latae sunt, quique ibidem domicilium vel quasi-domicilium habent, et simul actu commorantur; (uti sunt incolae et advenae). **Can. 13.**

2. Peregrini tenentur legibus loci in quo versantur, si leges sunt *generales* seu juris communis, etiamsi hac in ipsorum territorio non vigeant; minime vero si in loco in quo versantur non obligent. **Can. 14. 3°.**

Si autem leges sunt *speciales* illius loci, tunc etiam tenentur si illae leges respiciunt validitatem et solemnitates contractuum; vel si leges necessariae sunt ad bonum publicum, quia tunc obligant quasi leges naturales.

Seclusis his casibus, an peregrini teneantur legibus specialibus loci in quo versantur disputant Th. Sed communius et probabilius negant, quia leges locales obligant solum subditos; at peregrini subditi non sunt : ergo... Possunt tamen teneri per accidens, nempe ad vitandum scandalum.

3. Vagi obligantur legibus tam generalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur. **Can. 14. § 2°.**

142.— *Q.* Peregrinus tenetur ne legi speciali loci in quo versatur si eadem lex viget etiam in sua patria ?

R. Disput. Th. *Prima* sententia negat, et dicit non teneri legi patriae, quia ab ea abest, nec legi loci in quo versatur, quia non est subditus. *Secunda* sententia teneri affirmat, ex usu quasi communi jure gentium introducto [1].

143.—*Q.* Peregrini et advenae participant ne privilegiis et dispensationibus communibus loci in quo versantur ?

R. Peregrini et advenae participant privilegiis et dispensationibus communibus loci in quo versantur, quia possunt se accensere incolis illius loci, unde non tenentur ad leges juris communis, si hae ibi sunt abrogatae, aut si vigeat contraria consuetudo, vel exemptio, vel dispensatio. E contra non participant privilegiis propriae patriae, quia peregrini, a propria patria discedendo, privilegia ibi vigentia amiserunt [2].

144.— *Q.* Qui legem communem in sua patria adimplevit, tenetur ne iterum eidem legi, si in locum pergit ubi illa lex serius urget?

[1] S. Alph., L. I, 156; *Marc.*, 206.

[2] Ut quis ad legem localem obligetur requiritur ut sit in territoro et de territorio; ut gaudeat de privilegio locali, regulariter sufficit ut sit in territorio. *Marc.*, 206.

R. Theol. probabilius negant, quia non datur obligatio iterum eamdem legem adimplendi, cum jam suo tempore rite adimpleta fuit. Hinc Italus qui in patria jejunavit in pervigilio S. Petri non tenetur iterum jejunare in Gallia, ubi hoc jejunium in sabbatum sequens transfertur.

E contra si Parochus ex errore jejunium quatuor Temporum pro determinata hebdomada indixerit, dum illud jejunium hebdomada sequenti tantum occurrit, tunc iterum erit jejunandum; quia fideles per illud jejunium obligationem legis ecclesiasticae minime adimpleverunt, nam Ecclesia nullum jejunium tunc praescribebat [1].

CAPUT V.

De promulgatione et acceptatione legis.

ART. I.

De promulgatione legis.

145. — *Q.* Quid est promulgatio legis, et est ne necessaria?

R. Promulgatio est *publicatio legis eo modo facta quo pervenire possit ad notitiam communitatis* [2].

I. Promulgatio publica legis necessaria est non ad rationem legis, sed ut lex vim obligandi habeat, nec sufficit privata ejus notitia; - ratio, quia lex est quaedam regula communitati imposita; communitas vero ipsam cognoscere nequit, nisi per publicam promulgationem. — Hinc lex dubie promulgata non obligat, nisi usu jam recepta fuerit. Item non obligat lex si denuntietur tantum personis particularibus; ideoque si quis sciret aliquam legem conditam esse, non teneretur eam servare, nisi postquam esset promulgata [3].

II. Promulgatio legis si non est cognita, tunc lex non obligat in foro *interno*; - ratio, quia ad moralem violationem legis requiritur ejus cognitio. Obligat tamen in foro *externo* ad effectus legis, quia lex rite promulgata suam cognitionem praesumit.

III. Modus promulgandi leges varius esse potest juxta diversitatem nationum, et a legislatoris arbitrio pendet, sive per praeconem fiat, sive publica affictione, sive alio quocumque modo, dummodo promulgatio ita facta sit, ut ad cognitionem communitatis pervenire possit [4].

Quoad leges *canonicas*, seu le-

[1] *Gury*, Casus Consc. 85.

[2] An promulgatio ad essentiam legis pertineat, disput. Th. Sed plures verius negant, quia de essentia legis est ut sit regula morum; promulgatio autem nec regula est, nec pars regulae, sed actus quo ea subditis ostenditur et exhibetur. *D'Annibale*, I, 162 (16).

[3] *Casus.* — Titius via secreta et etiam illicita cognovit mox promulgaturam fore legem vi cujus quaedam bona pretio minuerentur. Quid ille? Ecce, ante promulgationem legis illa bona pretio currenti vendidit.

Q. Peccavit ne, et tenetur ne ad restitutionem?

R. Titius nec peccavit in legem, quia nondum promulgata fuerat, nec contra justitiam, quia illa bona, tempore venditionis, reapse illum valorem coram tota communitate servabant; ergo nemini injuriam irrogavit; ipse vero industriose suo jure usus est. Et si alii damnum passi sunt, hoc per accidens habendum est. - Potuit tamen graviter peccare ratione conscientiae erroneae, sed nec ex hoc consequitur obligatio restituendi, quia semper deesset vera et realis injustitia.

[4] S. Alph., Lib. I, 96.

ges Ecclesiae universalis, usque nunc varius quoque fuit modus illas promulgandi, pro variis rerum et temporum circumstantiis, praesertim vero earum apographo ad valvas Basilicae Vaticanae Romae.

Ab initio vero anni 1909, ex Constitutione Pii P. X: *Promulgandi* (30 Sept. 1908), *Commentarium* officiale editur de Apostolicae Sedis actis. Quare Constitutiones pontificiae, leges, decreta,... in eo *Commentario* inserta et in vulgus edita, hac una, eaque unica ratione, legitime promulgata habentur, quoties promulgatione sit opus, nec aliter fuerit a S. Sede provisum.

146. — *Q.* Lex obligat ne statim post ejus promulgationem?

R. — I. Si legislator tempus determinavit, obligatio incipit a tempore praefixo. Sic in legibus civilibus penes nos statutum est quod lex incipiat obligare post decimamquintam diem a die inscriptionis legis in collectione officiali legum, et ejus promulgationis in diario officiali, nisi in aliqua lege particulari aliter statutum sit [1].

II. Si vero tempus non fuit praefixum, tunc quoad leges *Summi Pontificis* certum est quod Constitutiones pontificiae *in rebus fidei et morum*, statim obligant ac Romae fuerint publicatae, et earum cognitio habeatur; quia quum tales leges nil novi contineant, sed sint mere declarationes *juris naturalis*, vel *divini*, ideo non indigent alia promulgatione, proinde statim obligant ac cognoscuntur.

Quoad reliquas leges sic in Codice Iuris Canonici habetur: Hodie leges ab Apostotica Sede latae promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus; et vim suam exerunt tantum expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei illico legent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta. **Can. 9.**

Quoad Concilium Tridentinum certum est Decreta eiusdem quoad *fidem et mores* obligare etiam in locis ubi specialiter non sunt promulgata.

III. Quoad leges *Episcopi* et statuta dioecesana certum est quod statim obligant ac promulgata fuerint in urbe episcopali [2].

146 bis. — *Q.* Ignorantia legis excusat ne?

R. I. — Nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur.

II. Ignorantia vel error circa legem aut poenam aut circa factum alienum notorium generatim non praesumitur; circa factum alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur. **Can. 16.**

Art. II.

De acceptatione legis.

147. — *Q.* Quid est acceptatio legis?

R. Acceptatio legis est *submissio qua subditi, saltem quoad*

[1] *Cod. Civ. Proemium*, art. 1.

[2] S. Alph., L. I, 96.

majorem et saniorem partem, formaliter vel virtualiter legem accipiunt.

148. — *Q.* Essentia et obligatio legis pendet ne ab acceptatione populi ;

R. — I. Essentia et obligatio legis *per se* non pendet ab acceptatione populi ; ratio, quia legis obligatio oritur a Dei potestate quam legislator immediate, vel mediate habet condendi leges independenter a populo, et si populus legi superioris resistere posset, omnis evanesceret superioris auctoritas et potestas. Hinc peccant qui leges non acceptant tam ecclesiasticas quam civiles, si justae sint, uti habetur ex propositione damnata ab Alex. VIII : *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam* [1].

II. Defectus acceptationis per accidens efficit ut lex quandoque non obliget, quia talis praesumitur intentio legislatoris.

Lex igitur non obligat in sequentibus casibus : 1° si per decennium non fuerit acceptata, ratione contrariae consuetudinis ; 2° si major et sanior pars populi legem non observet, et princeps nec reclamat, nec trangressores punit, tunc enim praesumitur nolle quemquam obligare ad legem servandam ; 3° si lex contraria sit consuetudini vigenti, vel difficilis observantiae, et ejusmodi praeterea adsint circumstantiae, quae si a legislatore praecognitae fuissent, legem ipse non tulisset ; 4° si legislator audiat supplicationem populi revocationem legis exposcentis, et taceat, nec instet pro observantia ; nisi aliud conjiciatur ex circumstantiis. In his omnibus casibus adest tacitus saltem legislatoris consensus [2].

III. In dubio vero an lex sit acceptata, tunc adsunt tres sententiae. *Prima sententia* tenet legem non obligare, quia cum dubitetur de receptione legis, dubitatur etiam an lex unquam obligaverit, et ideo possidet libertas *Secunda sententia* dicit legem obligare si sit ecclesiastica ; secus vero si sit civilis. *Tertia sententia* vero, quae sequenda est, affirmat legem obligare, quia cum constet de lege, pro ea stat possessio; regula enim generalis est, ut factum praesumatur quod de jure faciendum erat, prout hic praesumitur facta acceptatio [3].

149. — *Q.* Episcopi tenentur ne leges pontificias acceptare ?

R. Episcopi certo tenentur leges pontificias acceptare, quia ipsi subditi sunt Romano Pontifici, qui est Caput et Rector totius Ecclesiae. Insuper tenentur curare quantum in ipsis est ut ipsae observentur. — Quod si in casu particulari graves obstent rationes, ipsi non solum possunt, sed debent has rationes Sedi Apostolicae humiliter exponere, ejusque postea definitioni reverenter acquiescere [4].

[1] Quidam antiquiores Canonistae, potestatis civilis jura plus aequo extendentes, contenderunt leges *pontificias* in singulis regionibus obligare tantum postquam a gubernio civili acceptatae fuerint. Hanc doctrinam quae dicitur *Regii Placiti* directe condemnata fuit a Conc. Vatic. Const. *Pastor aeternus*, III.

[2] S. Alph., L. I, 139.

[3] S. Alph; L. I, 97.

[4] *Bened.* XIV, De Synodo, L. IX, c. VIII.

CAPUT VI.

De obligatione legis humanae; legis poenalis; legis tributorum; et legis irritantis.

ART. I.

De obligatione legis humanae.

150. — *Q.* Quaenam obligatio legis humanae in genere?

R. I. — Quaelibet lex humana potest per se obligare in conscientia ad aliquid faciendum vel omittendum, aut sub culpa, aut sub poena, aut sub utraque simul; - ratio, quia superiores a Deo constituti sunt cum potestate praecipiendi.

Et quoad *legem ecclesiasticam* de fide est: *Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus Sanctae Ecclesiae praeceptis... ita ut ea ob-servare non teneantur; anathema sit* [1].

Quoad *legem civilem* vero, res quoque certa est. Paulus enim dixit: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit;* et alibi: *Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* [2]

II. Lex humana [3] sive negativa, sive positiva, *per se* non obligat cum gravi incommodo, vel damno; - ratio, quia in tali casu non praesumitur legislatorem velle obligare, quum et ipsa lex divino-positiva in tali casu non obliget. — Attamen *per accidens* obligat etiam cum gravi incommodo duobus in casibus, nempe si observantia legis necessaria esset bono publico, cui privatum cedere debet; vel si transgressio legis redundaret in grave scandalum, aut in contemptum fidei et Ecclesiae [4].

III. Ut lex humana obliget sub

[1] *Trid. Sess.* VII, c. 8.

[2] Rom. 3; 2.

[3] Grave incommodum varie aestimari debet tum ex rebus, tum ex legibus. Ex *rebus:* hinc v. g. parochus qui levi morbo laborat, ab horis quidem canonicis recitandis excusabitur; a sacro faciendo die festo, si alius sacerdos desit, non excusatur. Ex *legibus:* etenim divinae strictius obligant, quam humanae; hinc ex. gr. quo incommodo quis excusatur ab audienda missa die festo, eodem a communione in Paschate facienda non excusatur. Ad haec, praecepta negativa strictius obligant quam positiva, quia haec plus incommodi habent. *D'Annibal*[a], I, 178, 6.

[4] Aliquando evenire potest quod pater incredulus filiis suis dicat; *Volo ut die veneris carnes manducetis, idque in contemptum Papae et Ecclesiae.* Quid agere possunt filii in hoc casu? Ipsi possunt manducare carnes modo scandalum prius tollant, emittendo protestationem contra contemptum; dicendo v. g.: *Pater, scias quod nos carnes manducemus, at non in contemptum: sed quia, quum tu alios cibos nobis non tribuas,* in hoc casu *nobis permissum est ab Ecclesia edere carnes.* — Idem quis respondere posset, quando persecutor mortem ipsi minaretur si carnem in contemptum Religionis non manducaret. *Frassinetti.* Tr. II, nota 3 ad n. 22.

gravi requiruntur hae duae conditiones: 1° Ut materia sit gravis vel ex se ratione objecti, vel si ex se levis, gravis fiat ratione finis a superiore intenti, vel ratione circumstantiarum, v. g. boni publici. Sic abstinentia a pomo in paradiso terrestri, in se quidem parva, gravissima tamen erat ex circumstantia finis 2° Ut materia sit praecepta sub gravi; legislator enim potest materiam gravem tantum sub levi praecipere, quia obligatio ab ejus voluntate pendet, sicut et ipsa lex — Si una conditio desit, obligatio erit tantum levis. — In dubio vero tenendum est obligare solum sub levi.

IV. Gravitas materiae, et intentio superioris obligandi sub gravi, desumuntur: 1° ex ipsa natura rei, 2° ex gravitate verborum quibus lex lata est, v. g. si dictum sit: *Praecipimus sub gravi, vel in virtute sanctae obedientiae*, etc.; 3° si consuetudo gravem judicat; 4° si poena in violatores est gravis.

151. — *Q.* Lex fundata in paesumptione obligat ne?

R. Praemitto: praesumptio alia est juris, alia est facti. Praesumptio *juris* est quando lex lata fuit ob aliquod periculum, quod ex communiter contingentibus prudenter judicatur adesse in illa actione. Praesumptio *facti* est quando lex lata fuit ob aliquod factum quod creditur certe interfuisse. Hoc posito:

1. Si lex fundatur in praesumptione *juris*, idest in praesumptione periculi, tunc lex semper obligat, quia praesumptio legis non est falsa, ideoque lex non caret omni fundamento ligandi. Et licet in aliquo casu particulari non adesset illud periculum, semper tamen adest finis legis removendi periculum hallucinationis in individuo, et bonum publicum promovendi. **Can. 21.**

2. Si vero lex vel sententia judicis fundatur in praesumptione *facti*, v. g. culpae saltem juridicae, fraudis, et factum, v. g. culpa, fraus non subsistit, lex per se non obligat in conscientia; ratio, quia in hoc casu lex caret omni fundamento, neque superior obligare intendit. Unde axioma: *Praesumptio cedit veritati.* Dixi *per se*, quia *per accidens* obligare potest ratione boni publici, vel ratione vitandi scandalum.

152. — *Q.* Lex humana potest ne aliquando impedire ne contrahatur aliqua obligatio alioquin per se valida?

R. Affirmative, quando bonum commune id exigit, quia in hoc casu lex naturalis non prohibet quod lex humana, exigente bono publico, apponat quasdam conditiones, quibus aliqui actus, alioquin per se validi, irriti et invalidi reddantur. Sic Conc. Trid. irritat matrimonia clandestina, ex jure naturae alioquin valida. Sic etiam leges civiles testamenta irritant praescriptis solemnitatibus destituta [1].

153. — *Q.* Sententia judicis seu applicatio legis, fundata in culpa juridica obligat ne?

R. Sententia judicis fundata in culpa solum juridica obligat in conscientia, quia culpa saltem juridica ad justam sententiam sufficit, et judex ad solam culpam externam attendere potest.

---

[1] *Gury*, 101. *D'Annibale*, I, 194 (13).

ART. II.

De obligatione legis poenalis.

154. — *Q.* Lex poenalis vel mixta obligat ne in conscientia?

R. Praemitto: Lex humana alia dicitur *moralis*, quando obligat tantum sub culpa; *pure poenalis*, si tantum sub poena; *mixta*, quando sub culpa et sub poena. Hoc posito:

Quoad legem *pure poenalem*, disput. Th. an vocari possit vera lex; sed quidquid sit de tali quaestione, Th. conveniunt quod haec lex non obligat in conscientia, nisi ad poenam solvendam si violetur lex, et sententia data fuerit.— Censentur autem pure poenales leges oppidorum prohibentes sub poena caesionem lignorum, piscationem, venationem quoad tempus et instrumenta, et similia [1].

Quoad *leges mixtas* vero utrum ipsae obligent etiam ad culpam, an ad solam poenam, disput. Th. Sententia communior tenet obligare etiam ad culpam, secus enim nulla adesset distinctio inter legem pure poenalem et legem mixtam. — Si vero poena magna sit, an lex mixta in hoc casu obliget etiam ad culpam, sententia sat probabilis negat, quia tunc juste praesumitur legislatorem nolle obligare ad culpam, sed solum ad poenam [2].

155. — *Q.* Lex poenalis obligat ne ad poenam ant sententiam judicis?

R. In rebus *civilibus* potest expectari sententia judicis.

In rebus *ecclesiasticis*, si poena est *ferendae sententiae*, evidens est quod sententia est expectanda. Si autem poena est *latae sententiae*, et ipso facto incurrenda, tunc in tribus casibus poena ipso facto incurritur, et obligat ante sententiam judicis: 1° si poena est mere *passiva*, uti censura; 2° si poena est *conditionalis*, nempe quae privat aliquo jure, si desit aliqua conditio, et conditio desit; 3° si poena est *inhabilitans*, uti irregularitas, quae sine ulla alia declaratione aliquem reddit inhabilem ad aliquod jus acquirendum.

Si vero poena est *privativa*, idest privat aliquo jure jam acquisito, puta in beneficio, electione, vel si reus nequit poenam subire sine infamia, tunc requiritur sententia juridica vel poenae, vel saltem delicti. Et licet lex in hoc casu dicat quod poena est ipso facto incurrenda, nulla expectata declaratione, illa verba possunt sic explicari: nulla expectata declaratione poenae; sed non excluditur declaratio criminis, ut poena possit reo applicari [3].

156. — *Q.* Poena conventionalis in contractibus debet ne solvi ante sententiam judicis?

R. Certe solvi debet, si partes ita inter se convenerint.—Secluso hoc casu, disput. Th.—Data autem sententia judicis, si poena est pecuniaria, standum est petitioni partis; si est corporalis et nimis dura, requiritur praeceptum judicis et ministrorum executio.

ART. III.

De obligatione legis tributorum.

157. — *Q.* Quid est tributum, et quomodo dividitur?

R. Tributum est *quaevis res vel*

[1] S. Alph., L. I, 145.
[2] S. Alph., I, 147; L. III, 616; Hom. Ap. Tr. X, 81.
[3] S. Alph., L. I, 148.

quaevis taxa quae a legitimo Superiore subditis imponitur ad sustinenda communia reipublicae onera.

Tributum aliud est *directum*, aliud *indirectum*.—Tributum *directum* illud est, quod personam, vel ejus bona immediate et nominatim afficit, ut est tributum *reale* super agros et domos, et *personale*, v. g. pro familia ejusque membris, vel pro exercitio propriae professionis, artis, mercaturae, ideoque redditus mobilis (*ricchezza mobile*), qui illa repraesentat. —Tributum *indirectum* illud est, quod immediate afficit res et merces, mediate vero personas, ut *vectigal* circa res transvehendas, *gabella* circa res vendendas, *quota* solvenda pro jure successionis, pro inscriptione contractuum, pro servis, pro pensione, lite, pro manu mortua, pro gestione armorum, pro equis, canibus, pro sale, tabaco, etc.

158. — *Q.* Quaenam conditiones ut tributum justum sit?

R. Ut tributum justum sit, praeter legitimam potestatem in Superiore, tria requiruntur: 1° *justitia causae*, quae non est quidem utilitas Principis, sed necessitas boni communis; 2° *proportio tributi* cum necessitate occurrente, nempe ut populus non magis gravetur, quam ejus bonum postulet; 3° *aequalitas in personis*, nempe quod ii qui majores opes habent plus solvant, et minus qui minores [1].

Hinc si tributum est certe injustum non obligat. In dubio vero utrum justum sit necne, an obliget, disput. Th.— Alii affirmant subditum teneri ad illud solvendum. Alii tamen communiter docent cum S. Alph. subditum ad nihil teneri. In tali enim dubio non valet regula: *In dubio lex praesumitur justa*; nec regula: *In dubio pro Superiore standum est*, quia non eadem fieri potest praesumptio pro tributo, quam pro lege, quum tot gravissimi Th. dicant pauca esse tributa in quibus conditiones omnes ad eorum justitiam necessariae de facto concurrant. Ergo in tali dubio onus probandi justitiam tributi incumbit Principi qui petit illud; unde in dubio favendum est ei de cujus damno agitur, tunc enim gravis difficultas illud solvendi una cum dubio de potestate imperandi, praeponderat possessioni Superioris [1].

Exactores tamen in tali dubio licite possunt tributa exigere; quum enim de injustitia non constet, possunt praesumere de justitia tributi, praesertim in tanta opinionum varietate.

Exactores in territorio a gubernio invasore occupato, ad exequenda mandata tum contra Loca pia, tum contra Personas ecclesiasticas, petere et obtinere prius debent in singulis casibus veniam a respectivo Ordinario, et remoto prudenter scandalo; contrariis quibuscumque non obstantibus [2].

159. — *Q.* Lex tributorum obligat ne in conscientia?

R. 1. Certum est quod legislator potest subditos obligare in conscientia ad solvenda tributa modo justa sint, et ad bonum publicum necessaria.

2. An vero lex tributorum obliget in conscientia, res pendet ex

[1] S. Alph. L. III, 615.
[2] S. Alph., L. III, 617.
[3] S. Poenitent., 10 decembris 1860.

mente legislatoris, ex communi legis interpretatione, et ex legitima consuetudine, quae omnia pro diversis temporibus ac locis, imo pro diversis tributis variari possunt. Sic v. g. in Anglia leges tributariae generatim non aliter quam ad modum legum poenalium obligare existimantur. In Gallia satis communiter ut poenales reputantur leges de tributis indirectis, non item leges de tributis directis. Penes nos ex communi interpretatione receptum est ut haec lex non obliget nisi prius tributi solutio petatur. Est ergo quaestio quotidiana et solutu admodum difficilis, nec regula generali solvenda [1].

3. Si vero nec ex mente legislatoris, nec ex communi legis interpretatione, nec ex legitima consuetudine clare constet de obligatione hujus legis, tunc an haec lex tributorum obliget in conscientia, disput. Th. Alii negant et tenent hanc legem esse mere poenalem: alii e contra affirmant; quia subditi ratione boni publici tenentur necessaria subsidia conferre ad sustinenda onera reipublicae, juxta verba Pauli: *Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ideo enim et tributa praestatis. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal* [2]. — Sed communius sic distinguunt: Si agatur de tributis *directis*, haec lex obligat in conscientia, utpote lex necessaria ad onera publica sustinenda. Si vero agatur de tributis *indirectis* sententia sat probabilis, et nostris temporibus communis tenet hanc legem esse mere poenalem proindeqne non obligare in conscientia; ratio, quia haec tributa generatim imponuntur sub poena et quidem magna, unde juste praesumitur legislatorem nolle obligare etiam sub culpa.

Sed quidquid sit de quaestione speculativa, *in praxi* dicunt Th. quod, generatim loquendo, si prudentia dictat, *ante factum* adhortandi sunt fideles ut tributa solvant, et ab omni eorum defraudatione se abstineant; sed *post factum* non sunt cogendi ad restitutionem tributi defraudati, cum non constet certo tributa solvenda esse ex justitia commutativa [3].

160. — *Q.* Peccant ne qui tributa defraudant?

R. Distinguendum est inter praepositos qui tributa exigere, et subditos qui ea solvere tenentur.

Praepositi certe tenentur in conscientia tributa exigere; unde non exigentes in re gravi graviter peccant, et ad restitutionem tenentur, cum ad hoc officium stipendio seu ratione contractus deputati sint; excipe, ex communi consensu, si benigne agant in re levi, maxime cum pauperibus; lex enim in tali casu absolutum rigorem non exigit.

Subditi vero, quoad *vectigalia*, certe peccant: 1° si violenter resistunt praepositis vectigalia ad portas civitatis exigentibus; 2° si mediis iniustis, v. g. pecunia, metu, vel aliter praepositos corrumpunt, ne officio suo fungantur; nam eos velle corrumpere idem est ac eorum peccato et iniustae actioni cooperari; 3° si per fas et nefas defraudationem veluti quoddam commercium exercent,

[1] *Marc.*, 967. *Ballerini*, I, 149.
[2] Ad Rom., XIII, 5.
[3] *Marc.*, 967.

et animo resistendi etiam armati diu noctuque vagantur.

Seclusis his casibus, an peccent subditi qui tributa pro vectigalibus defraudant mediis ordinariis alioquin licitis, disput. Th. Nonnulli affirmant; sed communiter negant, quia haec lex est pure poenalis.

Quoad alia tributa quae solvi debent in successionibus, donationibus, aliisque contractibus, certum est quoad *mobilia* in successionibus etc., posse ipsa infra infimum valorem aestimari; et quoad *pecuniam* in haereditate repertam neminem teneri illam manifestare ob praxim generalem etiam a piis viris servatam; quoad *immobilia* vero, ex praxi generali, etiam apud timoratos recepta, valor totalis bonorum immobilium non declaratur in venditionibus, et aliis hujusmodi contractibus, sed tacetur vel quarta, vel tertia, vel dimidia pars, hoc scilicet modo: venditur domus v. g. 100,000 lib.: statim ab emptore venditori donantur v. g. 30,000, et in contractu venditionis dicitur illam 70,000 fuisse venditam. In successionibus pariter non dicitur valor realis bonorum.—Porro an haec agendi ratio licita sit, multi affirmant, tum ob praxim communiter acceptam etiam a viris probis, tum quia gubernium hanc praxim sciens tacite tolerat; tum quia tale tributum in hisce contractibus quum ob praevisionem fraudum valde auctum fuerit, dici potest illud augmentum factum esse quasi per modum poenae [1].

Ceterum observant Auctores quod *in praxi* non expedit ut confessarius de tributis interroget poenitentes, si ipsi de hac re sileant, ne forte in malam fidem inutiliter injiciat qui in bona fide essent.

[1] *Theol. Clarom.* De Justit. 299.

ART. IV.

De obligatione legis irritantis.

161. — *Q.* Quaenam est lex irritans?

R. Lex irritans est *quae reddit actum nullum, qui per se validus esset.* — Codex iuris canonici sic habet: Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges haebendae sunt, quibus aut actum esse nullum, aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur. **Can. 11.**

Lex irritans alia est *poenalis*, quae actum irritat in poenam peccati, sic v. g. in poenam criminis adulterii et uxoricidii lex matrimonium irritat; unde si non adest culpa, nec adest irritatio. Alia est *legalis*, quae actum irritat ob bonum publicum, et haec locum habet etiamsi non adsit culpa, vel adsit ignorantia invincibilis, uti lex quae irritat matrimonium clandestinum.

An vero lex humana possit irritare actum jure naturae validum, v. dicta n, 152.

162. — *Q.* Lex irritans obligat ne in conscientia?

R. 1° Lex irritans et inhabilitans in dubio juris non urget; in dubio autem facti potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet. **Can. 15.**

2° Nulla ignorantia legum irritantium ant inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur. **Can. 16.**

3° Si lex sit *irritans simul et*

prohibens, ut sunt plures leges ecclesiasticae, uti lex quae respicit impedimenta matrimonium dirimentia, vel professionem religiosam, etc., tunc obligat etiam in conscientia, et ante judicis sententiam, quia secus non obtineretur finis legis ; unde peccat qui talem actum ponit, et actus est nullus non solum in foro externo, sed etiam interno.

Si vero lex est *simpliciter irritans*, ut sunt plerumque leges civiles, tunc non obligat in conscientia, quia ex sola actus irritatione sufficienter obtinetur finis legis, qui est ut actus sit ipso jure nullus. Quare per se non peccat qui ponere tentat actum ex sua natura validum, sed ex lege simpliciter irrirante nullum, dummodo paratus sit judici obedire, si actum illum nullum declarabit. Per accidens tamen peccare potest si praevideat inimicitias, vel damna ex hoc proventura.

CAPUT VII.

De modo legem adimplendi, et de causis ab ea excusantibus.

ART. I.

De modo adimplendi legem.

163. — *Q.* Subditus qnomodo tenetur adimplere legem ?

R. Praemitto : Hic agitur tantum *de lege humana*, et quidem de adimpletione legis in ordine ad ipsam legem, quatenus lex vere adimpleta dici possit. Hoc posito.

I. Subditus legem *negativam* adimplet, seu ipsi satisfacit, si sese abstinet etiam inadvertenter et involuntarie ab actione prohibita ; - ratio, quia lex negativa solam actus omissionem intendit. — Quod si quis se abstinet malo fine, tunc peccat ratione finis, sed non adest transgressio legis.

II. Subditus legem *positivo-civilem* adimplet ponendo materialiter et integre rem praescriptam; ratio, quia lex civilis nequit rectum finem praecipere.

III. Subditus ut legem *positivo-ecclesiasticam* adimpleat, requiritur et sufficit ut opus praescriptum ponat *humano modo*, seu sciens et volens illud opus ponere; *integrum, et tempore debito* [1].

IV. Ad legis adimpletionem non est necesse ut actio ponatur ex motivo caritatis, nec in statu gratiae, nisi status gratiae pertineat ad essentiam rei praeceptae, uti esset in Communione Paschali ; - ratio, quia lex exigit tantum substantiam actus inclusi in praecepto, non vero modum aut finem praecepti.

164. — *Q.* Ad adimpletionem legis requiritur ne intentio satisfaciendi legi ?

R. Ad legis adimpletionem non requiritur intentio satisfaciendi legi vel praecepto ; ratio, quia lex vel praeceptum non obligat ad obedientiam formalem, nempe ut res fiat quia est praecepta, sed obligat solum ad obedientiam ma-

[1] Et si hoc est aliquid *dandum*, puta decimae, sufficit alium dedisse pro te; vel te etiam non tuae mentis, immo et te invitum. Sin est aliquid *faciendum*, debes tu facere, et compos tui facere, ideoque sciens et volens (*D' Annibale*, I, 166). Hinc si quis opus praeceptum per vim ponit, non satisfacit, bene vero si per metum tantum, etsi peccet ob malam voluntatem.

terialem, nempe ut fiat quod praeceptum est. Hinc axioma: *Finis praecepti non cadit sub praecepto;* nisi legislator opus praescribat expresse ob aliquem finem extrinsecum, v. g. si praecribatur jejunium ad lucrandum jubilaeum [1].

Imo subditus satisfacit legi, etiamsi actionem ponat cum intentione non satisfaciendi; quia quidnam requiratur pro adimpletione legis, hoc pendet non a voluntate subjecti, sed a voluntate legislatoris, ideoque obligatio legis non extenditur ultra legislatoris voluntatem et intentionem, nempe ultra substantiam operis praecepti; hinc v. g. satisfacit qui Missam diè festo audit, etsi cum intentione ut illa Missa non valeat ad implendum praeceptum.

An vero idem dicendum sit de adimpletione voti vel juramenti, disput. Th. Alii dicunt quod voto etiam satisfacit, quia ut quis se legi voti adstringat, hoc pendet quidem ab ejus voluntate; at, emisso voto, voti obligatio non pendet amplius ab ejus voluntate, sed a natura voti, quod cum sit veluti lex specialis quam vovens sibi imposuit, eo modo obligat ac lex. Sed communius dicunt quod voto non satisfacit qui ponendo opus debitum ex voto, expresse intendit ei non satisfacere, quia cum obligatio voti pendeat a voluntate voventis, etiam ab ejus voluntate pendet ut talis obligatio permaneat [2].

165. — *Q.* Subditus, si peccatin adimpletione legis, satisfacit ne legi?

R. Si peccatum afficit *substantiam actionis praeceptae*, uti sacrilegium in confessione, tunc subditus certe non satisfacit praecepto confessionis, uti constat ex propositione ab Alex. VII damnata.

Si vero peccatum afficit tantum *finem operantis*, vel *modum operandi*, tunc subditus legi satisfacit; ratio, quia lex nihil aliud quam substantiam actionis praeceptae requirit. Sic v. g. satisfacit qui Missam audit, etsi ipsam audiendo pravae cogitationi uno momento consentiat.

166. — *Q.* Subditus qui legem in re levi transgreditur ex contemptu peccat ne graviter?

R. Praemitto: contemptus legis alius est *materialis*, qui est ipsa legis violatio; alius est *formalis*, qui est violatio legis, vel contemptus superioris, qua talis. Hoc posito:

Si contemptus sit *formalis*, idest si lex vel superior contemnatur uti talis, tunc peccat graviter, quia contemptus recidit in ipsam auctoritatem, et consequenter in ipsum Deum, a quo omnis auctoritas dimanat.—Secus si contemnatur res praecepta quia parva existimatur; vel ex indignatione particulari contra superiorem; vel si contemptus superioris non est qua superior, sed qua indoctus, imprudens etc. Hinc dicunt Th. raro adesse peccatum grave ratione contemptus [3].

167. — *Q.* Qui non potest totam legem adimplere, tenetur ne ad partem?

R. Tenetur modo adsint quatuor sequentes conditiones: 1° ut lex de qua agitur sit divisibilis; 2° ut pars quae impleri potest,

[1] S. Alph., L. I, 163; Hom. Ap. T. II, 29.
[2] S. Alph., L. I, 164: *Gury*, I, 104. *D'Annibale*, I. 166 (31).
[3] S. Alph., L. I, 142.

sit notabilis, nempe pertingat ad materiam gravem; 3° ut haec pars conducat ad finem legis; 4° tandem ut terminur potentiae sit certus, quod maxime advertendum est *in praxi* quoad infirmos et debiles [1].

Hinc qui in Quadragesima non potest jejunare omnibus diebus, tenetur diebus quibus potest. Sic qui carens breviario memoritescit partem notabilem, v. g. vesperas, completorium, hanc partem recitare tenetur, non vero si pars non sit notabilis [2].

168. — *Q.* Subditus potest ne pluribus legibus satisfacere 1° uno actu; vel 2° per diversos actus eodem tempore positos?

R. Ad 1.[um] Subditus uno actu satisfacere potest pluribus legibus, si leges cadant in eamdem materiam, et ob idem motivum, dummodo non constet aliam esse mentem legislatoris, nec agatur de materia justitiae. — Hinc v. g. si festum Epiphaniae in Dominica incidit, fidelis audiendo unam Missam sive festivitati Epiphaniae sive Dominicae satisfacit. Sic qui ad horas canonicas tenetur ratione ordinis, et ratione beneficii, sastifacit una recitatione. — E contra: Subditus nequi uno actu pluribus legibus satisfacere, si leges cadant in diversam materiam, vel in eamdem quidem, sed ob finem diversum. — Quare subditus, qui ad Missam tenetur ex praecepto Ecclesiae et ex poenitentia sacramentali, per unam Missam huic duplici praecepto satisfacere nequit, quia diversa censetur mens confessarii, nisi id expresse manifestet. Attamen si confessarius Missam imposuisset singulis diebus per mensem, poenitens satisfacit si unam Missam die festo audit, quia rationabiliter praesumitur confessarium noluisse obligare ad duas Missas eadem die, nisi id expresserit.

Ad 2.[um] Subditus per diversos actus eodem tempore positos potest satisfacere pluribus legibus, dummodo unus actus alterum non impediat; - ratio, quia dum aliqua res praecipitur, ordinarie temporum diversitas non exigitur. Quoties autem lex duo jubet id solum jubet, ut praestetur utrumque, non ut seorsim. Ergo cum unus actus alium non impediat, subditus uno actu ponit totum id quod a pluribus legibus praecipitur. — Hinc quisque potest, dum Missam die festo audit, recitare horas canonicas, vel poenitentiam sacramentalem adimplere [3].

169. — *Q.* Quonam tempore subditus tenetur legem affirmativam adimplere?

R. Si tempus determinatum fuerit, intra id tempus adimplere debet, nempe a die vel hora qua incipit obligatio usque ad diem vel horam qua obligatio cessat. Sic, v. g. obligatio recitandi divinum officium incipit a media nocte et cessat superveniente altera media nocte. Quod si medio hoc tempore immineat aliquod impedimentum a subdito praevisum, tunc sententia communis docet quod subditus tenetur adimplectionem legis anticipare, quia obligatio jam incoepta est et urget. et merito, ait S. Alph., Salmant, sententiam contrarium *laxam* vocant [4].

[1] S. Alph., L. I, 176.
[2] S. Alph., L. I, 176.
[3] S. Alph., L. I 166, 167.
[4] Lib. IV, 155.

Si autem tempus in lege determinatum non fuerit, tunc si lex jubeat fieri *statim*, hoc adverbium cum aliquo temperamento accipiendum est, et communiter infra triduum accipitur. — Si jubeat *quamprimum*, tempus erit in aestimatione boni viri. — Si denique nihil prorsus edixerit, dies venit eo tempore, quo exacto, legi amplius satisfieri nequiret ; nisi aut alia lex urgeat, aut de iis praeceptis agatur quae dilatione minuuntur [1].

170. — *Q.* Subditus si tempore *praefixo* legem non adimplevit, tenetur ne adhuc ad eam implendam ?

R. Videndum est : Si tempus a lege praefixum fuit ad obligationem *finiendam*, tunc, transacto tempore, non amplius tenetur, quia obligatio cessat ; sic qui die festo sine causa Missam omisit, peccavit, sed non tenetur eam audire sequenti die [2].

Si vero tempus praefixum fuit ad *sollicitandam* tantum obligationem, tunc, etiam transacto tempore, semper tenetur, quia obligatio perdurat ; sic qui integro anno non est confessus, tenetur confiteri quamprimum [3].

171. — *Q.* In dubio an quis legem adimpleverit, tenetur ne adhuc illam adimplere ?

R. Th. affirmant duobus in casibus : 1° Si dubium est negativum vel ita leve ut quis non habeat pro satisfactione motivum positivum et grave. 2° Si dubium versetur circa ea in quibus tenenda est sententia tutior, ut dictum fuit ubi de *Conscientia* n. 81.

Seclusis his casibus, videndum utrum dubium consistat in jure an in facto. — Si dubium consistit *in jure*, idest quis dubitat an bene et recte legem adimpleverit, tunc non amplius tenetur, quia in tali dubio *omne factum praesumitur rite factum.* — Si vero consistit *in facto*, tunc disputant Th.: alii affirmant adhuc teneri, quia possidet lex ; sed alii negant, et dicunt obligationem cessare tum ex praesumpta intentione legislatoris, tum quia legis obligatio dubia esse incipit [4].

172. — *Q.* Quid agendum si simul occurrant duo praecepta, quae simul impleri non possint ?

R. In hoc casu, ceteris paribus, lex potior et gravior observanda est, quia ipsa praevalet. — Hinc lex negativa legi affirmativae praevalet ; lex naturalis legi positivae; lex divina legi humanae ; lex superioris legi inferioris ; lex innixa virtuti strictiori, v. g. justitiae, legi innixae virtuti minus strictae, v. g. caritati, etc. [5].

Dixi : *ceteris paribus*, quia semper habenda est ratio aliarum circumstantiarum, quae forte ordinem invertere praecipiunt, vel casum mutant. Sic pauperi in extrema necessitate succurrendum est priusquam solvatur debitum creditori non in eadem necessitate constituto [6].

173. — *Q.* Quandonam subditus agit in fraudem legis ?

[1] *D'Annibale*, I, 167.
[2] *D'Annibale*, I, 169.
[3] S. Alph., L. VI, 668.
[4] *D'Annibale*, I, 169.
[5] Verum quae sit ex duabus legibus gravior, plerumque aestimari debet ex re praesenti : interdum vero pendet ex usu et receptis moribus. Ut ecce, morituro licet, etsi non jejuno, communicare : Sacerdoti non jejuno utrum liceat celebrare ad communicandum morituro non satis convenit. *D'Annibale*, I, 177 (1).
[6] *Scavini*, De Leg., c. 7; *Marc.* 116.

R. Subditus agit in fraudem legis quando aliquid facit vel omittit, quod fieri vel omitti a lege non quidem verbis expressis sed implicite saltem vetitum sit [1].

ART. II.

De causis a lege excusantibus.

174. — *Q.* Quaenam causae excusant ab observatione legis?

R. Praemitto: Causae aliae sunt eximentes, quae nempe subditum eximunt, seu subtrahunt ab observatione legis, ut si quis a territorio legislatoris discedit; aliae sunt impedientes, quae subditum sub lege manentem ab ejus impletione impediunt; et hae causae impedientes sunt ignorantia invincibilis legis, vel impotentia physica aut moralis. Hoc praemisso:

I. Causae *eximentes* subditum totaliter liberant ab observatione legis; - ratio, quia ipsum totaliter subtrahunt a legis dominio, ita ut cesset esse subditus legi.

II. Causae *impedientes* subditum ab observatione legis tantum excusant; - ratio, quia nemo tenetur ad id quod penitus ignorat, vel ipsi physice aut moraliter est impossibile; in his enim casibus legislator non intendit subditum obligare.

III. In dubio an causa impediens sit sufficiens, *verius* est teneri ad legem, quia possidet lex [2].

175. — *Q.* Licet ne causam apponere, quae legis adimpletionem impediat?

R. Praemitto: 1° Causa sive eximens, sive impediens potest esse *proxima* si lex hic et nunc, aut tempore proximo urget, vel *remota* si non urget nisi post notabile temporis intervallum. 2° Causa apponi potest *directe* vel *indirecte*, nempe vel fine subtrahendi se a lege, vel alio fine. Hoc posito:

1. Certe non licet ullam causam apponere: 1° si agatur de re necessaria necessitate medii ad salutem; 2° si agatur de re necessaria ad bonum publicum sive spirituale sive temporale; 3° Si lex hanc causam ponere prohibet, uti in casu de reservatione.

2. Seclusis his casibus, distinguo: Si causa quae ponitur est *eximens*, nempe *subtrahit* subditum a lege, tunc licet eam apponere, et *probabilius* etiam directe et proxime; - ratio, quia lex obligat quidem subditum ut eam servet quousque remanet subditus, sed non obligat ut quis maneat subditus, seu non prohibet ut quis se subtrahat a dominio legis, alium locum petendo ubi lex non viget.

3. Si vero causa quae ponitur est *impediens* tantum, nempe subditum a lege non subtrahit, sed tantum illum *impedit*, seu *impotentem reddit* ad legem observandam, tunc non licet illam causam *directe* apponere sive proxime, sive remote; - ratio, quia remanens subditus legi non licet ipsi voluntatem habere illam infringendi. Hinc axioma: *Obligatus ad finem tenetur ad media*, non qui-

[1] Haec fraus in legem fieri potest v. g. *mutatione rerum*, uti si lex prohibeat pecuniam in mutuo dare filio-familias, et tu in mutuo dederis vinum, frumentum, etc., ut his venditis, pecuniam habeat; vel *mutatione actuum*, puta si cui non liceat beneficia plura conferre, unum in titulum detur, aliud in commendam quoad vixerit; vel *mutatione personarum*, v. g. si quis quod non potest donare filio spurio donet matri. *D'Annibale*. I, 176 (100).

[2] S. Alph., L. I, 97.

dem omnia, sed *ordinaria*, *communia*, *consueta*.

4. An vero liceat causam impedientem *indirecte* apponere, iterum distinguendum erit.

Si causa est *proxime impediens* [1], eam apponere non licet; ratio, quia qui finem praecipit, simul praecipit media necessaria ad consequendum illum finem. Excipe si adsit gravis causa quae legis observationi praeponderet Hinc peccant sartores, sutores, qui pridie diei festi non parant vestes et calceamenta, si id possunt sine gravi incommodo. Sic probabilius juxta S. Alph. peccat qui die jejunii *eo animo* laborat ut impotens fiat ad jejunandum.

Si vero causa est tantum *remote et indirecte impediens*, tunc, in sententia probabiliori, etiam sine motivo licet eam apponere; ratio, quia secus lex esset onus nimis grave [2].

CAPUT VIII.

De interpretatione legis, et de epikeja.

176. — *Q.* Quid est interpretatio legis et quomodo dividitur?

R. Interpretatio legis est *explicatio sensus in lege contenti*.

Interpretatio alia est authentica, alia jndicialis, et alia doctrinalis. — *Authentica* est quae fit a legislatore, vel ab ejus successore, vel ab eo cui potestas interpretandi fuerit ab eisdem commissa; et eandem vim habet ac ipsa lex; et si verba legis in se certa declaret tantum, promulgatione non eget et valet retrorsum; si legem coarctet vel extendat vel dubiam explicet non retrotrahitur et debet promulgari. **Can. 17.**

Judicialis est interpretatio data per modum sententiae iudicialis aut rescripti in re peculieri, et vim legis non habet, et obligat tantum personas atque afficit res pro quibus data est. — *Doctrinalis* denique, seu *didascalica*, est interpretatio quae fit a jurisperitis, aliisque viris doctis qui legibus interpretandis operam navant, sed vim legis non habet.

177. — *Q.* Quaenam regulae pro interpretatione doctrinali legis?

R. Regulae pro interpretatione doctrinali legis praecipuae hae sunt: — 1° Leges ecclesiasticae interpretandae snnt secundnm propriam verborum significationem in textn et contextu consideratam, quae si dubia et obscura manserit ad locos Codicis parallelos si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentis legislatoris recurrendum est. **Can. 18.** 2° Lex generaliter et indefinite loquens omnia significata propria comprehendit; unde axioma: *Ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus*. 3° Leges quae poenam statuunt, aut liberum iurium exercitium coarctant, aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretioni. **Can. 19.**

[1] Quando autem causa censenda sit *proxime* impediens, quando tantum *remote*, norma quaepiam generalis statui vix, aut ne vix quidem potest. At prae oculis semper habenda erunt tum mens legislatoris, tum gravitas rei praeceptae, tum etiam prudentum judicium, ac proborum praxis.-*Gury*, V. I, 110, IV.

[2] S. Alph., L. I, 152; T. II, 20.

hinc axioma : *Odia sunt restringenda, favores ampliandi.*

179. — *Q.* Lex extendi ne debet a casu ad casum, ob paritatem rationis ?

R. 1. Negative, si pro alio casu occurrit solum similis ratio, nisi esset quod casus exprimeretur in lege tantum exempli causa.

2. Affirmative, si pro alio casu occurrit non solum similis, sed eadem et adaequata ratio, ita ut si lex ad parem casum non extenderetur, legislator argui posset injustitiae,aut imprudentiae; tunc enim valet illud juris : *Ubi eadem est ratio, ibi eadem currit legis dispositio.* Hoc autem habetur in sequentibus casibus: 1° In *correlativis*, v. g. inter sponsum et sponsam, inter maritum et uxorem ; hinc si vir ob adulterium uxoris liberatur ab obligatione reddendi debitum, liberatur etiam uxor ob adulterinm viri. — 2° In *aequiparatis*, ut sunt electio et praesentatio ad beneficium ; item ova et lacticinia quoae legem abstinentiae, unde si lex vetat usum ovorum, censetur etiam vetare usum lacticiniorum, quia ova et lacticinia in jure aequiparantur. — 3° In *connexis*, ut sunt Diaconus et Subdiaconus ; et in *contentis* ; hinc qui potest testari, etiam legata conficere potest [1].

180. — *Q.* Quid agere debet subditus in pluribus dubiis circa legem ?

R. Subditus sequentia attendere debet :

1. In dubio an lex existat vel promulgata sit, post sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem, subditus non obligatur, praeciso tamen scandalo, vel alio notabili inconveniente; ratio,quia tunc possidet libertas.ItaTh. communiter.

2. Posita lege, in dubio an superior sit legitimus ; vel an excedat potestatem; vel an quod praecipit sit licitum et justum, *verius* tenetur ad legem;-ratio, quia possidet lex, et praesumptio stat pro superiore et pro justitia legis.

3. In dubio utrum lex contineat praeceptum an monitionem; vel praecipiat sub culpa, an solum sub poena ; vel utrum sub gravi an solnm sub levi judicari potest pro parte mitiori [2].

4. In dubio vero an quis legem adimpleverit. V. dicta superius n. 171.

180 bis. — *Q.* Quomodo Canones Codicis J. C. interpretandi sunt relate ad disciplinam usque ad ipsum vigentem ?

R. 1° Leges quaelibet sive universales sive particulares praescriptis huius Codicis oppositae abrogantur, nisi de aliqua lege particulari aliud expresse caveatur. — 2° Canones qui ex parte tantum cum veteri jure congruunt, qua congruunt ex iure antiquo sunt interpretandae, qua discrepant interpretandae sunt ex verbis ipsorum Canonum. — 3° In dubio an discrepent a veteri iure non est recedendum.

181. — *Q.* Quid est epikeja, et quandonam ipsa uti licit ? [3].

[1] S. Alph., L. I, 200.
[2] S. Alph., L. I, 97, 100.
[3] Epikeja locum non habet in lege naturali quia haec non solum praecipit in generali, sed etiam ad singulos casus descendit

R. Epikeja definiri potest: *Praesumptio, saltem probabilis, quod legislator noluerit aliquem casum particularem, ob quasdam circumstantias, sub lege comprehendi, etsi verba legis clara et generalia sint* [1].

Ut detur locus epikejae, non solum debet lex cessare in casu particulari *negative*, quia nimirum deficit tunc finis legis; sed debet cessare *contrarie*, nempe quia lex, si servanda foret, fieret peccaminosa, vel damnosa, vel nimis onerosa; quare juste negatur ensis depositus domino si iste eo sit abusurus; sic excusatur ab auditione Missae qui eam audire nequit sine notabili bonorum jactura [2].

ART. II.

De temporis supputatione.

Q. Quomodo supputandum est tempus quoad leges?

R. Salvis legibus liturgicis, tempus, nisi aliud expresse caveatur, supputetur ad normam canonum qui sequuntur. — Dies constat 24 horis continuo supputandis a media nocte; hebdomada 7 diebus. In iure nomine mensis venit spatium 30 dierum; anni vero spatium 365 dierum. — In supputandis horis diei standum est communi loci usui; sed in Missae celebratione, in privata horarum canonicarum recitatione, in sacra Comunione recipienda, et in ieiunii vel abstinentiae lege servanda, licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum, sive medium aut legale, sive regionale, sive aliud extraordinarium. **Can. 31, 32, 33.**

CAPUT IX.

De dispensatione legis.

ART. I.

De natura et divisione dispensationis.

182. — *Q.* Quid est dispensatio, et quomodo dividitur?

R. Dispensatio est *legitima relaxatio legis in casu particulari facta ab eo qui habet potestatem ordinariam vel delegatam.*—Multipliciter dividitur: Alia est absoluta, vel conditionata; alia totalis, vel partialis prout a tota lege eximit, vel a parte tantum; alia expressa, alia tacita seu praesumpta.

Strictae subest inserpretationi non solum dispensatio ad normam can. 50, sed ipsa facultas dispensandi ad certum casum concessa. **Can. 85.**

Dispensatio quae tractum habet successivum cessat eisdem modis quibus privilegium, nec non certa ac totali cessatione causae motivae. **Can. 86.**

183. — *Q.* Quaenam est potestas ordinaria, et quae delegata?

R. Potestas *ordinaria* est illa quae alicui competit jure proprio, seu ratione sui officii, vel suae dignitatis.— *Delegata* vero est illa quae inferiori conceditur ab eo qui habet potestatem ordinariam.

[1] S. Alph. Hom. Ap. T. II, 77.

[2] S. Alph., L. I, 201; *Marc.*, 174. — Epikeja hodie vix locum habet in foro externo; in foro autem interno non parti relinquenda est propter hallucinationis periculum, sed in aestimatione boni viri esse debet, et tunc solum cum non licet adire legislatorem sine gravi incommodo. *D'Annibale*, I, 187.

184. — *Q.* Quinam possunt a lege dispensare?

R. Dispensatio, seu legis in casu speciali relaxatio, concedi potest a conditore legis, aut ab eius successore vel Superiore, nec non ab illo cui iidem facultatem dispensandi concesserint. **Can. 80.**

185. — *Q.* Papa a quanam lege dispensare potest?

R. Papa de iure ordinario dispensare potest in omnibus legibus canonicis, etiam ab Apostolis emanatis, uti a jejunio quadragesimali, ab observatione festorum in dominicis, ab irregularitate ob bigamiam, etc.

An Papa dispeusare possit in lege divina. Th. affirmant in iis in quibus jus divinum oritur a voluntate humana, ut sunt vota et juramenta; nam tunc Papa non tollit jus divinum, sed aufert fundamentum talis obligationis, seu, ut ait S. Thomas, Papa auctoritate Dei determinat quid sit Deo acceptum.—An autem possit dispensare in iis quae absolute a voluntate Dei pendent, tres adsunt sententiae.—Sed quidquid sit de diversa Th. sententia, certum est quod Papa dispensare potest quidquid dispensat.

186.—*Q.* Episcopi et locorum Ordinarii a quibus legibus dispensare possunt?

R. Ordinarii a generalibus Ecclesiae legibus dispensare nequeunt, ne in casu quidem particulari, nisi haec potestas eisdem fuerit explicite vel implicite concessa; aut nisi difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem, et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi solet. **Can. 81.**

Nec dispensare possunt in legibus quas speciatim tulerit Romanus Pontifex pro illo peculiari territorio nisi ad norman can. 81. **Can. 82.**

Episcopi aliique locorum Ordinarii dispensare valent in legibus dioecesanis, et in legibus Concilii provincialis ac plenarii ad normam Can. 291; nempe in casibus particularibus et iusta de causa. **Can. 82.**

Eadem potestate gaudet Capitulum, seu Vicarius eapitularis, sede vacante; non autem Vicarius generalis sine speciali delegatione, quia in generali commissione non includitur facultas dispensandi, nisi spocialiter committatur. — Episcopus potest quoque dispensare cum suis subditis in omnibus iis quae regulariter accidunt, uti in votis, modo non reservatis, in jejuniis, in observantia festorum, in abstinentia a carnibus, et similibus, *pro casu tamen particulari.* In omnibus autem his casibus Episcopus potest delegare dispensationem etiam aliis, quia haec facultas competit Episcopo de iure ordinario, cum sit perpetuo adnexa suae dignitati [1].

Episcopi dispensare possunt in legibus communibus etiam cum peregrinis proindeque possunt dispensare vota non reservata iusta de causa, dammodo dispensatio non laedat ius aliis quaesitum. **Can. 1313.**

Ordinarii ex causa peculiari magni populi concursus aut publicae valetudinis, possunt totam quoque dioecesim seu locum a ie-

[1] S. Alph., L. VI, 190; Hom. Ap. T. II, 57, 58.

iunio et abstinentia vel etiam ab utraque simul dispensare. Can. 1245.

In religione clericali exempta Superiores ad modum parochi quod attinet ad personas dispensare possunt cum suis subditis quoad observantiam festorum, vel abstinentiae et ieiunii, vel etiam utriusque, quoad officium divinum, sed pro casibus particularibus, et iusta de causa, uti si dubitetur de potentia ieiunandi, officium recitandi.

188 — *Q.* Parochi et confessarii possunt ne dispensare in lege?

R. Parochi nec a lege generali nec a lege peculiari dispensare valent, nisi haec potestas expresse eisdem concessa sit. Can. 23.

Attamem non solum Ordinarii locorum, sed etiam parochi in casibus singularibus, iustaque de causa, possunt subiectos sibi singulos fideles singulasque familias, etiam extra territorium, atque in suo territorio etiam peregrinos, a lege communi de observantia festorum, itemque de observantia abstinentiae et ieiunii vel etiam utriusque dispensare. Can. 1245.

Confessarii per se facultatem non habent dispensandi, sed tantum declarandi utrum adsit necne causa ex se excusans. Dixi *per se*, quia in aliquibus dioecesibus ab Episcopo conceditur omnibus confessariis facultas dispensandi in lege jejunii et abstinentiae, sed pro casu semper particulari.

Confessarius potest dispensare ab irregularitate ex delicto occulto, excepto delicto voluntarii homicidii, sed solum in casibus urgentioribus.

[1] S. Alph., Hom. Ap. T. II, 63.

Cfr. de Irregularitatibus. Vol. II. pag. 502.

189.—*Q.* Qui habet potestatem delegatam potest ne eam alteri subdelegare?

R. Qui habet potestatem delegatam, nequit, generatim loquendo, alium subdelegare, nisi id concessum sit a delegante, aut si delegatus a principe vel a Pontifice [1].

Quod si delegatio sit *ad universitatem causarum*, tunc habetur quasi potestas ordinaria. Hinc Vice-Parochus ad omnia officia deputatus a Parocho, potest alium subdelegare, sed pro una tantum vel altera causa ut commune est cum S. Th. Si tamen Vice-Parochus, vacante parochia, ab ipso Episcopo constituatur ex dispositione Tridentini [2], tunc ille potest alium Sacerdotem subdelegare ad omnia officia, nisi obstet voluntas ipsius Ordinarii. Ita S. C. C., 12 septembris 1874.

190.—*Q.* Quandonam cessat potestas delegata dispensandi?

R. Praemitto: delegatio, seu facultas dispensandi aliquando conceditur in *forma gratiosa*, et est quando conceditur in favorem petentis, uti facultas dispensandi in votis, absolvendi a censuris, etc.; aliquando vero conceditur in *forma commissoria*, et est quando conceditur in favorem alterius, et tunc delegatio concedi potest pro gratia facta, vel pro gratia facienda. Dicitur *gratia facta*, quando dispensatio seu gratia est jam a superiore concessa, et delegato imponitur praeceptum exequendi mandatum, si preces veritati nitantur. Dicitur vero *gratia facienda*, quando delegato non datur

[2] Sess. XXII, c. 18.

praeceptum gratiam exequendi, sed ipsi datur licentia faciendi gratiam, si vera sint exposita. Hoc posito :

An potestas delegata cesset per mortem superioris delegantis, vel per ejus cessationem ab officio, distinguendum est. — Si delegatio est in *forma gratiosa*, vel *pro gratia facta*, tunc ipsa nunquam expirat, quia comparatur donationi ; excipe si data sit *sub conditione*; vel *ad arbitrium nostrum; donec nobis placuerit*, etc., quia tunc sicut cessat arbitrium ejus et beneplacitum, sic cessat et delegatio. — Si vero delegatio est *pro gratia facienda*, ipsa cessat si res est integra ; quod si res non est amplius integra, perdurat, quia res incepta habetur pro completa.

Sub hac tamen regula non comprehenduntur gratiae concessae a Poenitentiario Majore, vel a Legatis Apostolicis, quae propterea non cessant morte Pontificis.

ART. II.

De causis ad dispensationem requisitis.

191. — *Q.* Ad dispensationem requiritur ne justa causa?

R. — I. Pro *validitate* nulla requiritur causa ex parte illius qui dispensat in sua vel inferioris lege, - ratio, quia qui potest ligare, potest etiam ad libitum solvere. — Bene vero requiritur in eo qui dispensat in lege superioris; unde dispensatio ab inferiore data sine iusta causa illicita et invalida est. **Can. 84.**

II. Pro *licitate* autem, semper requiritur justa et rationabilis causa, habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur. Dispensatio sine iuxta et rationabili causa est peccatum, quia secus Superior non esset fidelis dispensator sed imprudens, et peccat contra jus naturale dictans partem debere conformari suo toti, nisi justa causa excuset. Peccatum tamen etiam in materia gravi non erit grave, nisi adsit scandalum, aut grave damnum tertio afferat, vel nisi agatur de delegato ad dispensandum.

An vero peccet qui utitur dispensatione sine justa causa obtenta, Th. communiter dicunt non peccare graviter, secluso scandalo, et probabile est nec etiam leviter [1].

192. — *Q.* Quaenam sunt justae dispensandi causae?

R. Justae dispensandi causae communiores et potiores sequentes sunt: 1° gravis difficultas legis servandae; 2° merita petentis, aut ejusdem pietas; 3° dignitas petentis, aut ostensio benignitatis in superiore; 4° utilitas communis, vel privata [2].

Ob quas causas vero S. Sedes soleat dispensace in impedimentis matrimonium dirimentibus, dicetur ubi *de Matrimonio*.

193. — *Q.* Extante causa, superior tenetur ne dispensare?

R. Distinguo: Si causa dispensationis sit tantum sufficiens ut dispensatio sit permissa, non autem debita, superior potest licite eam concedere aut negare, vel uni concedere et alteri negare, quia licet expediat bono subditi dispensatio, expedit etiam bono communi legis observantia.

Si vero causa sit talis quae efficiat ut dispensatio sit debita, nempe ad evitandum damnum commune, vel privatum magni momenti, vel ad utile commune, vel magnum particulare, tunc tenetur superior dispensare, alioquin peccaret graviter vel levitur juxta materiam.

Denegata tamen, etiam injuste, dispensatione, nequit subditus agere contra legem; nisi talis causa urgeat, quae eum subtrahat a lege. Quare si Episcopus injuste neget dispensationem publicationum ante matrimonium, urgente gravi causa, illud sine eis contrahi potest [3], modo injustitia omnino certa sit (quod *in praxi* vix possibile erit); secus in dubio certe standum est pro Superiore.

194. — *Q.* Valet ne dispensatio ab uno superiore concessa et ab altero denegata?

R. Nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, nulla facta denega-

[1] S. Alph., L. I, 178.
[2] S. Alph., L. I, 195.
[3] S. Alph., L. I, 179.

tionis mentione, facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus.

Gratia a Vicario Generali denegata et postea, nulla facta huius denegationis mentione, ab Episcopo impetrata invalida est; gratia autem ab Episcopo denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione a Vicario Generali, non consentiente Episcopo, impetrari. **Can. 44.**

195. — *Q.* Valet ne dispensatio extorta per metum; vel tacita de praesenti, aut praesumpta de futuro?

R. 1. Dispensatio extorta per metum valet, modo causa dispensationis existat, quia metus non tollit voluntarium; dummodo non constet superiorem dispensasse sine animo dispensandi. Imo licite subditus uti potest tali dispensatione, si metus fuit juste incussus; illicite vero, si injuste [1].

2. Dispensatio tacita valida est, modo ex aliquo signo prudenter praesumi possit consensus superioris de praesenti.

3. Dispensatio praesumpta de futuro non valet. Admittitur quidem *licentia* rationabiliter praesumpta de futuro, sed non dispensatio, quia haec est vulnus legis [2].

196. — *Q.* In dubio an casus indigeat dispensatione est ne petenda dispensatio?

R. Praemitto: inter causas dispensationum aliae per se excusant a praecepto v. g. jejunii, divini officii, etc., et istae non indigent dispensatione si sint certe vel saltem probabiliter justae. Aliae vero sufficiunt ad dispensationem, sed ea indlgent. Hoc posito:

1. In dubio sive negativo, sive positivo, an casus sub lege comprehendatur, subditus, generatim loquendo, uti potest sua libertate, licet consultius sit adire superiorem ut declaret, aut dispenset.

2. In dubio vero de sufficientia causae dispensatio licite petitur et potest licite et valide concedi. **Can. 84. § 2.**

3. In dubio *iuris* leges etiam irritantes et inhabilitantes non urgent; in dubio vero *facti* Ordinarius potest in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet. **Can. 15.**

Quoad dispensationes matrimoniales, contrahentes tenentur dispensationem petere, quia tunc agitur non solum de valore contractus, sed etiam de valore sacramenti, ideoque non licet operari cum dubio.

197. — *Q.* Dispensatio vitiosa valet ne?

R. Vitium dispensationis potest esse circa personas, circa formam, et circa preces.

Vitium circa *personam* quae inhabilis sit sive ad concedendam, sive ad obtinendam dispensationem, ipsam invalidat. *Item* probabilius si error sit in nomine dioecesis. Si error contingit in nomine vel praenomine supplicantis, ex stylo Romanae Curiae iterum recurrendum est pro correctione erroris.

Vitium circa *formam*, nempe quando non est exarata ea formula qua ex stylo Curiae fieri solet, et ideo suspicionem de falso ingerit, ipsam irritat; et tunc veritas est indaganda. *Item* ex jure

[1] S. Alph., L. I, 184; Hom. Ap. T. II, 55.

[2] S. Alph. L. I, 187.

canonico irrita est dispensatio, si error gravis et manifestus in latinitate occurrat, non vero si levis.

Vitium circa *preces* est quando in postulatione veritas reticetur, quo in casu dicitur *subreptio,* vel falsum narratur, quo in casu dicitur *obreptio*. Porro, si petitio est *subreptitia* (tacens verum) et veritas quae tacetur de jure, vel consuetudine, vel stylo Curiae necessario exprimi debet, dispensatio est nulla. — Si vero petitio est *obreptitia* (narrans falsum) tunc si causa quae falso exponitur est principalis, ita ut sine ipsa superior non dispensasset, dispensatio est nulla; secus valet, si causa est tantum impulsiva. Si autem plures afferuntur causae, quarum aliae verae, aliae falsae sunt, valida erit dispensatio quoties vera sit una ex iis, quae sufficiens sit ad dispensandum. — In dubio vero utrum causa falso allegata principalis seu motiva sit an solum impulsiva, valida censenda est dispensatio, quia in dubio jura favent validitati actus [1].

198. — *Q.* Quomodo cessat dispensatio?

R. Dispensatio tribus modis cessat: revocatione dispensantis; renuntiatione dispensati; cessatione causae.

1. Cessat revocatione dispensantis. Revocatio dispensationis, si facta sit cum causa a superiore in propria lege, valida et licita est; si absque causa, valida quidem, sed illicita sub levi. Quod si causa finalis jam cessaverit totaliter, superior, si eam non revocat, peccat [2]. — E contra si inferior sine causa revocet dispensationem factam ex delegatione in lege sui superioris, talis revocatio est nulla et invalida [3].

2. Cessat renuntiatione dispensati, dummodo renuntiatio sit acceptata a superiore; alias semper ea uti potest.

3. Cessat cessatione causae, nempe quando cessat causa *finalis,* et cessat *totaliter* [4].

[1] S. Alph., L. I, 185. — Quoad Rescripta Rom. Pontificum si subreptio vel obreptio interfuerit ex dolo et malitia, nulla sunt; si vero interfuerit ex ignorantia vel simplicitate, tunc si subreptio vel obreptio causam concessioni dedit, rescripta nulla sunt, secus valida.

Sunt autem Rescripta Rom. Pontificum quaedam speciales Constitutiones, quibus ipsi Pontifices vel de jure ambiguo consulti, vel precibus permoti ad certas personas rescribunt. Ea quae Pontifex scriptis mandat, cum de jure respondet, *rescripta justitiae,* cum precibus indulget, *rescripta gratiae* dicuntur. Rescripta vero pro varia negotiorum gravitate, vel per simplicem scripturam seu familiarem epistolam vel per Bullas, aut Brevia expediuntur. — *Vecchiotti*, L. I, c. III, § 49.

[2] S. Alph. Hom. Ap. T. II, 67.

[3] S. Alph., L. I, 197.

[4] Causa dispensationis triplici tempore cessare potest: 1° *Ante concessionem* a Superiore factam et tunc nulla est dispensatio, nam superior non intendit dispensare nisi sub conditione, quod verae sint causae allatae eo istanti quo gratiam ipse largitur. 2° *Ante fulminationem* dispensationis. Quandoque superior non ipse concedit dispensationem, sed aliquem delegat ad eam largiendam si preces veritate nitantur, quae concessio vocatur *fulminatio* dispensationis; ergo si eo tempore cessat causa, dispensatio non valet, quia preces veritate non nituntur. 3.° *Post fulminationem;* unde si causa cessat post fulminationem dispensationis, dispensatio valet, et potest executioni mandari, dummodo concedatur absolute. Attamen dispensatio cessat si agatur de obligationibus *successivis* et *divisis*, quia tunc dispensatio conceditur hypothetice et dependenter a causa; sic qui ob infirmitatem dispensatur a jejunio quadragesimali, cessante infirmitate, jejunare tenetur.

Hinc si cessat causa impulsiva, sed non finalis ; vel cessat quidem causa finalis, sed non totaliter, dispensatio perdurat. Sic, v. g. obtenta fuit dispensatio in impedimento matrimonii sive ad legitimandam prolem, sive ad scandalum vel damnum reparandum ; nunc moritur proles, vel adfuit abortus ; sed dispensatio adhuc tenet quia remanet una causa finalis, nempe reparandi scandalum vel damnum. — In dubio autem an causa cessaverit totaliter, standum est pro dispensatione, quae possidet.

Quod si causa *finalis* cessat totaliter, tunc distinguendum est. — Si dispensatio concessa fuit *sub conditione* expressa vel tacita, si causa perduret, cessante causa, cessat et dispensatio. Hinc dispensatio ab officio vel jejunio ob infirmitatem data, cessante infirmitate, cessat. — Si autem concessa fuit *absolute,* non cessat per unum actum : v. g. Titius obtinuit dispensationem in voto castitatis ad contrahendum matrimonium ; mortua conjuge, perdurat dispensatio, nisi fuerit concessa pro speciali casu, scilicet ad deducendam virginem ab ipso defloratam. Et sic de similibus [1].

CAPUT X.

De cessatione legis.

199. — *Q.* Lex quomodo cessare potest ?

R. Lex cessare potest tum *ab intrinseco,* seu ex parte ipsius legis, cessante causa finali, tum *ab extrinseco,* seu per abrogationem, consuetudinem contrariam, et privilegium.

[1] S. Alph., L. I, 196.

Art. I.

De cessatione legis ab intrinseco.

200. — *Q.* Cessante fine legis cessat ne ipsa lex ?

R. Praemitto : triplici modo potest cessare finis legis. 1° Finis legis potest cessare *contrarie,* si lex evadit nociva ; vel *negative* seu *privative*, si evadit tantum inutilis. 2° Finis legis potest cessare *totaliter* et *adaequate,* vel *partialiter* tantum et *inadaequate.* 3° Potest cessare in *communi,* seu respectu totius communitatis, vel in casu tantum *particulari.* Hoc posito :

I. Si finis legis cessat *contrarie* et *in communi,* etiam lex cessat ipso facto ; - ratio, quia amittit naturam legis, quae est ordinatio rationis ad bonum commune.

II. Si finis legis cessat *negative,* sed *totaliter,* et *in communi,* tunc si cessat in perpetuum, cessat etiam ipsa lex ob rationem nuper allatam. Si vero cessat tantum ad breve tempus, lex suspensa manet, donec reviviscat ejus finis.

III. Si finis legis non cessat *totaliter* seu *adaequate,* non cessat lex, quia remanet semper causa finalis legis, dummodo causa quae remanet sit adhuc sufficiens.

IV. Si finis legis cessat *totaliter* quidem, sed tantum in casu particulari, tunc distinguendum erit: — Si cessat *contrarie,* in sententia communi, lex ipsa cessat pro illo casu particulari, quia lex humana ordinarie non obligat cum gravi incommodo, excepto casu

boni publici, scandali, aut formalis contemptus. — Si autem cessat tantum *privative* seu *negative*, tunc disput. Th. Multi tamen dicunt legem cessare ; excepto quod aliter constet de mente legislatoris, vel excepto casu periculi communis, quia in hoc casu ad evitandum facile hallucinationir periculum, lex adhuc obligaret [1].

ART. II.

De legis abrogatione.

201. — *Q.* Lex potest ne abrogari, et a quo ?

R. Praemitto : *abrogatio* legis est abolitio legis in toto : *devogatio*, abolitio legis in parte ; *cessatio*, est simplex et pura legis desitio. His praemissis :

I. Legislator supremus potest *valide*, etiam sine justa causa, abrogare legem suam, vel legem sui praedecessoris, quia qui potest ligare, potest etiam pro libitu solvere. Non potest vero *licite* abrogare legem, si desit justa causa, quia ipse sua potestate uti tenetur non in destructionem, sed in aedificationem.

II. Legislator inferior non potest nec legem propriam abrogare, si lex ab ejus superiore confirmata fuit in favorem communitatis, quia superior illam confirmando suam effecit. Potert vero si lex confirmata fuit in favorem ipsius legislatoris inferioris ; v. g. ut ejus legi major splendor accederet; etc.

III. Lex posterior, a competenti auctoritate lata, abrogat priori, si ie expresse edicat, aut si illi directe contraria, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam. Lex generalis nullatenus derogat locorum specialium et personarum singularium statutis, nisi aliud in ipsea caveatur. **Can. 22**; uti esset si lex posterior generalis adnexam habeat hanc clausulam : « *non obstante quacumque contraria lege particulari*, vel *consuetudine* »; et si consuetudo sit ab *immemorabili*, quae nempe excedat memoriam hominum, hanc : « *non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili* [2] ». Item lex generalis non revocat consuetudines particulares, nisi de iis mentionem fecerit.

ART. III.

De consuetudine.

203. — *Q.* Quid est consuetudo, et habet ne vim legis ?

R. Consuetudo definiri potest : *Jus quoddam moribus institutum seu ex actibus frequentibus et repetitis ortum ducens* : et est optima legum interpres. **Can. 29.**

Consuetudo alia est universalis, alia particularis; alia est juxta legem, quae legem confirmat et interpretatur; alia praeter legem, qua novum jus et obligatio inducitur ; alia contra legem, quae legem abrogat, vel eidem derogat.

[1] S. Alph., L. I, 199. — In dubio . . . v. nota seguente.

[2] In dubio utrum lex abrogata fuerit, vel utrum finis legis cessaverit adae quate, vel demum an ipsa lex obsoleverit, semper pro lege respondendum foret, quia possidet lex. Nihilominus in dubio positivo, si vere probabile sit legem abrogatam, vel contraria consuetudine deletam fuisse, vel finem ejus prorsus cessasse, plures Th. inter quos S. Alph., L. III, 190, tenent pro libertate respondendum esse. *D' Annibale*, I, 181.

Consuetudo in Ecclesia vien legis a consensu competentis superioris ecclesiastici unice obtinet. **Can. 25.** Communitas quae legis ecclesiasticae saltem recipiendae capax est, potest consuetudinem inducere, quae vim legis obtineat. **Can. 26.**

Iuri divino sive naturali sive positivo nulla consuetudo potest aliquatenus derogare, sed neque iuri ecclesiastico praeiudicium affert, nisi fuerit rationabilis et legitime per annos quadraginta continuos et completos praescripta; contra legem vero ecclesiasticam quae clausulam contineat futuras [consuetudines prohibentem, sola praescribere potest rationabilis consuetudo centenaria aut immemorabilis. Consuetudo quae in iure expresse reprobatur non est rationabilis. **Can. 27.**

204. — *Q.* Quaenam condi tiones ut consuetudo vim legis habeat?

R. Ut consuetudo vim legis habeat, tria exposcit: 1° introductionem factam a communitate, nempe ut sit introducta saltem a majore parte alicujus communitatis; 2° tacitum consensum superioris, qui adesse praesumitur, quoties ille, cum possit eam vetare, diu eam tollerat; 3 debitam praescriptionem, pro qua requiritur sive tempus diuturnum, saltem decem annorum, sive tempus continuatum, idest quod intra illud tempus consuetudo non interrumpatur nec a majore parte communitatis, nec declaratione principis. Insuper requiruntur actus multoties repetiti, ac liberi, et non a timore vel ex ignorantia orti [1].

[1] S. Alph. Hom. Ap. T. II, 79.
[2] S. Alph. Hom. Ap. T. II, 80.

Art. IV.

De privilegiis, seu de legis cessatione ob privilegium.

205.—*Q.* Quid est privilegium?

R. Privilegium definiri potest: *Lex privata aliquod speciale beneficium concedens.*

Privilegium: 1° Aliud est *personale*, si directe conceditur personae; aliud *reale*, si datur immediate alicui rei, vel alicui dignitati vel loco. Primum adhaeret personae, et exerceri potest ubique, modo non sit contra statutum speciale territorii in quo moratur; alterum adhaeret loco, et exerceri nequit extra territorium designatum.—2° Aliud est *perpetuum*, aliud *temporaneum*.—3° Aliud est *gratiosum*, quod gratis et sine merito conceditur; aliud *remuneratorium*, quod pro meritis datur.—4° Aliud est *contra legem*, quando legi derogat, v. g. exemptio a solvendis decimis; aliud est *praeter legem*, quando conceditur sine ullius praeiudicio, v. g. facultas dispensandi in votis, absolvendi a censuris reservatis, est latae interpretationis, utpote favorabile.

Privilegia acquiri possunt per concessionem competentis auctoritatis, per communicationem, et per legitimam consuetudinem seu praescriptionem. **Can. 63.**

206. — *Q.* Privilegium quomodo interpretari debet?

R. Privilegium sic interpretari debet, ut privilegiato non sit inutile nec onerosum. Quod si est favorabile, late interpretandum est; stricte e contra si est odiosum.

Privilegium odiosum, si nemini praejudicium affert, aequiparatur favorabili et late est interpretandum in hisce casibus: 1° si sit

[3] Génicot, I, 126: Aertnys, I, 201.

insertum in *corpore juris*, 2° si sit reale, quia tunc ob suam peculiaritatem habetur ut insertum in *corpore juris*; 3° si sit concessum cum clausula : *ex certa scientia*, vel *ex motu proprio;* 4° si sit privilegium absolvendi, dispensandi, aut illud aliis communicandi; 5° si sit concessum alicui ordini, communitati, quia tunc praesumitur concessum ut remuneratorium, ideoque ut favorabile [1].

207. — *Q.* Privilegium quomodo cessare potest ?

R. Privilegium cessare potest : 1° per revocationem sive expressam, sive tacitam superioris [2] ; non vero per mortem concedentis, si privilegium est de gratia facta, ut dictum fuit n. 190; 2° per decursum termini constituti; 3° per cessationem causae finalis, si sub conditione tali causae concessum fuit ; 4° per renuntiationem privilegiati, si hic est persona particularis, et tantum in sui favorem privilegium concessum fuit, Can. 72; nam si privilegium non personae, sed statui seu conditioni personae conceditur, v. g. statui clericali, tunc renuntiare nequit; 5° demum, pro foro externo, per usum contrarium vel non usum quoad privilegia quae tertio sunt onerosa.

Nota.—Privilegia atque indulta quae ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur. **Can. 4.**

Per communicationem privilegiorum, etiam in forma aeque principali, ea tantum privilegia impertita censentur, quae directe, perpetuo et sine speciali relatione ad certum locum, aut rem, aut personam concessa fuerant primo privilegiario, habita etiam ratione capacitatis subiecti, cui fit communicatio. **Can. 64.**

208.— *Q.* Privilegiatus tenetur ne uti privilegio ?

R. Negative, per se loquendo. Per accidens tamen tenetur duobus in casibus : 1° quando privilegium concessum fuit ad aliquod praeceptum adimplendum, v. g. ad Missam audendiam, tempore interdicti ; 2° quando concessum fuit ad bonum commune, uti privilegium canonis et fori coetui clericali concessum.

[1] S. Alph., 1ª Append. II, 7.

[2] Ad revocationem *tacitam* sufficit nova lex, quamvis in ea non adsit clausula revocatoria, quando ipsa lex non potest suum effectum sortiri, nisi revocatis privilegiis antea concessis. — Ad revocationem *expressam*, regulariter loquendo, sufficit clausula generalis: *non obstantibus privilegiis;* exceptis privilegiis onerosis (nempe concessis ob aliquod pretium, vel ob aliquod onus privilegiato impositum), et iis quorum revocatio praejudicaret juri a tertio acquisito. S. Alph., 1ª App. II, 15, 17.

BREVIS APPENDIX

De S.S. Romanis Congregationibus

Singulis Congregationibus praeest Cardinalis Praefectus vel, si eisdem praesit Romanus Pontifex, eas dirigit Cardinalis Secretarius; quibus adiunguntur Cardinales quos Pontifex eis adscribendos censuerit cum aliis necessariis administris. **Can. 246.**

I. Congregationes.

1.° *Congregatio Sancti Officii:* cui ipse Summus Pontifex praeest. Ipsi spectat doctrinam fidei et morum tueri; res de indulgentiis sive quoad doctrinam, sive quoad usum ; facultas cognoscendi quae circa privilegium, ut ajunt, Paulinum, et impedimenta disparitatis cultus , et mixtae religionis nec non quae doctrinam dogmaticam de matrimonio et aliis Sacramentis attingunt.

2.° *Congregatio Concistorialis :* Summus Pontifex est ejus Praefectus. — Ipsi spectat, in locis Congregationi de Propaganda Fide non obnoxiis, novas dioeceses constituere, Episcopos eligere; nec non ea omnia quae spectant ad regimen singularium Dioecesium.

3.° *Congregatio de disciplina Sacramentorum.*—Ipsi spectat legis latio circa caeremonias in Sacramentis conficiendis, ministrandis, et recipiendis; disciplina in matrimonii, v. g. dispensationes in foro externo; quaestiones dirimere de validitate matrimonii, vel S. Ordinationis etc., incolumi jure S. Officii.

4.° *Congregatio Concilii.*—Ipsi spectat quae ad universam disciplinam Cleri saecularis, populique christiani referuntur; v. g. jejunia, decimae, moderari quae Parochos, et Canonicos spectant, pia legata , Missarum stipes, immunitas ecclesiastica , assecutio beneficiorum, etc.

5°. *Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita.*—Ipsa judicat de iis quae pertinent ad sodales religiosos utriusque sexus, et ad eos qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum. Praeterea ea omnia sibi moderanda assumit quae inter Episcopos et religiosos utriusque sexus sodales intercedunt, sive inter ipsos religiosos: ipsi quoque spectat relaxatio votorum.

6°. *Congregatio de Propaganda Fide.*

7°. *Congregatio Sacrorum Rituum.*—Habet jus videndi et statuendi quae sacros ritus et caeremonias Ecclesiae Latinae proxime spectant; advigilare ut sacri ritus et caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis , etc.; nec non quae ad Beatificationem et Canonizationem Sanctorum , vel ad sacras Reliquias referuntur: ipsi quoque adjungitur Coetus *liturgicus*, et *pro Sacro Concentu.*

8.° *Congregatio caeremonialis.* — Ipsi pertinet moderatio caeremoniarum in Sacello et Aula Pontificali servandarum; cognoscere de praecedentia tum Patrum Cardinalium, tum Legatorum, etc.

9°. *Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis.*

10°. *Congregatio de Seminariis et Universitatibus studiorum.*

11°. *Congregatio pro Ecclesia Orientali cui praecst ipse Romanus Pontifex.* — **Can. 246-257.**

DE PECCATIS

In *primo* tractatu peregimus de actibus humanis ; in *secundo*, de eorum regula proxima, seu de conscientia ; in *tertio*, de eorum regula remota, seu de legibus. Nunc ordo expostulat ut de iis actibus dicamus qui a lege recedunt, nempe de peccatis. — Haec autem tractatio de peccatis confessariis maxime necessaria est, quia in Sacramento poenitentiae, nec officio judicis, ut par est, fungi possunt, nisi noverint causas, conditiones, variasque distinctiones peccatorum; nec munia medici spiritualis utiliter exercere, nisi hujusmodi morborum spiritualium naturam et qualitates apprime perspectas habeant.

Duobus capitibus haec dissertatio conficitur: 1. *de peccatis in genere, seu de peccati natura, divisione, causis et effectibus; de constitutivis peccati; de peccatis internis; de peccato omissionis; de peccatorum differentia in genere, specie et numero;* 2. *de peccatis in specie, seu de vitiis capitalibus.*

CAPUT I.

De peccatis in genere.

ART. I.

De peccati natura, divisione, causis, et effectibus.

209. — *Q.* Peccatum quomodo definitnr ?

R. Peccatum a S. Thoma definitur : *Voluntarius recessus a lege Dei ;* a S. Aug. : *Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei aeternam ;* a Theol. vero communiter definitur : *Libera transgressio legis obligantis in conscientia;* et haec definitio comprehendit non solum peccata commissionis, sed etiam peccata omissionis, nam affirmatio et negatio ad idem genus reducuntur.

210. — *Q.* Peccatum quomodo dividitur ?

R. Peccatum multipliciter dividitur :

1. In *originale* et *personale*. Primum ex culpa primi parentis naturali propagatione contrahitur ; alterum propria voluntate.

2. Peccatum *personale* subdividitur in habituale et actuale : *ha-*

bituale est macula in anima relicta ex actuali peccato, et in ea remanens donec per poenitentiam deleatur; *actuale* est ipse actus peccaminosus.

3. Peccatum *actuale*, de quo hic agitur, multipliciter subdividitur: 1° Ratione *objecti*, in peccatum contra Deum, contra proximum, et contra se ipsum.—2° Ratione *praecepti*, in peccatum commissionis et omissionis, prout ponitur opus prohibitum, vel omittitur opus praeceptum.—3°Ratione *causae*, in peccatum malitiae, vel ignorantiae, vel fragilitatis, prout committitur ex mera mala voluntate, vel ex culpabili ignorantia, vel ex mera fragilitate.—4° Ratione *modi*, in peccatum internum et externum, seu in peccatum cordis, oris et operis.—5° Ratione *gravitatis*, in peccatum mortale et veniale, prout privat divina gratia vel non.—6° Demum ratione *imputabilitatis*, in peccatum formale et materiale; peccatum *formale* est quando lex libere et scienter, proindeque culpabiliter violatur; *materiale*, quando violatur absque cognitione et voluntate, proindeque materialiter tantum et inculpabiliter [1].

211.—*Q.* Quaenam est causa peccati?

R. Vera et proxima causa peccati est sola voluntas. Causae vero occasionales quae voluntatem movent ad peccandum, aliae sunt internae, aliae externae.—*Internae* sunt ignorantia ex parte intellectus; malitia ex parte voluntatis; concupiscentia ex parte appetitus sensitivi. Sed de his alibi. — *Externae* sunt diabolus, mundus et omnia quae in mundo sunt. — Quandonam vero occasio sit peccatum, et quando quis in occasione constitutus absolvi possit, necne, dicetur in Tractatu *de Poenitentia*.

212.—*Q.* Quinam effectus peccati?

R. Multi sunt effectus peccati sive mortalis, sive venialis.—Effectus peccati *mortalis* sunt: 1° gravis offensa Dei; 2° amissio gratiae sanctificantis; 3° macula et turpitudo animae; 4° reatus poenae aeternae.

Effectus peccati *venialis* sunt: 1° offensa Dei, licet non gravis; 2° diminutio fervoris et familiaritatis cum Deo; 3° dispositio ad mortale; 4° reatus poenae temporalis.

Art. II.

De constitutivis peccati

213.—*Q.* Quaenam sunt constitutiva peccati?

R. Constitutiva peccati tria recensentur: *materia, advertentia, consensus*.

§ 1°

De materia peccati.

214. — *Q.* Quid est materia peccati?

R. Materia peccati est *objectum a lege praeceptum vel prohibitum.*

[1] Nonnulli erronee distinxerunt etiam peccatum in *theologicum* et *philosophicum*, primum quod est contra Deum, alterum contra rationem tantum. At propos., quae dicebat quod peccatum philosophicum in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, quantumvis grave, attamen non est offensa Dei, nec poenam aeternam meretur, ab Alex. VIII damnata fuit; qui enim peccat contra rationem, peccat simul contra ejus auctorem.

Porro objectum peccati potest esse leve, vel grave, et hoc quidem ex genere suo toto, vel non toto, ut dicetur inferius.

§ 2°

De advertentia

215.—*Q.* Quid est advertentia, et quomodo dividitur?

R. Advertentia in genere definitur a S. Alph.: *Consideratio seu cogitatio malitiae et prohibitionis actus, aut saltem aliqua dubitatio aut suspicio peccati, aut peccandi periculi.* Non requiritur vero advertentia expressa ad offensam Dei; nam sicut implicita de Deo cogitatio sufficit ad eum colendum, ita etiam sufficit ad eum offendendum [1].

Advertentia alia est plena seu perfecta, alia semiplena seu imperfecta; alia actualis, et alia virtualis. *Plena* seu *perfecta* est quando homo cognoscit actionem quam agit cum omnibus suis circumstantiis. *Semiplena* seu *imperfecta* est quando actionem plene cognoscere nequit ob aliquod impedimentum, puta si non bene a somno excitatus. *Actualis* seu directa et expressa est quando actu malitiam actionis cognoscit. *Virtualis* seu *indirecta* (interpretativa secundum quid) est quae habita fuit dum quis causam actionis posuit. *Mere interpretativa* est quae nec est, nec fuit, sed tamen interpretatur adesse, quia homo *potuit* et *debuit* illam ponere.

216.—*Q.* Ad peccatum formale requiritur ne advertentia?

R. Ad peccatum formale constituendum certe requiritur advertentia, et quidem plena si agatur de mortali; quod si advertentia non est plena, peccatum non erit nisi veniale, etsi materia gravis sit.

Hinc motus concupiscentiae dicti *primo-primi*, qui penitus rationem praeveniunt, carent omni culpa. Motus vero *secundo-primi*, qui cum semiadvertentia fiunt a semidormientibus, aut ab alio distractis, ad summum possunt esse veniales [2].

217.—*Q.* Ad peccatum formale requiritur ne advertentia actualis, an sufficit tantum virtualis? [3].

R. Disput. Theol. *Prima* sententia dicit sufficere advertentiam virtualem, nempe quod homo *possit et debeat* advertere, quia alias reputandi essent immunes a culpa omnes scelesti homines, qui suis passionibus vel pravis habitibus obcaecati plura mala patrant ad nihil advertentes. *Secunda* sententia communior et verior e contra dicit requiri advertentiam actualem, aut suspicionem malitiae actionis vel directam seu in se, vel indirectam seu in sua causa, saltem in confuso, quia nil volitum quin praecognitum.

S. Alph. vero sic ait: Praefatae sententiae facile conciliari possunt. Nam si dicatur ad omnia peccata mortalia necessario exposci actualem et expressam advertentiam hoc falsum est, quia multipliciter evenire potest quod plura illud sic cognitum consentit. S. Alph., L. V. *De peccatis*, 3.

[1] Circa advertentiam intellectus notandum quod modus quo peccatum perficitur hic est: Primo objectum repraesentatur sensibus, et sua delectabilitate phisica commovet appetitum sensitivum. Deinde intellectus ad illud et ad ejus malitiam advertit. Demum voluntas in

[2] S. Alp. Hom. Ap. T. III, 24.

[3] Juxta Th. qui advertentiam virtualem ab interpretativa distinguunt, quaestio est utrum requiratur advertentia virtualis an sufficiat interpretativa.

mala, quamvis actualiter et expresse non advertantur, bene tamen imputantur ad culpam ea patrantibus. Ergo ad peccatum formale non requiritur semper advertentia actualis seu directa, sed sufficit advertentia virtualis et indirecta, nempe quando inadvertentia vel ignorantia est aliquo modo voluntaria et imputabilis, quod quatuor modis evenire potest: 1° ex negligentia addiscendi; 2° ex passione, quam quis vult deliberate sequi; 3° ex pravo habitu, qui voluntarie contrahitur; 4° ex voluntaria inconsideratione in agendo, idest quando quis jam advertit aliquid amplius esse considerandum, et tamen vult praecipitanter operari, tunc merito illi imputantur errores quos committit [1].

§ 3°

De consensu.

218.—*Q.* Quid est consensus, et quomodo distinguitur?

R. Consensus est *actus quo voluntas approbat id quod sibi ab intellectu proponitur.*

Consensus alius est *positivus,* quando quis positive approbat, alius *negativus,* quando nec approbat, nec reprobat; - alius *plenus*, alius *semiplenus; - absolutus*, vel *conditionatus; - directus*, quando quis aliquid in se vult, *indirectus*, quando quis aliquid vult non in se, sed in ejus causa voluntarie posita; - *efficax* vel *inefficax*, prout habet, vel non, intentionem opus exequendi.

ART. III.

De peccatis internis.

219.—*Q.* Peccatum internum in quonam consistit?

R. Peccatum internum non consistit in sola cogitatione rei malae, nec in solo motu pravae concupiscentiae, sed in ipso actu voluntatis libere tali motui consentientis.

Dixi 1° quod non consistit in sola cogitatione rei malae; quia haec cogitatio, etiam voluntaria et libera, non est quid intrinsece malum, ut patet; Deus enim et Angeli de rebus malis cogitant, et theologi de eis disserunt; ergo talis cogitatio per se non est peccatum, nec causa peccati, sed tantum esse potest occasio et materia peccati interni. Dixi 2° nec consistit in solo motu pravae concupiscentiae, quia ad peccatum requiritur voluntarium; motus autem concupiscentiae per se non sunt voluntarii. Dixi 3° sed consistit in ipso actu voluntatis libere tali motui consentientis, quia voluntas tenetur motibus inordinatis appetitus sensitivi aliquo modo resistere; ergo si ipsis libere consentit, aderit peccatum internum.

220.—*Q.* Peccatum internum quomodo distinguitur?

R. Peccatum internum triplex distinguitur: gaudium, delectatio morosa, et desiderium.

Gaudium seu *complacentia* est actus voluntatis quo quis sibi complacet de opere malo jam patrato, unde respicit tempus praeteritum.

Delectatio morosa est actus voluntatis quo quis cum plena advertentia, et pleno consensu, in sua mente delectatur de objecto malo, sine intentione executionis; unde respicit tempus praesens. Haec delectatio dicitur *morosa*, non a mora temporis, cum peccatum uno temporis momento per-

[1] S. Alph., L. V, 4; Hom. Ap. III, 27.

fici possit, sed quia mens voluntarie moratur in re, quam statim ac cognoscit respuere deberet [1].

Desiderium vero est actus voluntatis quo quis deliberate desiderat opus prohibitum; unde desiderium respicit tempus futurum. Et hoc desiderium potest esse *efficax*, si quis proponit illud exequi, vel *inefficax*, si exequi non proponit.

221.—*Q.* Haec peccata cujusnam gravitatis et speciei sunt?

R. Complacentia et desiderium comprehendunt omnem gravitatem, et omnes species quibus objectum induitur, quia tunc voluntas amplectitur totum objectum pravum cum omnibus suis circumstantiis, nec ab illis praescindere potest. Quare qui sibi complacet, vel desiderat copulam cum muliere, in confessione explicare debet qualitatem mulieris, si conjugata, si ligata voto castitatis, etc.

An autem idem dicendum sit de *delectatione morosa*, disput. Th. Sententia negativa, *speculative* loquendo, est valde probabilis; sed *in praxi* juxta S. Alph. in delectatione morosa praestat explicare omnes objecti circumstantias ratione proximi periculi pravi desiderii peccandi cum tali persona [2].

Ceterum observat Cl. Gury [3]: Etsi objectum specie diversum pravae delectationis *per se* sit declarandum, quia complacentia in repraesentatione v. g. aspectus turpis, differt specie a repraesentatione fornicationis, etc., *in praxi* tamen difficilius esset Confessario de his in particulari interrogare, idque gravissima induceret incommoda quae omnino vitanda sunt. Insuper qui facile consensum pravis cogitationibus praebent, facile etiam quibuslibet repraesentationibus adhaesisse censentur.

222.—*Q.* Licet ne delectari 1° de opere malo sine culpa commisso; 2° vel delectari de opere malo ob bonum effectum inde secutum; 3° vel delectari de bono effectu ex opere malo secuto?

R. Ad 1.um Si delectatio non est de ipso opere malo, sed solum quia sine culpa commissum, tunc actus est bonus.

Ad 2.um Si delectatio est de ipso opere malo, seu de ipsa actione in se, seu intrinsece mala, tunc si opus fuerit *formaliter* malum, certum est apud omnes non licere de illo delectari etiam ob bonum effectum inde secutum.— Si vero opus fuerit tantum *materialiter* malum, quia nempe defuit advertentia et voluntas, tunc distinguere oportet. Si non obstante defectu advertentiae et consensus, actus obiective malus manet, de eo gaudere non licet. — Si vero ob defectum advertentiae et consensus actus morali malitia objectiva caret, tunc licet de eo gaudere ob bonum effectum inde secutum, dummodo adsit proportio inter effectum bonum et actum materialiter malum, et ita ordo caritatis servetur. Quare non licet gaudere de pollutione etiam involuntaria quae venerit v. g. ex turpi somno, quia haec est objective mala. Hinc Innocentius XI hanc damnavit propos.: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes di-*

[1] Nota: delectatio alia est indeliberata, et sponte sequitur in parte inferiore, seu sensibili, cui omnes subjecti sunt, etiam animae piae et timoratae, sed haec certe non est peccatum.

[2] S. Alph., L. V, 15; Hom. Ap. T. III, 48.

[3] *Gury*, Casus Consc. I, 159.

vitias inde ex haereditate consecutas. E contra licet gaudere de refectione ex ignorantia sumpta in die jejunii prout est restauratio virium corporis, non prout est violatio materialis legis. (Si quis de illa gauderet ob aliquam gulositatem, quod facile evenire potest, esset peccatum veniale). Dixi: *dummodo adsit proportio, etc.;* quia si bonus effectus malum non adaequaret, ordo caritatis violaretur, et peccatum esset.

Ad 3.um Si delectatio est de solo *bono effectu,* ex quacumque causa mala secuto, per se loquendo, licet de ipso delectari, quia tunc voluntas non fertur in objectum malum, modo tamen causa mala detestetur. Hinc Ecclesia gaudet de mysterio divinae Incarnationis cui occasionem dedit Adae peccatum, et exclamat: O felix culpa quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem. Hinc licet gaudere quod, mortuo inimico, ab ejus insidiis liberatus sis; sic licet gaudere de naturae exoneratione, vel de tentationis cessatione a pollutione causata, etc. modo causa semper detestetur.—Dixi: *per se loquendo,* quia hujusmodi delectationes aliquando periculo non carent. Hinc confessarius *in praxi* caute agere debet cum iis qui dicunt gaudere tantum de bono effectu seu de commodo secuto, v. g. de emolumento sibi provento ex morte alicujus, vel ex peccato suo vel alterius, prudenter enim advertere debet an simul delectentur de causa, seu de ipso opere malo [1].

223.—*Q.* Licet ne delectari de modo artificioso quo res mala facta fuit?

R. Si delectatio est tantum de modo artificioso quo res mala facta fuit, v. g. de modo artificioso furandi et modus per se non est peccaminosus, tunc non erit peccatum, quia delectatio non est de re mala, dummodo tamen delectatio non referatur ad malum finem, nec adsit periculum quod delectatio a modo in rem ipsam transeat, quod maxime in materia lubrica timendum esset [2].

In dubio autem utrum delectatio fuerit de re mala, an de modo artificioso quo res facta fuit, haec duo *in praxi* observanda sunt: 1° Si cognitio est *ex occasione honesta,* v. g. ex studio debito, ex honesto exercitio proprii officii, judicanda est bona; secus mala si *ex occasione mala,* uti ex aspectu liberiori, vel ex sermone aut lectione turpi. 2° Attendenda est *habitualis dispositio* poenitentis. Hinc si quis pravae delectationi consentire solet, si audit vel narrat turpia, confessarius facile suspicari debet quod ejus delectatio non sit tantum de modo artificioso, sed sit delectatio morosa.

224.—*Q.* Delectatio de cogitatione rei malae est ne bona an mala?

R. Si delectatio non est de ipsa re mala, sed tantum de illius cogitatione, puta si quis legit res turpes, et non delectetur de illis, sed solum de illarum lectione, tunc haec delectatio: 1° potest esse *bona,* ideoque licita, si adsit justa causa cogitandi, v. g. justa causa studendi, medendi, confessiones auscultandi etc.; 2° potest esse *venialiter mala,* si fiat ex curiositate; 3° potest esse etiam *graviter mala,* si adsit proximum pericu-

[1] S. Alph., L. V, 20.

[2] S. Alph., L. V, 24.

lum consensus rei graviter malae, ut facile evenire potest in rebus venereis [1] *.

225.—*Q.* Peccat ne graviter qui concupiscit objectum graviter malum, sed sub conditione si esset licitum?

R. **1.** Si objectum est malum quia a lege *positiva* prohibitum, non peccat, quia conditio malitiam peccati aufert; unde non peccaret qui diceret: *In die vigiliae ederem carnes si esset licitum.*

2. Si objectum est malum quia a lege *naturali* prohibitum, sed est tale quod vi conditionis mutari possit, tunc qui illud desiderat sub conditione si esset licitum, non peccat, saltem graviter, quia conditio malitiam objecti aufert; unde non peccat qui dicit: *Si non essem voto castitatis ligatus, uxorem ducerem.* Dixi quod in hisce casibus *non peccat saltem graviter,* quia hujusmodi desideria non excusantur a veniali, quia otiosa, et etiam a mortali si adesset proximum periculum consensus.

3. Si objectum a lege naturali prohibitum est tale quod vi conditionis mutari nequeat, tunc certe graviter peccat qui illud desiderat, quia conditio non aufert malitiam objecti. Hinc graviter peccaret qui diceret: *Si mihi liceret, adulterarem; vindictam sumerem; luxuriose viverem, etc.,* quia desiderare non esse prohibitum quod est intrinsece malum, est velle subvertere ordinem et legem naturae [2].

Aliquando tamen hae loquendi formulae solam propensionem voluntatis vel appetitus sensitivi significare possunt, quo in casu non videntur esse peccatum mortale, dummodo desiderium inefficax sit [3].

[1] S. Alph., L. V, 17; Hom. Ap. T. III, 49.

* Cl. Frassinetti loquens de delectatione in cogitando aut legendo res turpes, quando adsit necessitas cogitandi aut legendi, haec habet:

Nescio quomodo aliquis possit absque peccato delectari de necessitate cogitandi vel legendi turpia; evidens enim videtur hanc delectationem oriri non posse nisi a malo principio. Qui novit quam periculosae sint ex se ipsis hae cogitationes vel lectiones, non gaudere, sed potius dolere deberet de tali necessitate turpia cogitandi vel legendi. Praedicta delectatio oriri nequit nisi a quadam satisfactione saltem indirecta quam experitur illa passio, quae omnium subtilior est ad se insinuandam, et ad aliquod pabulum capiendum avidior. Potest ne ergo haec delectatio advertenter et deliberate admitti absque culpa? Si hanc quaestionem subtiliter perpendere velimus, forsan concedi potest possibile esse quod aliquando in tali delectatione non adsit culpa; sed attenta cognitione et experientia cordis humani ad oppositam conclusionem perveniamus necesse est.

Maxime autem timerem pro Confessario, qui laetanter legeret morales doctores de turpibus disserentes, et oblectaretur de cogitationibus earum rerum, praetextu necessitatis excipiendi fidelium confessiones. Funestissima passio eum prorsus deciperet; et in nimio periculo versaretur ejus castitas, licet bene distinguere niteretur inter complacentiam rerum turpium et complacentium legendi et cogitandi de iisdem propter necessitatem. Sacerdotes omnino abhorreant quidquid castitatem non redolet, si tamen caste velint sacrum exercere ministerium.

Haec doctrina (observat Editor genuensis) verissima est, et *in praxi* absolute tenenda. Attamen, si agatur de scrupulosis, et etiam de personis piis, caveat Confessarius ne confundat delectationem voluntariam ideoque culpabilem cum delectatione involuntaria, vel cum illa quam Th. cum S. Thoma (1ª 2ae q. 74, p. 8) immunem a culpa habent, quaeque re vera nihil aliud est nisi voluntas deliberata talia cogitandi vel legendi ob finem bonum et honestum.

[2] S. Alph., L. V, 23, 21; Hom. Ap. Tr. III, 50.

[3] Desiderium inefficax hic accipere debemus non solum quod caret voluntate

226.—*Q.* Peccat ne graviter qui vult evitare tantum peccata mortalia, non vero venialia?

R. Speculative loquendo probabilius nego, quia haec animi dispositio nondum inducit proximum periculum graviter peccandi.— Sed *in praxi* nimis difficile est quod iste evitet omnia peccata mortalia.

227.—*Q.* Quid censendum in dubio an quis pravae cogitationi consenserit?

R. Tres regulae a Th. afferuntur:

Reg. 1ª. Si dubitans est vir pius et timoratus, judicandus est non consensisse. Hinc poenitens qui non adverterit hujusmodi cogitationes esse peccata, vel statim ac cognovit esse turpes, eas illico detestavit, judicandus est a peccato prorsus immunis. Quod si confusam quidem habuit cognitionem de earum malitia, sed non perfecte ad eam adverterit, peccavit solum venialiter.—E contra qui in peccata labi solet, in dubio praesumendus est consensisse.

Reg. 2ª. Si dubitat an compos sui fuerit, dormiens an vigilans, praesumendus est non habuisse sufficientem advertentiam.

Reg. 3ª. Si potuerit facere malum et non fecit, judicandus est non consensisse.

Ceterum *in praxi* pro quiete conscientiae expedit talia dubia confiteri, nisi de scrupuloso agatur.

Art. IV.

De peccato omissionis.

228. — *Q.* Quid est peccatum omissionis?

R. Peccatum omissionis est transgressio praecepti positivi, unde omissio in se spectata est pura actus negatio. Ut autem haec omissio sit culpabilis requiritur actus positivus voluntatis, qui sit causa vel occasio omissionis. Hujusmodi autem actus si dat causam omissioni, participat malitiae omissionis; secus si est solum concomitans.

229. — *Q.* Quonam tempore peccatum omissionis fit?

R. Si praeceptum hic et nunc occurrit, et quis sciens et volens omittit illud adimplere, tunc statim est peccatum.

Sed quaestio est de casu quo quis, dum urget praeceptum, non potest ipsum adimplere; ex. gr., mane quis praevidens obligationem audiendi missam se inebriat, tunc quaeritur utrum peccet qua hora se inebriat, an hora qua missam non audit; et respondent Th. peccatum fieri utroque tempore; *inchoative* seu *affective* quando advertenter ponitur causa omissionis; *consummative* seu *effective* quando urget praeceptum, modo tamen omissio maneat voluntaria in causa non retractata. Insuper advertendum, ait S. Alphonsus (Hom. Ap., Tr. III, 45), omissiones quae proveniunt a causa prius posita, non imputari ad peccatum tunc, cum omittitur praeceptum, sed cum ponitur causa. Unde licet postea e. g., quis missam audiat, tamen affective jam est reus omissionis, et tenetur illam confiteri [1].

Art. V.

De peccatorum differentia in genere, specie et numero.

230. — *Q.* Quomodo peccata differunt inter se?

R. Peccata differunt inter se *genere, specie* et *numero.*

faciendi, sed quod omni affectione animi, et commotione appetitus caret. *D'Annibale*, I, 125, (18).

[1] S. Alph. L. V. de peccatis, 10.

§ 1°

De differentia generica.

231.—*Q.* In quonam consistit differentia generica peccatorum ?

R. Differentia generica peccatorum in hoc consistit quod alia sunt mortalia, et alia venialia.

Dari autem peccata alia aliis graviora, proinde alia mortalia, et alia venialia, constat evidenter : — 1° Ex Sacra Scriptura. Et sane Christus Pilato de Juda proditore dixit : *Qui me tradidit tibi majus peccatum habet* [1]. Ergo evidens est quod peccatum est aliud alio majus. Et S. Joannes distinguit peccata *ad mortem* et *non ad mortem* [2]. Ergo alia peccata sunt mortalia et alia non. — 2° Ex Trid. [3] quod docet, confitenda esse omnia mortalia, quae memoriae occurrunt, non item venialia ; ergo.

232. — *Q.* Undenam repetendum est tale discrimen ?

R. Non conveniunt Th.; sed S. Alphonsus dicit discrimen ex hoc repetendum esse, quod peccatum mortale includit saltem virtualiter contemptum Dei, in eo consistentem quod homo praeferat amorem creaturae amori Creatoris, proindeque amicitiam dissolvat a Deo ultimo fine; veniale vero hoc ipso quod amicitiam et conjunctionem a Deo ultimo fine non dissolvit, virtualem hunc contemptum Dei ultimi finis non includit. Hinc mortale caritatem Dei excludit, non vero veniale ; mortale evertit ordinem legis, nempe importat aversionem ab ultimo fine; veniale vero turbat tantum ordinem legis, unde ab ultimo fine non avertit [4].

233. — *Q.* Quaenam regulae ad secernendum mortale a veniali ratione materiae ?

R. Conveniunt Th. quod dantur peccata quae sunt evidenter gravia per se ; alia quae sunt evidenter levia; et alia quae difficile discerni possunt an gravia sint vel levia. Itaque ad secernendum mortale a veniali ratione materiae Th. has regulas afferunt.

1ª *Regula* est S. Scriptura, quae si adhibet voces graves, uti *vae,* vel dicit illa peccata *execranda,* vel *digna morte,* pro mortali certo est judicandum.

2ª *Regula* est doctrina Ecclesiae, uti definitiones Summorum Pontificum, vel decreta Conciliorum generalium in quibus de pluribus declaratur mortalia an tantum venialia sint.

3ª *Regula* est unanimis sententia Ss. Patrum et Doctorum Ecclesiae, nec non Theologorum pietate et doctrina insignium.

Seclusis his casibus, cum *in praxi* valde difficile sit determinare quando peccatum sit mortale, an tantum veniale, illud determinare ut mortale *periculosissimum* est. Ita S. Thomas, et S. Antoninus [5] —

[1] *Joan.*, c. XIX, 11.
[2] I *Joan.*, c. V. 16.
[3] Sess. XIV, cap. 5.
[4] S. Alph. Hom. Ap. Tr. III, 23.
[5] Videtur quod plures scriptores rei moralis et asceticae etiam postremis hisce temporibus hanc sententiam D. Thomae et D. Antonini penitus ignoraverint, nam omnem malam actionem quae quamdam probabilitatem gravis malitiae praeseferat facillime de mortali damnant. Confessarius igitur prudenter caveat ne aliquam malam actionem vel cogitationem statim de mortali damnet, quia aliqui vel etiam plures auctores illam ut mortalem habent, semper ac adsit contraria probabilitas, vel adsint alii auctores qui de illius gravitate dubitent; tunc ipse judicium de gravitate Deo remittat. In casu autem quod poe-

Confessarius igitur non sit pronus ad judicandum aliquod peccatum esse mortale sive objective, sive subjective, nisi de eo certe constet. Multum autem a vero aberraret si putaret nullum esse tutiorem modum salvandi animas, quam eas ducere per vias rigidiores; quia multi poenitentes in virtute debiles et infirmi, audita rigidiore doctrina, crederent adesse grave peccatum, ubi nullum est vel tantum leve, et tamen rei difficultate victi, ex conscientia erronea mortaliter peccarent. Quare in vero dubio de rei gravitate vel levitate, aut pro benigniore sententia standum est, aut abstinendum a decisione, rem divino judicio relinquendo.

Ceterum Confessarius curet ut poenitentes removeat non solum a peccatis mortalibus, sed etiam, quantum fieri potest, a venialibus, et maxime ab illis quae plena advertentia committuntur; secus non satisfacit muneri suo; qui enim nihil prorsus satagit vitare venialia, facile labitur in mortalia.

234. — *Q.* Quotuplex distinguitur peccatum mortale?

R. Peccatum mortale duplex est: aliud quod tale est ex accidenti, et aliud quod tale est ex genere suo.

Mortale *ex accidenti* est quando actus per se, seu ex proprio objecto tantum venialis, per accidens gravis fit ratione pravi finis, vel conscientiae erroneae, vel scandali etc.

Mortale *ex genere suo* est quando actus per se, seu ex proprio obiecto, seclusa materia alterius speciei, est aut esse potest mortale.

Mortale vero ex genere suo subdividitur in mortale ex genere suo toto, et mortale ex genere suo non toto. — Mortale *ex genere suo toto* est quando ejus materia, vel quaelibet pars gravem continet deordinationem, unde in eo non datur parvitas materiae, uti in haeresi, blasphemia, luxuria. — Mortale *ex*

nitens eum interroget an actio vel cogitatio sit peccatum mortale, non judicet de mortali, sed tantum dicat illam actionem vel cogitationem esse peccatum; grave an leve, judicium Deo relinquit. Hoc modo respondendo, si poenitens in illam culpam relabitur, probabiliter solum veniale committit, ut tenet S. Alph. De Consc. 23.

Imo notandum est, juxta doctrinam ejusdem Doctoris, quod in dubio utrum peccatum sit grave an leve, Confessarius respondere potest ipsum esse leve; sic enim S. Doctor expresse docet cum de maledictione mortuorum loquitur. Dixi..... quod ut affirmari possit culpa gravi actionem aliquam carere, sufficiens est quod probabile sit non esse gravem.

Haec tamen doctrina *in praxi* non est tenenda cum agitur de re ad sextum praeceptum spectante, etsi Th. non conveniant utrum actio vel cogitatio de tali re gravis an levis sit. Talis enim exceptio *in praxi* facienda est ob peculiarem hominis propensionem in hoc peccatum, quae propensio, si obsecundetur, a modico sensim sine sensu ad magnum pertraheret. Et experientia probat quod homo qui consensum praeberet actioni vel cogitationi, cujus malitia est dubie gravis, ob vim hujus flagrantissimae passionis, facillime in peccata certe mortalia prolaberetur. Solus timor committendi peccatum mortale plures homines ab hac ardenti passione detinet; timor autem committendi tantum peccatum veniale non detineret nisi illas personas pias, et perfectionis cupidas, quae in populo christiano paucae sunt. Quid ergo prodesset quod illa actio vel cogitatio non sit nisi venialis, si interim ad actionem vel cogitationem certe gravem pertraheret? Quare Confessarius, etsi asserere non debeat, etiam in hac lubrica materia, esse mortale, quod tale esse certe non constat, debet tamen pro viribus poenitenti suadere ut a tali actione vel cogitatione se abstineat, non solum ne venialiter peccet, sed multo magis ne se in periculum graviter peccandi committat. — Cf. *Frassinetti*, Tr III, n. 21,

genere suo non toto est quando ejus materia in sua specie considerata, potest esse gravis, et potest etiam esse levis, unde admittit parvitatem materiae, uti in furto.

235. — *Q.* Quaenam requiruntur ad constituendum peccatum mortale?

R. Ad peccatum mortale tria requiruntur: 1° gravitas materiae; 2° plena advertentia ex parte intellectus [1]; 3° perfectus consensus ex parte voluntatis. Si una desit ex hisce conditionibus, peccatum non erit nisi veniale [2].

236. — *Q.* Quomodo peccatum ex genere suo mortale evadere potest veniale, et vicissim?

R. Peccatum ex genere suo mortale evadere potest veniale: 1° ex parvitate materiae; 2° ex imperfectione actus; 3° ex conscientia invincibiliter erronea.

Veniale vero evadere potest mortale sex modis: 1° ratione conscientiae erroneae; 2° ratione finis vel affectus mortaliter mali; 3° ratione contemptus expliciti et formalis, nempe cum quis praeceptum violat, quia praeceptum est, vel quia praecipienti subjici non vult; 4° ratione gravis scandali vel gravis damni; 5° ratione periculi graviter peccandi; 6° ratione unionis materiae quando coalescit in unum sufficiens ad mortale, uti in furto [3].

Haec doctrina S. Alph., quae tenet in casibus super allatis peccatum ex se veniale fieri mortale, verissima est. Attamen Confessarius *in praxi* non debet semper inquirere an peccata venialia sui poenitentis ob allatas rationes facta sint mortalia; sed tunc tantum quando ex una parte ex circumstantiis prudenter judicat poenitentem ob aliquam ex praedictis causis graviter peccasse, et ex altera poenitens de tali gravitate silet. Confessarius enim non debet poenitentem interrogare de peccatis quae committere *potuit*, sed solum de peccatis quae *probabiliter* commisit.

237. — *Q.* Undenam repetenda est major vel minor peccatorum gravitas?

R. Repetenda est: 1° *ex objecto*, seu ex praestantia virtutum, quibus peccata opponuntur; sic v. g. blasphemia ex genere suo est gravius peccatum quam furtum, quia religio erga Deum praestantior est justitia erga proximum [4]; 2° *ex*

[1] Advertentia, inquam, ad actionis gravitatem. Quare, etsi intellectus aliquid cogitet, et animadvertat delectationem in se excitari, v. g. de inimico interempto, si non animadvertat, nec suspicetur delectationem hujusmodi malam esse, *vacabit culpa quantumvis tempore duret.* — *D'Annibale*, I, 290 (11).

[2] S, Alph. Hom. Ap. T. III, 67.

[3] S. Alph., Lib. V, 59; Hom. Apost. Tr. III, 68.

[4] « Quum bonum virtutis consistat *in ordinatione amoris*, ut August. dicit: Deum autem super omnia diligere debeamus, peccata quae sunt *in Deum*, sicut idolatria, blasphemia, et hujusmodi, secundum suum genus sunt reputanda *gravissima*. Inter peccata vero *in proximum*, tanto aliqua sunt aliis graviora, quanto majori bono proximi opponuntur. Maximum autem bonum proximi est ipsa vita, cui opponitur peccatum *homicidii*, quod tollit actualem hominis vitam; et peccatum *luxuriae*, quod opponitur vitae hominis in potentia, quia est inordinatio quaedam circa actum generationis humanae. Unde inter omnia peccata quae sunt in proximum, *gravius* est *homicidium* secundum genus suum, et secundum *adulterium et fornicatio*, et hujusmodi peccata carnalia, tertium autem locum tenet *furtum* et *rapina*, et hujusmodi per quae in exterioribus bonis laeditur proximus. In singulis autem horum generum sunt diversi gradus, in quibus mensuram peccati secundum genus suum oportet accipere secundum quod bonum oppositum

circumstantiis, v. g. ex dignitate personae peccantis, ex diuturnitate vel intensitate actus mali, ex majore vel minore advertentia ad malitiam actus etc.; 3° per accidens tamen *ratione circumstantiarum* peccatum ex objecto levius, excedere potest gravitatem superioris speciei; - ratio, quia licet regulariter gravius peccatum sit illud quod perfectiori virtuti opponitur, attamen cum gravitas peccati superioris speciei sit finita, ideo, etsi physice non possit excedi a malitia peccati speciei inferioris, potest tamen moraliter. Hinc sodomia et bestialitas sunt graviora peccata quam perjurium. Et ideo regula praedicta metiendi gravitatem peccati ex oppositione ad superiorem virtutem currit tantum quando peccata sunt maxima contra unamquamque virtutem, non autem quando comparatio fit maximi peccati ad minimum [1].

§ 2°

De differentia specifica.

238. — *Q.* Quid est species peccati, et in quonam consistit differentia specifica peccatorum ?

R. Species (forma) peccati est propria cujusque pravae actionis turpitudo seu malitia. Hinc differentia specifica peccatorum in hoc consistit quod peccata specialem et inter se diversam habent malitiam, et proinde diversam induunt naturam [2].

239. — *Q.* Ex quotuplici radice desumitur haec specifica differentia ?

R. Specifica differentia peccatorum desumitur ex triplice radice :

1. *Ex oppositione ad diversas virtutes.* Sicut enim quaelibet virtus suam habet specialem et distinctam bonitatem, seu conformitatem cum lege; ita quodlibet peccatum, prout speciali virtuti opponitur, specialem et distinctam malitiam contrahit. Hinc specie differunt inter se, v. g. blasphemia et furtum; blasphemia enim opponitur virtuti religionis, furtum vero virtuti justitiae.

2. *Ex oppositione eidem virtuti sed modo contrario, vel modo diverso.* Modo *contrario* quando eadem virtus violatur vel per excessum vel per defectum. Sic virtus spei violatur vel per praesumptionem, vel modo contrario seu opposito per desperationem. Modo *diverso* vero quando violantur diversa officia ejusdem virtutis. Sic eadem virtus justitiae prohibet quemquam laedi in bonis vitae, famae, vel fortunae; hinc homicidium, calumnia, et furtum sunt peccata diversae speciei ex oppositione eidem quidem virtuti, sed modo diverso.

3. *Ex violatione praeceptorum formaliter seu specifice diversorum.* Dicuntur au em praecepta *formaliter* seu *specifice* diversa, quando diversum habent objectum, vel di-

magis vel minus per caritatem debet amari » (S. Th. de malo, q. 2, a. 10).

[1] S. Alph., L. V, 34.

[2] Quum ex Trid. Sess XIV, cap 5, fideles teneantur in confessione aperire tum speciem, tum circumstantias speciem mutantes, tum numerum peccatorum mortalium, jam quisque intelligit quantum haec cognitio omnino necessaria sit confessariis qui officium suum, ut par est, implere nequeunt, nisi accuratam habeant horum omnium notitiam. Saepe enim contingit ut fideles in exprimenda specie vel numero peccatorum suorum deficiant, unde munus erit confessarii fidelium defectum supplere, eos interrogando, ut prudens de poenitentium statu efformare sibi possit judicium.

versum habent motivum [1]. Sic qui violat Ecclesiae praeceptum audiendi missam, et annuae confessionis, duplex peccatum committit specie diversum, quia missa et confessio sunt objecta diversa. Item qui sacerdotem occidit, duplex peccatum committit specie diversum, quia duplex violat praeceptum, divinum et ecclesiasticum, habens motivum formaliter diversum; praeceptum enim divinum homicidium vetat ex motivo justitiae, praeceptum ecclesiasticum ex motivo religionis [2].

§ 3°

De differentia numerica

240. — *Q.* In quonam consistit numerica differentia peccatorum ?

R. Differentia numerica peccatorum in hoc consistit quod peccata, quando ejusdem sunt speciei, ita multiplicantur ut numerari possint; v. g. duo, tria, etc. — Porro hic numerus peccatorum sine ulla difficultate agnoscitur quando occurrit unus actus cum uno objecto, vel plures actus quorum singuli objectum omnino distinctum habent. Quando vero unus actus plura objecta attingit, vel plures actus physice distincti aliquatenus uniuntur, et unum moraliter efficiunt, ut v. g. per unum finem ad quem tendunt, difficilius determinatur.

241. — *Q.* Ex quotuplici radice desumitur differentia numerica peccatorum ?

R. Quaestio haec difficilis est, et inter Th. diversa adest sententia; sed juxta sententiam quae S. Alph. [3] videtur communior et gravior, differentia numerica peccatorum desumitur ex duplici radice :

1. *Ex diversitate objectorum totalium, et moraliter diversorum*; quia malitia peccati sumitur ex relatione ad objectum prout discrepat a lege; ergo ubi sunt plura objecta totalia, numero *formaliter* distincta, actus ad eadem tendens contrahit etiam plures malitias, et consequenter plura sunt peccata. Porro objectum *totale* illud dicitur, quod ab aliis objectis omnino distinguitur, et in se completur, ita ut non sit pars alterius, nec ad aliud ex natura sua referatur. Sic v. g. qui uno actu pluribus mortem affert, in illo actu plura peccata numero distincta committit, quia objecta sunt in se totalia et moraliter distincta [4] Attamen, cum alii unum obiectum *formale* agnoscunt, quando unico actu voluntatis multa obiecta physice distincta attinguntur, Cl. Lehmkuhl diversas sententias ita conciliat: « Si objecta illa plura sua conceptu *confuso*

[1] Aliquando plures leges eamdem rem praecipiunt vel prohibent sub eodem iniuitu virtutis, et tunc transgressio legis est unum peccatum; sic lex naturalis, divina, ecclesiastica et civilis prohibent perjurium.—Aliquando aliqua lex positiva aliquid jam a lege naturali vel divina prohibitum prohibet, sed intuitu *alius virtutis*, et tunc transgressio duplex est peccatum; sic qui sacerdotem percutit peccat contra justitiam ex lege naturali, et contra religionem ex jure canonico. — Aliquando aliqua lex positiva aliquid ex se non malum praecipit vel prohibet intuitu *alicujus specialis virtutis*, et tunc transgressio est peccatum contra illam virtutem a legislatore intentam; sic qui violat jejunium in sumenda Eucharistia reus est sacrilegii.

[2] S. Alph., L. V. 31-33.

[3] L. V. 45 *D'Annibale*, I, 286.

[4] L. V, 45.

multitudinis concipi poterant et concipiebantur, numerum distinctum, etsi scitur, declarari opus non est, sed sufficit accusari objectorum *multitudinem* seu pluralitatem; si vero objecta illa plura *distincte* concepta sunt, atque voluntas vel actio mala in singula ut distincta dirigebatur, distinctus *numerus* in confessione accusari debet [1]. E contra qui uno actu negaret plures fidei articulos unum committeret peccatum contra fidem, quia licet diversi fidei articuli sint *materialiter* distincti, tamen cum *moraliter* afficiant unum objectum fidei, nempe veracitatem Dei revelantis, unum peccatum constituunt. Idem dic de eo qui plura simul uni furatur, ut puta vestes, mobilia, nummos; vel plura mala uni desiderat, ut paupertatem, infamiam, mortem sub *uno genere mali*, quia tunc unam injuriam facit justitiae vel caritati [2].

2. *Ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum*, qua in re fere omnes Th. conveniunt. Ad hanc vero radicem clarius et facilius intelligendam distinguendi sunt actus interni ab externis.

Quoad actus *internos*, si isti actus interne perficiuntur, uti odia, delectationes morosae, desideria turpia, etc., tot sunt peccata quot actus; quia quilibet actus est in se completus, et ab alio omnino distinctus. — Hinc poenitens debet explicare, si potest, quot vicibus in voluntate consensit; si vero non potest, quia pravus animus fuit diuturnus, tunc sufficit fateri tempus in quo cum tali animo perseveraverit, explicando saltem in genere utrum illae interruptiones (praeter ordinarias somni, etc.,) fuerint notabiliter rarae an frequentes [3].

Si autem isti actus *interni* exterius consummandi sunt, uti actus desiderii efficaciter ad externam actionem tendentis (qui tamen ad ipsam operis executionem non perveniunt), tunc moraliter interrumpuntur: 1° *per retractationem voluntatis*; sic qui furandi voluntatem retrahit, licet brevissimo tempore, et postea eam resumit, novum peccatum committit; 2° *per voluntariam cessationem ab actu*; sic qui videt mulierem ad concupiscendam, et postea ad alia mentem voluntarie applicat, si iterum eam videt ad concupiscendam aliud peccatum committit. Idem dic de lectione pravi libri etc.; 3° *per cessationem naturalem ab actu*, idest per moram sat notabilem, cum nempe etiam inconsiderate, sed ipsa agente natura ab actu fuerit cessatum, et intercesserit ea mora, quae ex communi hominum sensu actum ab actu distinguit. — Quousque autem se extendat haec mora, auctores non conveniunt; S. Alph. non admittit ultra duos vel tres dies.

Notandum tamen quod si prior prava voluntas moraliter perseverat in aliquo effectu qui conducat ad consummandum peccatum externum, per qualecumque tempus duret prava voluntas, unum tantum peccatum constitueret; ut esset qui ex sua civitate in aliam pergeret animo occidendi inimicum licet per plures dies illum quaereret; quia omnes hi actus non habent rationam peccati, nisi secundum quod per unam voluntatem in perversum finem ordinantur.

Quoad actus *externos* vero, si

[1] Lehmkuhl, I, 243. Conf. etiam d'Annibale, I, 286.

[2] S. Alph., L. V, 45; *D'Annib.*, I, 286 (7)

[3] S. Alph., L. V, 37.

actus externi, physice distincti, sunt in suo esse completi, nempe non sunt coordinati ad alium actum, tunc tot sunt peccata, quot actus.—Hinc si quis percutit inimicum absque animo eum occidendi, vel si quis puellam turpiter tangit sine animo coëundi, omnes percussiones in primo casu, et omnes tactus in secundo, sunt tot peccata distincta; quia quilibet actus, quum sit in se completus et ab alio distinctus, habet suam specialem malitiam. *In praxi* tamen isti actus semper uniuntur in unum tantum peccatum, si procedunt ab ipso unico irae vel concupiscentiae motu.

Si autem isti actus *externi* physice distincti non sunt in suo esse completi, sed tendunt uti partes in unum actum principalem, tunc unum peccatum cum actu principali constituunt. Sic v. g. qui uno concupiscentiae motu puellam turpiter osculatur, tangit, amplexatur, et postea copulam habet, unum peccatum committit. Item dic de fure qui iter facit, parietem fodit, scalam ascendit, etc.

Adnotandum tamen *pro praxi* quod ad distinguendam differentiam specificam et numericam peccatorum plus est tribundum judicio naturali, et sensui communi prudentum, quam scrupulosae speculationi scholasticorum, quod maxime est notandum in materia lubrica, in qua examen scrupulosum damnosum evaderet [1].

Quoad obligationem vero confitendi differentiam specificam et numericam peccatorum, dicetur in Tract. de Poenitentia. Cap. III. De Confessione sacramentali.

242.—*Q.* In confessione sunt ne explicanda, uti peccata distincta, media adhibita ad peccandum, si postea peccatum non fuerit consummatum?

R. Disting. Si media adhibita sunt *in se mala*, explicari debent et quidem omnia si sunt speciei diversae, uti actus et sermones impudici ad sollicitandum adhibiti.

Si vero illa media *non sunt in se mala*, tunc, licet aliqui negent, tamen juxta S. Alph. etiam explicanda sunt, quia tunc peccatum non manet tantum internum, sed redditur externum per illa media adhibita; et licet illa media per se indifferentia sint, tamen ex malo fine mala evadunt. Non est tamen necessarium explicare illa media singillatim, sed sufficit dicere peccatum actibus externis attentatum fuisse [2].

CAPUT II.

De peccatis in ispecie, seu de vitiis capitalibus.

243.—*Q.* Quid est *superbia*, et quale peccatum est?

R. Superbia est *appetitus inordinatus propriae excellentiae.*—Alia est *perfecta*, et habetur: 1° quando quis per eam recusat Deo, vel mandatis superioris propriam dependentiam; 2° quando quis putat bona quae habet vel a seipso habere, vel a Deo propriis meritis debita fuisse; 3° quando finis ultimus ponitur in propria excellentia.—Alia *imperfecta* est est quando quis plus aequo se extollit, vel nimis sibi complacet de propria excellentia.

Perfecta per se est peccatum mortale. Imperfecta per se tantum veniale; potest tamen fieri morta-

[1] S. Alph., Hom Ap. T. III. 60, 64, 65.

[2] S. Alph., L. V, 42.

le, ratione gravis injuriae, vel gravis contemptus erga proximum, vel ratione gravis praesumptionis, quae in proximum peccandi periculum impellat, ut si quis propriis viribus nimis confisus ad proximas occasiones se exponeret, aut media necessaria ad peccatum vitandum negligeret [1].

Filiae superbiae sunt: 1ª *praesuptio*, idest velle aliquid aggredi ultra proprias vires; 2ª *ambitio*, idest inordinatus appetitus honoris vel dignitatis; 3ª *vana gloria*, idest inordinatus appetitus aestimationis hominum.

Per se sunt peccatum veniale, sed possunt fieri mortale: 1° ratione *damni*, v. g. si removendo digniorem ab aliqua dignitate eveniat proximo vel communitati grave detrimentum; 2° ratione *materiae*, v. g. si quis ambitiosus aliquod officium ambit quo indignus est; 3° ratione *modi*, v. g. si quis utatur mediis graviter illicitis ad aliquod munus obtinendum.

Hisce tribus superbiae filiabus opponitur *pusillanimitas*, qua quis ex nimia diffidentia officium refugit sibi oblatum; ex se venialis est, et fit mortalis quando refugit officium ad quod tenetur sub mortali [2].

244.—*Q.* Quid est *avaritia*, et quale peccatum est?

R. Avaritia est *inordinatus appetitus bonorum temporalium.* Per se est peccatum veniale, sed fit mortale, si homo in divitiis ponit ultimum finem, vel si avaritiae causa deficit in re gravi virtuti justitiae, vel caritatis.

Avaritiae opponitur *prodigalitas;* haec per se est venialis, sed fit mortalis si ex ea eveniet sibi vel aliis grave damnum vel grave malum [3].

Filiae avaritiae sunt: *obduratio cordis* erga miseros; *inordinata sollicitudo* circa res terrenas; *perfidia; dolus;* etc. [4].

245. — *Q.* Quid est *luxuria*, et quale peccatum est?

R. Luxuria est *inordinatus appetitus rei venereae.* Haec est moralis ex toto genere suo [5].

Filiae luxuriae sunt: ex parte intellectus *coecitas mentis*, inconsideratio, praecipitatio; ex parte voluntatis *obduratio cordis*, odium Dei, languor et etiam amissio fidei, affectus praesenti saeculo, horror futuri; etc.—De hac materia fusius agemus cum de VI Decalogi praecepto.

246. — *Q.* Quid est *ira*, et quale peccatum est?

R. Ira est *excandescentia animi, et inordinatus appetitus vindictae.* Dicitur inordinatus, nam cum debita moderatione et ordine appetere vel sumere mali vindictam non est vitium, sed est amor boni et zelus. Sic, recte pater irascitur culpis filii, easque punit.

Duplici modo committitur: 1° ex parte *objecti*, ut si quis desiderat punire innocentem, vel reum quidem, sed ultra justum, vel contra debitum ordinem, vel ob malum finem; 2° ex parte *modi*, ut si quis plus aequo excandescit.

Ira inordinata ratione *objecti* ex genere suo est mortalis, quia directe est contra caritatem et justitiam; sed potest fieri venialis ex imperfectione actus.—Ira in-

[1] S. Alph., L. V, 65.
[2] S. Alph., L. V, 67.
[3] S. Alph., L. V, 68.
[4] S. Alph., L. V, 69.
[5] S. Alph., V. de VI decalogi praecepto.

ordinata ratione *modi* ex genere suo est venialis, sed per accidens potest fieri mortalis, v. g. ratione blasphemiae vel scandali [1].

Filiae irae ex parte *cordis* sunt *indignatio*, *rancor* animi; ex parte *oris* sunt *clamor*, *convicia blasphemiae;* ex parte *operis*, *seditiones*, *rixae :* quae sunt per se peccatum mortale si continent grave odium, vel grave damnum, vel grave scandalum.

247.—*Q.* Quid est *invidia*, et quale peccatum est ?

R. Invidia est *tristitia de bono alterius*, *quatenus est diminutio proprii boni*, *vel propriae excellentiae.*

Quatuor modis quis tristari potest de bono proximi : 1° Quia bonum alterius est nobis vel alteri damnosum, et haec est licita si timeatur malum aut damnum injustum. — 2° Quia ipse caret de tali bono, et haec non est vera invidia, sed potius aemulatio, quae aemulatio seu desiderium est res bona, si est de re spirituali. — 3° Quia alter est indignus tali bono, et haec non est mala si concipiatur ex justa causa, nec criminetur providentia Dei. — 4,° Quando quis tristatur de bono alterius, prout est diminutio propriae excellentiae, et haec est vera invidia [2].

Invidia proprie dicta est ex genere suo mortalis, quia directe est contra caritatem, et si versatur circa gratiam et auxilia Dei, tunc peccatum dicitur contra Spiritum Sanctum [3].

Filiae invidiae sunt *: odium* proximi, *detractio*, *calunnia*, *contumelia*, *sussurratio.*

248. — *Q.* Quid est *gula*, et quot modis hoc peccatum committi potest ?

R. Gula est *inordinatus appetitus cibi vel potus.* Si excessus est in cibo, dicitur *crapula ;* si in potu, *ebrietas.*

Quinque modis hoc peccatum committitur : 1° si edas ante tempus ; 2° si nimis exquisita ; 3° si plus aequo; 4° si voraciter; 5° si nimis exquisite preparata. Hinc versus : *Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.*—Non est autem gula, neque peccatum, moderatam delectationem appetere ex cibo vel potu, quando juxta rationis regulam corporis refectio sumitur; quia ipse naturae Auctor delectationem alimentis adnexuit tanquam medium ad facilius ea sumenda ac retinenda in vitae conservationem. Peccatum igitur gulae committitur tunc solum, cum quis potu vel cibo utitur ea quantitate, qualitate, etc., quam praevidet obfuturam esse corporis sanitati, vel idoneae mentis dispositioni ad suas functiones; item si quis edit vel bibit *propter solam* voluptatem, seu positive excludendo finem proprium refectionis.

Gula ex genere suo est tantum venialis ; fit autem mortalis *:* 1° ratione *finis*, si in tali delectatione ultimus finis ponatur ; 2° ratione *gravis violationis legis ecclesiasticae* de abstinentia ; 3° ratione *gravis excessus;* si quis grave damnum sanitati proxime oriturum sibi causat; 4° ratione *gravis scandali;* 5° ratione *gravis impotentiae* ad propria officia [4] ad quae sub gravi quis tenetur, v. g. ad solvenda debita, ad familiam sustentandam.

Filiae gulae sunt : *hebetudo* men-

[1] S. Alph., L. V, 79 et 80.
[2] S. Alph., L. V, 72.
[3] S. Alph. L. V, 72.
[4] S. Alph. L. V, 73, 74.

tis; *scurrilitas*; *multiloquium*; *immunditia* in verbis et factis [1].

249. — *Q.* Quid est *acedia*, et quale peccatum est?

R. Acedia alia est late, alia stricte sumpta. Prima est *animi tristitia in exercitio virtutum ob incommodum illi adnexum*. Est proprie pigritia—Secunda est *animi tristitia et taedium in comparanda divina amicitia per observantiam mandatorum*.

Prima est per se venialis; et eatenus est peccatum, quatenus quis negligit et transgreditur praecepta Dei; ideoque suam gravitatem et speciem desumit a praecepto quod quis negligit vel transgreditur [2]. Secunda est per se mortalis, utpote directe opposita amori erga Deum. Attamen saepe venialis erit, quia motus acediae in sola sensualitate sistit, neque ad plenum rationis consensum pertingit, ita ut caro omnino contra spiritum praevaleat.

Filiae cordiae sunt: *torpor* animi in exercitiis spiritualibus; *pusillanimitas* in aggrediendo quae spectant ad cultum Dei; *evagatio* mentis in oratione, etc. [3].

APPENDIX

DE EBRIETATE

250.—*Q.* Quid est ebrietas?

R. Ebrietas, prout vitium constituit, est *voluntarius excessus in potu*. Alia dicitur *perfecta* si privat usu rationis; secus *imperfecta* appellatur.

Ebrietas perfecta dignoscitur ex his signis: 1° si quis nesciat distinguere inter bonum et malum; 2° si non meminerit dictorum, factorum, quomodo, vel quando domum deductus; 2° si commiserit ea quae nunquam alias sana mente solet, v. g. si praeter morem turpia sit locutus, turbarit domum, uxorem verberarit, etc. — E contra si quis post potum discernere adhuc possit inter bonum et malum, licet nonnihil phantasia turbata sit, aut sequatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia, vel domus circumire videantur, nondum plena est ebrietas; ideoque tantum peccatum veniale, quamvis ex gravioribus, si deliberate sit commissum.

251. — *Q.* In quonam consistit malitia ebrietatis perfectae?

R. Malitia ebrietatis perfectae in hoc consistit quod quis sciens et volens privat se usu rationis modo innaturali sine justa causa pro notabili tempore.

Igitur ad malitiam ebrietatis perfectae haec requiruntur. 1° Ut quis privet se usu rationis et potestate proxima ad usum rationis, quod non facit somnus, nam homo a somno excitatus potest statim uti ratione; e contra ebrius, licet a somno excitatus, non potest uti ratione. 2° Ut privet se non modo naturali instituto ab auctore naturae, ut in somno, ad virium conservationem; sed violenter et modo innaturali, rationem perturbando, et imaginem Dei deturpando in modum amentis et bruti. 3° Ut privet se sine justa et gravi causa, sed causa voluptatis, vel si forte aliquando desit voluptas in subjecto, tamen privat se modo illicito, et ex se ad voluptatem ordinato, v. g. ad alios recreandos, ad vincendum

[1] S. Alph., L. V, 74.
[2] S. Alph., L. V, 84.
[3] S. Alph. L. V, 84.

alios in potu, etc. 4° Ut privet se pro notabili tempore; quare non esset peccatum grave privatio usus rationis per breve tempus, v. g. per aliquot minuta; tempus autem longum sine dubio est *hora* [1]. Ceterum hoc ad ebrietatem potu inductam vix pertinet, quum haec ex natura sua diutius protrahatur [2].

252. — *Q.* Ebrietas quale peccatum est?

R. Ebrietas perfecta est peccatum ex genere suo mortale; imperfecta veniale; sed potest fieri mortale: 1° Ratione *gravis excessus;* hinc S. Alph. eum non excusat a mortali, qui tantam vini quantitatem sumit, ut sequi debeat ebrietas, quamvis antequam sensibus destituatur, somno se committat, quo vini effectum effugiat, quia jam actionem intrisece malam ponit:—2° Ratione *periculi*; hinc graviter peccat qui alios ad nimis bibendum invitat et provocat, cum probabili et praeaviso ebrietatis periculo; secus autem si liberalem potum tantum offerat, putans convivas minime inebriatos iri nec ultra convenientiae fines bibituros. Sic non peccat graviter qui inter bibendum non judicat illa potione, licet immoderata, se posse inebriari, nisi oppositum jam expertus sit;—3° Ratione *gravis scandali*, ut accidere potest si sacerdos excessui indulgeat; vel ratione *gravis damnis* mox orituri sanitati, familiae, etc.

In praxi confessarius observet quod a tali vitio, ordinarie loquendo, plura alia mala proveniunt: profanatio diei festi; grave damnum et dedecus familiae; scandalum filiis; dissidia; etc. [3].

253. — *Q.* Licet ne se inebriare si hoc necessarium esset ad se ab aliquo mortali morbo liberandum?

R. Se inebriare formaliter, nempe vinum sumere directe ad finem se inebriandi, nunquam licet, etsi fiat ad bonum finem, v. g. ad sensus sopiendos ne dolores in aliqua operatione quis sentiat, quia est res intrinsece mala. Non desunt tamen Auctores qui hoc licitum putant; quia tunc privatio usus rationis non induceretur ob voluptatem, sed tantum permitteretur *ex gravi causa* [4].

E contra licet vinum sumere ob justam causam ex praescripto medici quum desit aliud medium, ad recuperandam sanitatem, ad

[1] *Lehmkuhl.* I, 742.

[2] Dicendum quod culpa ebrietatis consistit in immoderato usu, et concupiscentia vini: hoc autem contingit esse *tripliciter; uno modo* sic, quod nesciat potum esse immoderatum, et inebriare potentem; et sic ebrietas potest esse sine peccato: *alio modo* sic, quod aliquis percipiat potum esse immoderatum non tamen aestimet potum inebriare potentem; et sic ebrietas potest esse cum peccato veniali; *tertio modo* potest esse, quod aliquis bene advertat potum esse immoderatum et inebriantem, et tamen magis vult ebrietatem incurrere, quam a potu abstinere; et talis proprie dicitur ebrius; quia moralia recipiunnt speciem non ab his quae per accidens eveniunt praeter intentionem, sed ab eo, quod est per se intentum. (S. Th. 2ª 2ae, q. CL. a. II).

[3] Quoad remedia ebrietatis, periti haec suggerunt: 1° Longe fieri a sociis qui ad tabernam invitant; invitant enim ad grande peccatum (fiat in honorem Jesu) 2° Longe fieri a taberna, nam occasio est funiculus triplex (idque sit in honorem B. M. V.); vel aquam, vel vinum cum aqua, vel saltem vinum moderate et semper in domo propria simul cum familia bibere, toties illud mercando (idque fiat in honorem Angeli Custodis). Haec qui per aliquod temporis spatium adimplet, a suo vitio certe se curat. *Scavini*, I, 982.

[4] Lehmkuhl, 1, 743.

corrigendos aut expellendos pravos humores, quamvis per accidens et indirecte eveniat inebriatio, (quae in casu esset non formalis, sed materialis tantum et ex justa causa); sicut licet matri medicinam sumere ut occurat gravi morbo, quamvis per accidens foetus expulsio eveniat [1].

254. — *Q.* Licet ne alicui se inebriare ad vitandam mortem, quam alter minatur, nisi se inebriet?

R. Disput. Th., sed probabilius non licet; in casu antecedenti licet quidem, quia periculum est intrinsecum, qualis est morbus qui exepelli desideratur; sed non licet quando periculum est extrinsecum ad quod depellendum potus ex natura sua non ordinatur; sicut non licet matri foetum expellere ne occidatur a parentibus, cum hoc sit intrinsece malum [2].—Hoc tamen intelligi debet cum quis impelleret *directe* ad ebrietatem, quia esset formaliter in odium virtutis. Si quis vero gravi metu cogeretur ad bibendum cum praevisione tantum ebrietatis, id licitum ipsi videtur; quia tunc non induceretur formaliter ad ebrietatem, sed ob aliam causam, puta quia alter judicat illum in ejus contemptum nolle bibere [3].

255.—*Q.* Licet ne alium inducere ad se inebriandum, ut a malo majore avertatur, v. g. homicidio, sacrilegio?

R. Alium inebriare, vel ad ebrietatem provocare cum intentione eum inebriandi, mortale erit.

An vero liceat alium inducere ad se inebriandum cum alia intentione, nimirum ut a malo majore avertatur, tunc disput. Th. Alia omnino negant; alii concedunt, si ebrietas est tantum materialis; alii vero affirmant sive ebrietas sit materialis, sive sit formalis; et hanc ultimam sententiam S. Alph. uti probabilem tenet, quia licitum est alterum inducere ad minus malum, licet alterius speciei, ut impediatur a majore ad quod committendum est determinatus [4].

256. — *Q.* Ebrio imputantur ne omnia mala quae in ebrietate committit?

R. 1. Si ebrietas est involuntaria, vel si voluntaria, illa tamen mala nullomodo fuerunt praevisa, et casu tantum eveniunt, tunc non imputantur, quia non sunt voluntaria nec in se, nec in causa.

2. Si vero ebrietas est voluntaria et ebrius illa mala praevidit saltem in confuso, uti sunt mala quae ebrii committere solent, vel quae quis ex aliis ebrietatibus antea se novit committere, et ad quae se novit propensum, tunc Th. communiter sic distinguunt: Si illa mala sunt *operis*, uti fornicatio, occisio, imputantur.

Si vero mala sunt *oris*, tunc tres adsunt sententiae. — *Prima sententia* negat ebriis imputari blasphemias, perjuria, etc., utcumque praevisa, quia verba sunt mere materialia, et verbis non respondet conceptus mentis. —

[1] Usus opii, aetheris, chloroformii et similium ad sensus aegrotantium sopiendos, ne dolores morbi, vel operationis chirurgicae sentiant, licitus est; quia ejusmodi res per se ordinatatae sunt ad inducendum soporem, non ebrietatem. —Cavendum tamen a periculis, quibus usus quorumdam soporiferorum non vacat. *Ninzatti*, 167.

[2] S. Alph. Hom. Ap. T. VII, 6.

[3] Cf. Lehmkuhl, I, 743, 3.

[4] S. Alph., L. V, 77.

Secunda sententia cum S. Alph. distinguit : Si illa verba prolata sunt *contra homines*. uti contumeliae, non imputantur, quia habentur uti verba materialia, et non habentur dedecori, dummodo non patefaciant infame delictum. Si vero illa verba sunt *contra Deum*, uti perjuria, blasphemiae, tunc imputantur, quia licet illa verba sint materialiter prolata, semper tamen sunt Deo injuriosa ; et si illa non sunt voluntaria in actu, sunt voluntaria in causa [1].—*Tertia sententia* vero sine ulla distinctione affirmat omnia mala *oris* ab ebriis prolata sive contra Deum sive contra homines ipsis imputari, et negat quod nullum mentis conceptum habeant, cum v. g. vinum jam petunt, dum irascuntur vinum negantibus, dum maledicunt, imprecantur, et minantur [2].

[1] S. Alph. Hom. Ap. VIII, 8.

[2] *Ballerini* ad Gury, I, 184 (a).

DE CENSURIS

Postquam in tractatu praecedenti de peccatis disseruimus, rerum nexus nos ducit ad tractatum de censuris, seu de quibusdam poenis quas Ecclesia decrevit, vel decernere potest contra quaedam graviora peccata, quae bono religiosae societatis magis nocere possunt.—Primum igitur de censuris in genere tractabimus, dein de censuris in specie.

Dissertatio de censuris duobus capitibus constat: 1. *de censura in genere, seu de censurae definitione et divisione; de censurae auctore; de censurae subjecto, et de culpa ad censuram requisita; de causis a censura excusantibus; et de absolutione a censuris;* 2. *de censuris in specie, seu de excommunicatione, de interdicto, et de suspensione.*

CAPUT I.

De censuris in genere.

ART. I.

De censurae definitione, et divisione.

257.—*Q.* Quid est censura?

R. Censura[1] *est poena qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus, vel spiritualibus adnexis privatur, donec a contumacia recedens absolvatur.* **Can 2241.**

Dicitur 1° *poena,* quia propter culpam infligitur, ideoque culpam in subiecto supponit: 2° *qua homo baptizatus,* quia qui baptizati non sunt non subduntur potestati Ecclesiae: 8° *delinquens et contumax,* quia censura fertur tantum ad coercendos eos, qui legem et poenam scientes, despectis tamen Ecclesiae mandatis, obedire recu-

[1] Censurae nomen a latinis repetendum est. Extabat apud Romanos munus *censorum*, quorum officium erat invigilare saluti et incolumitati publicae, unde rectis quoque moribus consulere debebant, ita quidem ut delinquentes possent deiicere ex superiori ordine ad inferiorem, ideoque bonis ac commodis privare; hos vero delinquentes notabant, et haec nota *censura* dicebatur. Hoc vocabulo Scriptores Ecclesiastici multis abhinc saeculis usi sunt ad poenam illam significandam, qua Ecclesia filios suos quorumdam criminum reos corrigere nititur.

sant [1]: 4° *quibusdam bonis spiritualibus, vel spiritualibus adnexis privatur* [2]: *donec a contumacia recedens absolvatur;* quia censura non tollitur nisi per debitam absolutionem.

Hinc patet quod censura animam directe afficit; et nonnisi indirecte et secundario, ut aiunt, corpus quandoque impetit, ex. gr. quum per suspensionem fructus beneficii amittuntur.

Censura est poena *medicinalis*, quia per eam proxime intenditur non tam delinquentis punitio, quam eius emendatio.

Adsunt tamen casus in quibus censura est etiam poena *vindicativa*, seu in ultionem delicti, ne delinquentium communicatione ceteri inficiantur; quo in casu si cessat finis correctionis, non cessant eo ipso alii fines [3].

Censura differt: 1° a *depositione, degradatione,* et *privatione beneficii*, quia hae poenae sunt mere *vindicativae*, et de se perpetuae; censura e contra est poena *medicinalis,* et a superiore tolli debet, cum reus se emendavit et satisfecit; — 2° ab *irregularitate,* quae licet aliquando ob delictum incurri possit, tamen per se non est poena, sed potius inhabilitas, seu impedimentum canonicum, unde non tollitur, sicut censura, per absolutionem, sed per dispensationem;—3° a *cessatione a divinis*, quae indicitur non ad emendandum reum, sed in signum moeroris et ad propulsandam injuriam Ecclesiae illatam [4].

258. — *Q.* Censura quomodo dividitur?

R. Censura multipliciter dividitur:

I. Ratione *speciei,* et alia dicitur *excommunicatio*, alia *suspensio*, et alia *interdictum.*—Suspensio tamen et interdictum aliquando ferri possunt per modum censurae, et aliquando etiam per modum *poenae* seu in vindictam *culpae*, et per modum merae *privationis*, quae etiam sine culpa tenet, adeoque et nocentes et innocentes afficit. Suspensio et interdictum per modum poenae, vel privationis ferri possunt propter delictum mere praeteritum, quod nullum habeat tractum successivum, nulla praevia monitione, nulla causa expressa, in perpetuum vel in determinatum tempus, et tunc non absolutione, sed superioris dispensatione cessant, neque eas transgre-

[1] Contumacia est contemptus censurae, non formalis, sed implicitus: nam eo ipso quod quis sciens aliquid esse prohibitum sub censura, illud tamen facit, jam censetur contemnere auctoritotem prohibentis.

[2] Bona autem spiritualia triplicis generis sunt: 1° alia quae immediate a *Capite* Ecclesiae seu a Christo procedunt, uti fides, etc.; 2° alia quae procedunt a *Membris privatis* Ecclesiae, nempe a fidelibus et ab Ecclesiae ministris quatenus sunt personae privatae, uti preces privatae; 3° alia demum quae procedunt a *Corpore* Ecclesiae, seu ab Ecclesia, proindeque potestati Ecclesiae subsunt, uti Sacramenta, preces publicae, officia divina, etc.

Porro censura non interdicit bona primi generis, quia non dependent ab Ecclesia; nec secundi generis, quia Ecclesia non vult privatorum preces et bona impedire; bene vero interdicit usum bonorum tertii generis vel in toto vel in parte tantum.

[3] Doctrina Synodi Pistoriensis jam damnata in art. 22 Lutheri, quae asserebat censuras non ligare in coelo, nec animas obligare, damnata fuit a Pio VI in Bulla *Auctorem fidei* uti *falsa, perniciosa, et ad minus erronea.*

[4] S. Alph., L. L. VII, 2, 5.

diens irregularitatem incurrit, nisi aliud jure cautum sit [1].

2. Ratione *formae* qua fertur, et alia est *a iure*, alia *ab homine*, alia est *reservata*, alia *non reservata*. — Censura *a iure* est quae fertur per canones, constitutiones vel statuta ecclesiastica, lege stabili et permanente, unde in ipso jure continetur. Censura *ab homine* est quae fertur a superiore vel per modum *praecepti* vel per modum *sententiae*. Censura ab homine per *modum praecepti* seu mandati fertur quando Superior ita aliquid praecipit aut prohibet, ut inobediens ipso facto poenam incurrat. Censura vero ab homine *per modum sententiae* fertur quando superior, inquisitione facta alicujus delicti perpetrati quidem, sed nondum plane praeteriti, reum pro culpa punit [2]. — Censura ab homine sive per modum praecepti, sive per modum sententiae, alia est *particularis*, circa aliquod factum particulare, aut certas personas, et alia est *generalis*, quae nulla singularis facti aut personae determinatione fertur [3]. — Censura a jure duplici modo differt a censura ab homine. I° Censura *a jure* semper est *generalis*; e contra censura *ab homine* potest esse generalis aut *particularis*, prout fertur indeterminate in delinquentes, vel determinate in aliquas personas. 2° Censura *a jure*, etiam mortuo superiore aut ab officio cessante, perdurat donec perdurat ipsa lex. E contra censura *ab homine*, si nondum sit contracta, cessat per mortem ferentis, vel ejus cessatione ab officio. Si vero jam contracta sit, manet etiam post mortem ferentis, donec tollatur per absolutionem [4].

3. Ratione *modi* quo incurritur, et alia est *latae sententiae*, quae, commisso delicto cum sufficienti deliberatione, statim absque ulla sententia judicis incurritur [5]; alia *ferendae sententiae*, quae a iudice vel superiore infligi debet, et non incurritur nisi post sententiam. Insuper censura alia est notoria, alia occulta.

4. Ratione *absolutionis:* alia est reservata, alia non reservata.

Ex censuris *a iure reservatis*, aliae sunt reservatae *Ordinario*, aliae *Apostolicae Sedi*. E censuris reservatis Apostolicae Sedi, aliae sunt reservatae *simpliciter*, aliae *speciali modo*, aliae *specialissimo modo*. **Can. 2245, § 3.**

Censura latae sententiae non est reservata, nisi in lege vel praecepto id expresse dicatur, et in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget. **Can. 2245, § 4.**

Reservatio censurae impedientis receptionem Sacramentorum importat reservationem peccati cui censura adnexa est; verum si quis a censura excusatur, vel ab eadem fuit absolutus, reservatio peccati penitus cessat. **Can. 2246, § 3.**

[1] *Bucceroni*, II, 1085.
[2] *Lehmkuhl*, II, 863.
[3] *Ballerini* ad Gury, II, 933 (b).
[4] Censurae quas fert Episcopus in Synodo dioecesana dicuntur latae per modum statuti, et hae tanquam latae a jure durant post mortem Episcopi. Aliae vero extra Synodum dicuntur latae per modum praecepti seu mandati aut sententiae, et hae per mortem ferentis cessant, sive praeceptum sit particulare, sive generale. S. Alph., L. VII, 6.
[5] Intellige pro foro interno; nam pro foro externo saepe requiritur sententia saltem declaratoria criminis, vel rei confessio, antequam poena censurae latae sententiae irrogetur. V. Card. *Soglia*, Vol. 2, p. 548.

259. — *Q.* Quaenam censura habetur latae, quaenam ferendae sententiae ?

R. Ad dignoscendum quandonam censura sit *latae* vel *ferendae* sententiae, consideranda sunt verba quibus ipsa censura fertur. Sed intelligitur semper *ferendae sententiae*, nisi expresse dicatur eam esse *latae sententiae*, vel ipso iure contrahi. **Can. 2217.** § 2. Hinc habetur censura *latae sententiae*: 1° Si lex declarat non admitti spatium inter culpam et poenam, v. g. *eo ipso, ipso facto* etc. — 2° Si superior vel lex excludat aliam sententiam per verba: *ipso jure, auctoritate nostra, virtute hujus legis, noverit se esse excommunicatum, noverit se excommunicationem incurrere.* — 3° Quando censura fertur per verba temporis praeteriti vel praesentis, uti *excommunicamus*, vel *excommunicavimus, decernimus esse excommunicatum, excommunicatur, suspendimus, decernimus esse suspensum, noverit se suspensum*, etc. — 4° Si verbis imperativis absolute infligatur, nullo addito mandato alteri superiori ut censuram infligat, v. g. *maneat suspensus, excommunicatus*, etc. Non item si lex dixerit: *Noveris te suspensionem incursurum.* Quod si lex utitur verbis imperativis dumtaxat, v. g. *subjaceat excommunicationi, beneficium amittat, fiat inhabilis ad beneficia*, poena verius est ferendae sententiae [1]. — Verba vero *anathema sit, excommunicatus sit*, si adhibeantur in materiis fidei, prout in decretis Conciliorum, censuram latae sententiae significant; in aliis autem delictis, an denotent censuram latae sententiae, dubium est [2].

E contra habetur *ferendae sententiae*: — 1° Si verbis de futuro exprimatur, v. g. *excommunicabitur, suspendetur.* — 2° Si verbis imperativis addatur mandatum alteri superiori ut censuram infligat, v. g. *volumus ab Episcopo excommunicari, excommunicetur a Praelato suo.* — 3° Si verbis minatoriis exprimatur, nisi aliter innuat contextus, v. g. *sub poena excommunicationis, sub interminatione anathematis.* — In dubio autem utrum censura sit latae an ferendae sententiae, habetur tantum uti ferendae, quia in dubiis odiosa restringenda sunt.

ART. II.

De censurae auctore.

260. — *Q.* Ecclesia habet ne potestatem ferendi censuras ?

R. Ecclesia potestatem habet ferendi censuras. Veritas de fide est, uti constat ex Conc. Constant. contra Wiclephitas et Hussitas, Sess. VIII.

Probatur: — 1. *Ex S. Scriptura.* Christus enim dixit: *Si quis Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ergo patet quod Christus Ecclesiae potestatem dedit a se expellendi contumaces, sicut a Synagoga ethnici et publicani expellebantur a communione Judaeorum. Hanc vero potestatem Christus confirmavit, dum subdidit: *Amen dico vobis, quaecumque ligaveritis super terram erunt ligata et in coelo.* Ergo.

2. *Ex facto Apostolorum et ex perpetua Ecclesiae praxi.* B. Paulus hac potestate usus est cum incestuosum Corinthi Satanae tra-

[1] *D'Annibale*, I, 303, (18).

[2] *Seavini*, I, 817, 4, (2).

didit in interitum carnis, ut spiritus salvus esset [1]; item Hymenaeum et Alexandrum ut discerent non blasphemare [2]. Ecclesia autem quovis tempore membra putrida a suo corpore abscidit. Ergo.

3. *Ex ratione theol.* Omnis societas bene ordinata habet jus privandi subditos delinquentes bonis communibus, quae ad ipsam societatem pertinent. At vero Ecclesia est societas omnium perfectissima. Ergo.

261.—*Q.* Quinam possunt ferre censuras?

R. Qui pollent potestate leges ferendi vel praecepta imponendi, possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere. Qui pollent potestate iudiciali tantum, possunt solummodo poenas legitime statutas ad normam iuris applicare. **Can. 2220.**

Ex potestate *delegata*, censuras ferre possunt omnes et soli Clerici, quibus id concessum fuerit ab habente potestatem ordinariam. Delegatus autem nequit potestatem alteri subdelegare, nisi habeat specialem commissionem, aut nisi sit delegatus a Rom. Pontifice, vel ad universalitatem causarum per modum officii [3].

Porro potestatem seu jurisdictionem ordinariam habent in Ecclesia: 1° Papa et Conc. Generale respectu totius Ecclesiae —2° Congregationes Romanae, ut Congr. Concilii, S. Officii, tribunal S. Rotae, etc., pro universa Ecclesia in iis exequendis quae sibi demandata sunt; — 3° Legati apostolici in territorio legationis, et Cardinales in Ecclesia sui tituli; — 4° Patriarchae, Archiepiscopi respectu tantum subditorum suae dioecesis, non vero dioecesis suffraganeae, nisi tempore visitationis, aut nisi causa sit per appellationem ad ipsos devoluta,— 5° Concilia Provincialia; -6° Episcopus, dummodo confirmatus sit et possessionem sit adeptus, quia tunc tantum ex hodierna disciplina habet jurisdictionem expeditam, etsi nondum consecratus; quia per confirmationem jam accepit jurisdictionem. — Ordinarius tamen, si censura Sedi Apostolicae reservata sit, nequit aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre. **Can. 2247.** — 7° Vicarius generalis sine mandato speciali non habet potestatem infligendi poenas. **Can. 2220.** 8° Capitulum Ecclesiae Cathedralis, sede vacante, et nondum electo Vicario, dein Vicarius Capitularis;—9° Capitula generalia Religionum, et in quibusdam Ordinibus etiam Capitula provincialia, Generales, Provinciales et Superiores locales.

Parochi vero non possunt ferre censuras; nam potestas ipsis olim concessa in foro externo et judiciali est per consuetudinem abrogata [4].

262.—*Q.* Quaenam conditiones requiruntur in ferente censuram?

R. Hae requiruntur: 1° ut sit *vir*, mulier enim, *probabilius*, ex jure divino, ad hoc munus delegari nequit; — 2° ut sit *baptizatus*, nam qui non est in Ecclesia, in veriori sententia, capax esse nequit ecclesiasticae jurisdictionis; —3° ut sit saltem *prima tonsura insignitus*, et hoc quidem ex jure

[1] I, Cor., V, 5.
[2] I. Tim., I, 20.
[3] *Marc.*, 1257.
[4] S. Alph., L. VII, 10.

ecclesiastico, unde Papa potest hanc facultatem laico delegare;—4° ut sit *rationis compos*;—5° ut habeat jurisdictionem expeditam *quoad usum*. Quare Episcopus si est excommunicatus vel suspensus vitandus non potest valide censuras ferre nec per se, nec per Vicarium; si vero est toleratus, fert quidem valide quia Ecclesia ob bonum publicum eum non privat jurisdictione, sed illicite, nisi constringatur necessitate;—6° ut *libere* agat: attamen, in veriori sententia, valida esset censura lata ex metu gravi, quia actus ex metu gravi positus de se validus est, nisi speciali jure positivo irritetur;—7° ut servet *solemnitates essentiales* a jure praescriptas;—8° ut non ferat in propria causa mere personali, quod in jure reputatur vindicta, uti esset si Praelatus censuraret aliquem, qui contra illum legitime recurrit ad superiorem [1].

263.—*Q.* Quaenam solemnitates seu formalitates requiruntur ad ferendam censuram?

R. Solemnitates seu formalitates in ferendis censuris aliae respiciunt monitionem delinquentis, aliae sententiam judicis.

I. Quoad *monitionem* distinguo: Si agatur de censura a *jure*, vel ab homine per modum *praecepti particularis*, tunc nulla requiritur solemnitas seu monitio; ratio, quia ipsa lex vel praeceptum locum tenent monitionis. — *Item* nec monitio requiritur pro suspensione vel interdicto, quando infliguntur non per modum censurae, sed per modum punitionis, seu merae poenae.

Si vero agatur de censura ferenda *per sententiam particularem*, tunc requiritur ut censurandus antea admoneatur scripto authentico, in quo adnotentur, et quidem distincte, tum persona [2], tum censura [3], tum causa in specie, secus contumax dici nequit.

Haec autem monitio fieri debet in scriptis, non quidem ad validitatem, sed ad licitatem [4], et trina esse debet, vel saltem una pro tribus, modo haec abbreviatio enuntietur saltem implicite, v. g. si dicat: *mandamus ut infra sex dies restituat, alias excommunicetur*. Pro unaquaque autem monitione requiritur spatium saltem duorum dierum, nisi periculum sit in mora, quo in casu sufficit una monitio sine illis competentibus tribus spatiis, modo terminus designetur pro censura incurrenda.—Quod si censura ferenda sit contra plures, generaliter sufficit ut monitio fiat in Ecclesia coram populo. Si autem contra personam particularem, tunc ista persona specialiter monenda est, nisi malitiose latitet; quo in casu sufficit si fiat in ejus domo, vel in Ecclesia, vel in alio loco publico.—An autem monitio requiratur pro censura *ferendae sententiae*, quando lata est a *jure*, vel per modum *praecepti generalis*, disput. Th.. Sententia aequior affirmat, quia plerumque tales censurae ignorantur, unde deesset contumacia in reo [5].

[1] S. Alph. L. VII, 12; *Scavini*, I, 825.
[2] Nomen, vel quod nominis loco esse potest, tunc solum necessario exprimendum est, cum judex vult eum *vitandum* declarare. *D'Annibale*, I, 329 (29).
[3] Quod si praeceptum poenam disjunctivam contineat, v. g. subiaceat *suspensioni*, vel *excommunicationi*, utrum valeat, disput. Th. S. Alph., L. VII, 62.
[4] *Scavini*, I, 825 4); *D'Annibale*, I. 329.
[5] S. Alph., L.VII. 55, 60; *Bucceroni*, 16.

2. Quoad *sententiam judicis*, si censura feratur per sententiam particularem, praeter praedictam monitionem, requiritur etiam ad licitatem ut sententia non feratur die feriato, nisi contumacia sit adeo evidens ut cognitione causae non egeat [1].

264. — *Q.* Episcopus extra dioecesim existens potest ne censuram ferre in subditos ?

R. Praemitto : Jurisdictio Episcopi alia est *voluntaria*, alia *contentiosa*. Voluntaria exercetur erga volentes, et nullam exigit formam judicii, ut est potestas a votis dispensandi, peccatores absolvendi, etc.; et haec, cum fiat sine contentione, ab Episcopo exerceri potestetiamsi ipse sit extra dioecesim. Contentiosa vero, cum exerceatur in invitos, seu in judicio contendentes, judicii formam exigit. Hoc posito :

Si agatur de censura per modum *statuti* vel *praecepti* ad futura crimina praecavenda, potest, quia ad hanc censuram ferendam non requiritur strepitus judicialis.

Si vero agatur de censura per modum *sententiae*, regulariter non potest, quia nemo potest extra proprium territorium jurisdictionem contentiosam exercere. Dixi *regulariter*, quia excipiuntur sequentes casus : 1° si contumacia subditi delinquentis sit tam manifesta, ut non indigeat cognitione causae ; 2° si causa sit jam judicialiter cognita in propria dioecesi ; 3° si Episcopus injuste a sua dioecesi fuerit expulsus, et ipse licentiam ab Episcopo loci petierit, licet non obtinuerit : 4° si Ordinarius loci consentit, quo in casu necessarius quoque est consensus partium; quia nemo invitus potest trahi extra suum territorium [2].

265. — *Q.* Episcopus in propria dioecesi existens potest ne censura ligare subditum in aliena dioecesi existentem ?

R. 1. Si censura est *a jure* vel *ab homine per praeceptum generale*, tunc non ligat subditum qui peccat extra territorium, nisi fictione juris censeatur praesens, nec ligat subditum qui peccat in loco exempto (qualis valde probabiliter censetur ecclesia et conventus Regularium); ratio, quia haec censura immediate afficit territorium, eoque coarctatur. Hinc, si in Synodo lata sit suspensio in clericum qui utitur certis ludis, si ipse ludat extra dioecesim, non remanet suspensus.

2. Si censura est ab homine, et *per praeceptum particulare*, an Episcopus censuram ferre possit in subditum qui peccat in aliena dioecesi, disput. Th.—*Prima* sententia, quae probabilior videtur, affirmat, quia praeceptum particulare immediate afficit personam, et ideo etiam existentem extra territorium ligat.—*Secunda* sententia tamen sat probabilis negat, quia Episcopus nequit jurisdictionem contentiosam extra propriam dioecesim exercere.

3. Si vero censura est ab homine, et *per modum sententiae judiciariae* propter aliquod delictum commissum, Episcopus censura ligare potest subditum in aliena dioecesi existentem duobus in casibus : 1° si delictum fuit commissum in propria dioecesi; 2° si agatur de delicto qnod suum effectum in propria dioecesi habeat, prout si clericus ad synodum vocatus

[1] S. Alph., L. VII, 65.

[2] S. Alph., L. VII, 21.

venire recuset [1], quia tunc peccatum in propria dioecesi censetur consummari.

266. — *Q.* Episcopus potest ne censuram ferre in peregrinum?

R. Distinguo: Si agatur de censura per modum *statuti*, aut praecepti, Episcopus *probabilius* non potest censuram ferre in subditum alienum, puta peregrinum, in sua dioecesi delinquentem, quia probabilius non est subditus, saltem in odiosis.

E contra si agatur de censura per modum *sententiae*, Episcopus ipsam ferre potest in peregrinum, modo reus ab ipso monitus fuerit, et post monitionem deliquerit in dioecesi ferentis; quia quilibet delinquens sortitur forum loci in quo deliquit. Excipe tamen: 1° si delinquens esset ferentis superior; 2° si reus, antequam ejus causa cognoscatur ab Ordinario loci, ab illius territorio exeat, saltem antequam citatione ab Ordinario loci praeveniatur, nam si antequam discedat citatione praeveniatur, tunc ratione judicii inchoati subditus manet Episcopi loci [2].

267. — *Q.* Episcopus potest ne censuras ferre in regulares?

R. Episcopus censuras ferre potest in regulares: 1° Si ipsi non sunt exempti, tunc enim legibus ac censuris episcopalibus subiiciuntur eodem plane modo ac alii clerici.—2° *Item* si regulares Episcopum habeant tanquam proprium praelatum, tunc enim censuris ligari ab ipso poterunt, aeque ac reliqui regulares a propriis superioribus.—3° *Item* si regulares, licet exempti, delinquant circa ea in quibus subiiciuntur Episcopo tanquam delegato apostolico, v. g. circa missae celebrationem.

Seclusis his casibus, regulares nequeunt ligari censuris ab Episcopis, quia non subiiciuntur eorum jurisdictioni. Imo aliqui religiosi, uti *Mendicantes* et *Jesuitae* gaudent privilegio ampliori, ita ut nunquam censura episcopali plecti possint, excepto uno tantum casu, uti videtur [3], nempe si Regulares in alienis ecclesiis quae suorum ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, vel in Ecclesiis suis aut suorum ordinum non petita illius benedictione, vel ipso contradicente, praedicare praesumpserint. Possunt tamen aliis poenis puniri.

268.—*Q.* Praelatus regularis potest ne censuram ferre in subditos quocumque loco existentes?

R. Si agatur de censura lata per statuta Capituli seu Superioris generalis, vel lata per sententiam particularem, tunc potest, quia jurisdictio superioris non est tantum territorialis, sed magis personalis, unde mutatio loci ex parte subditi nihil detrahit jurisdictioni superioris.

Si vero agatur de censura lata per statutum a superiore, qui speciale habeat territorium, v. g. provinciam, tunc attendi potest loci limitatio, ideoque exemptio eorum qui extra territorium delinquunt [4].

ART. III.

De censurae subjecto, et de culpa ad censuram requisita.

269. — *Q.* Quodnam subjectum censurae?

R. Subjectum censurae est so-

[1] S. Alph., L. VII, 22, 24.
[2] S. Alph. L. VII, 26.
[3] *D'Annibale*, I, 325 (8).
[4] S. Alph. I, VII, 20; *Gury*, II, 916.

lus baptizatus, rationis compos, puber, subditus, nec exemptus, et persona determinata pro excommunicatione, vel pro personali suspensione aut interdicto.

1. *Baptizatus*, quia Ecclesia non judicat de iis qui foris sunt; unde etiam haeretici censura ligari pos sunt, non vero cathechumeni.

2. *Rationis compos*, vel actu quo censuram incurrit, vel saltem tempore quo causam dedit, ob crimina quibus, adhuc rationis compos, causam deliberatam praebuit; quo fit ut dormientes, ebrii, temporaliter amentes censura ligari possint.

3. *Puber*, impuberes enim, licet absolute ligari possint, tamen excusantur a poenis latae sententiae, et potius punitionibus educativis quam censuris aliisque poenis gravioribus vindicativis corrigantur.

Puberes vero qui eos ad legem violandam induxerint, vel cum eis in delictum concurrerint, poenam lege statutam incurrunt. — **Can. 2230.**

4. *Subditus*, quia censura, quum sit actus jurisdictionis, nonnisi in subditos legitime exercetur.

5. *Nec exemptus*, nam qui privilegio exemptionis gaudet non subjacet jurisdictioni alterius. Sic, ex privilegio lapsu temporis legitime introducto, *Reges* et *Reginae*, licet in spiritualibus subjecti sint Episcopis, nequeunt tamen ab ipsis censura ligari ; at subjiciuntur censuris Pontificiis etiam a jure latis. — Sic *Cardinales* et *Episcopi* etiam tantum confirmati [1] subjacent censuris Papalibus, quia et ipsi subditi sunt Rom. Pontifici. Attamen ex privilegio non incurrunt suspensionem vel interdictum, nisi de ipsis expressa mentio fiat [2].—Quoad *Regulares* vide dicta n. 267.

6. Et persona *determinata* pro excommunicatione quae fertur per modum sententiae, vel pro personali suspensione vel interdicto ; quia poena personalis personale delictum requirit.

270. — *Q.* Integra communitas, v. g. collegium, potest ne esse subjectum censurae ?

R. 1. Quoad *excommunicationem*, si haec fertur a jure, vel ab homine per modum *praecepti*, tunc omnes violatores eam incurrunt. —Si vero fertur per modum *sententiae*, et fertur tantum in reos, tunc , ceteris positis , monitione etc., etiam valet.—Quod si fertur indiscriminatim in totam communitatem, v. g. Collegium, Capitulum, tunc si non constat omnes illius communitatis esse reos, non valet ; si autem constat omnes esse reos, valida et licita est si fertur a Papa , secus certe illicita, quia jure positivo prohibita , et, juxta sententiam probabilem, etiam invalida [3].

2. Quoad *suspensionem*, haec ferri potest in totam communitatem, ita tamen ut innocentes , si qui sint, feriat solum quoad functiones et jura ipsi communitati, ut tali, competentia, non vero quoad functiones ac jura, quae singulis singillatim competunt.

[1] S. Alph., L. VII, 15, 16; *D'Annibale*, I, 220, 10.

[2] Episcupus procedere potest contra aliquem e suo capitulo, quin capitulum audiat. Si tamen capitulum sit exemptum, ex Trid. nequit Episcopus contra aliquem de capitulo procedere, nisi cum duobus canonicis conjudicibus a capitulo electis et habentibus unam vocem, dum vero Episcopus habet alteram, V. Bouix, *De Capitulis*.

[3] *Gury*, 2, 950; S. Alph., L, VII. 13

3. Quoad *interdictum*, hoc etiam ferri potest in totam communitatem, et si generale est, etiam innocentes afficit; quo in casu eos, nec directe, nec proprie loquendo punit, sed tantum indirecte, hoc nempe sensu quod Ecclesia justas ob causas sua beneficia et officia integrae communitati subtrahit. Ita Th. communiter [1].

271. — *Q.* Quodnam delictum requiritur ad incurrendam censuram?

R. Praemitto: Nomine delicti, iure ecclesiastico, intelligitur externa et moraliter imputabilis legis violatio cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata. Quae dicuntur de delictis applicantur etiam violationibus praecepti, cui poenalis sanctio adnexa est; nisi ex adiunctis aliud appareat. **Can. 2195.**

Qualitas delicti desumenda est ex obiecto legis; quantitas vero dimetienda non solum ex diversa gravitate legis laesae, sed etiam ex maiore minoreve imputabilitate aut damno illato. **Can. 2196.**

Hoc praemisso: Ad incurrendam censuram requiritur ut delictum sit externum, grave, consummatum, cum contumacia coniunctum. **Can. 2242.**

Igitur requiritur: 1° Ut delictum sit *externum*, nempe sit manifeste grave non solum quoad actum internum, sed etiam quoad *actum externum*, seu quoad substantiam operis externi; ratio, quia censura potissimus actus fori externi est, et ad externam disciplinam pertinet. Quare duo copulative requiruntur: *a*) ut actus internus sit graviter malus; *b*) ut actus externus sit etiam graviter malus et quidem per se, et non tantum ex conscientia erronea aut ex contemptu vel ob damnum. Hinc si alicubi lata est censura in fures, non incurrit is, qui, licet sciens et volens, surripit acum sartori, qui exinde grave patitur damnum [2]. Nec censuram incurrit qui clericum leviter percutit, etsi intentionem mortalem habeat. Nec incurrit qui haeresim interne quidem tenet, sed actio externa, qua haeresim manifestat, vel non est mala, vel non est graviter mala in ordine ad manifestationem haeresis; ut qui haeresim suam prodit, consilii capiendi causa.

2° Ut delictum sit *grave*, nempe materia prohibita sub censura sit gravis vel per se, vel per accidens ratione scandali, aut periculi, aut finis a superiore intenti; non sufficit vero si peccatum leve per se sit grave tantum ex pravo fine agentis, vel ex ejus conscientia erronea, ut qui surripit annullum aeneum falso aureum putans. — In dubio vere de gravitate materiae obligat superioris praeceptum, et censura incurritur, quia in dubio possidet superioris potestas [3]. E contra in dubio facti ex parte agentis, nempe an peccatum commiserit, vel an graviter peccaverit, censura caret [4].

[1] *Marc.*, 1261.
[2] *D'Annibale*, I, 305, 21.
[3] S. Alph., VII, 32.
[4] Hinc non aderit censura 1° si factum sit dubium, v. g. an abortus vere sequutus fuerit; 2° si dubius sit auctor facti, v. g. si duo in Clericum telum jecerint, et unus ferierit, sed uter ex eis non appareat, nam satius est impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem condemnare; 3° si in iis quae bono et malo animo fieri possunt, dubia sit intentio facientis, v. g. si quis haereticum consanguineum suum rece-

3. Ut delictum sit in suo genere *perfectum*, secundum proprietatem verborum legis, **Can. 2228**; nisi lex aliter expresse declaret, ut ex gr. in duello, in quo simplex provocatio, vel duelli acceptatio censura punitur, etsi duellum non sequatur. Hinc necesse est *in factis*, ut facto nihil desit ut perfectum dici possit, ita ut commissum sit cum omnibus illis circumstantiis, quae exiguntur ut censura incurratur [1]. Quod si factum sumit perfectionem ab effectu, necesse est ut effectus secutus fuerit ex causa a te praestita, a qua abstinere tenebaris, et effectus non secutus sit aliunde [2].

4. Ut delictum sit *contumaciae conjunctum* [3]. Hinc si censura opus consummatum requirit, et aliquis, postquam opus prohibitum posuit, curat ejus effectum, antequam obveniat, impedire, vel mandatum aut consilium revocare, etsi revocatio per accidens mandatario sive consultatori non innotuerit, probabilius et verius censuram non incurrit, quia quando opus actu consummatur, non est amplius contumax [4].

Porro si agatur de censuris *ferendae sententiae*, contumax est qui, non obstantibus monitionibus, a delicto non desistit, vel patrati delicti poenitentiam cum debita damnorum et scandali reparatione agere detrectat. — Ad incurrendam vero censuram *latae sententiae* sufficit transgressio legis vel praecepti cui sit adnexa latae sententiae poena, nisi reus legitima causa ab hac excusetur.

Contumaciam desiisse dicendum est cum reum vere delicti commissi poenituerit, et simul ipse congruam satisfactionem pro damnis et scandalo dederit aut saltem serio promiserit. Judicare autem utrum poenitentia vera sit, satisfactio congrua aut eiusdem promissio seria necne, illius est a quo censurae absolutio petitur. **Can. 2242, § 2. § 3.**

272. — *Q.* Quandonam mandans, consulens, participans etc., subjecti sunt censurae?

R. Censura est poena, ideoque strictae interpretationis; quare si lata sit contra *facientes* non extenditur ad mandantes, nisi lex expresse declaret, vel nisi mandans juxta communem hominum sensum pro faciente habeatur, uti esset si censura plecteret vendentes, alienantes, etc., et quis man-

ptavit, et non appareat utrum receptaverit ut haereticum, vel ut consanguineum. *D'Annibale*, I, 304.

[1] Hinc cum lex actum, v. g. matrimonium, prohibeat, si actus nullius momenti est, excommunicatio cessat, nisi forte lex coërceat actum hujusmodi quasi merum factum. Quare si quis v. g. constitutus in sacris matrimonium contrahit verbo tenus, sed sine consensu, poenam non incurrit, quia actus simulatus nihil est. *Item* poenam evadit qui praedium ecclesiae vendit, penes nos sine scriptis, vel qui indigno suffragium tulit, si is non fuerit electus. E contra poenam incurrit si actus hujusmodi nullius momenti est ex lege, puta si ille matrimonium vere contrahere intendit, vel si confessarius complicem absolverit. *D'Annibale*, Comment., n. 6. (10).

[2] Ex hoc capite poenam v. g. homicidii effugit qui aliquem mortifere vulneravit, sed ille medici negligentia vel aliquo alio casu interierit. *D'Annibale*, I. 305, (23).

[3] Pro foro interno requiritur contumacia vera; pro foro autem externo sufficit praesumpta. - S. Alph., L. VII, 48.

[4] Ut ecce si quis dederit abortivum, vel alicui consilium, mandatum occidendi, et antequam illa ejiceret, hic occideret, facti ipsum poenituerit. *D'Annibale*, I, 333 (24).

daret ut alius suo nomine venderet, alienaret, etc.

Quod si censura expresse comprehendit mandantes, consulentes, etc., et censura imponitur etiam propter *solum* mandatum, consilium, etc., tunc posito mandato, consilio etc. statim censura incurritur, etiam effectu non secuto, ut in casu duelli. Qui vero communi delinquendi consilio simul physice concurrunt in delictum, omnes eodem modo rei habentur, nisi adiuncta alicuius culpabilitatem augeant vel minuant. **Can. 2209.**

Si autem censura imponitur principaliter propter opus prohibitum, et *accessorie* propter mandatum, consilium, etc. tunc requiritur ut mandatum, consilium, etc., suum effectum habeat; unde si mandatum non influxerit, censura non incurritur. Hinc a censura excusatur qui simplex mandatum aut consilium dederit ei qui non accepit, vel qui jam determinatus erat ad opus exequendum [1].

273.—*Q.* Potest ne quis pluribus simul censuris ligari?

R. Sicut reus plura potest simul perpetrare peccata specie vel numero diversa, ita diversis potest simul innodari censuris non solum diversae sed etiam eiusdem speciei. Censura vero latae sententiae multiplicatur: 1° Si diversa delicta, quorum singula censuram secumferunt, eadem vel distincta actione committantur; 2° Si idem delictum, censura punitum, pluries repetatur ita ut plura sint delicta distincta; 3° Si delictum diversis censuris a distinctis Superioribus punitum, semel aut pluries committatur; 4° Censura ab homine multiplicatur si plura praecepta vel plures sententiae, vel plures distinctae partes eiusdem praecepti aut sententiae suam quacque censuram infligant. **Can. 2244.**

Hoc autem evenit: 1° Si ob idem delictum censura lata sit ab eodem legislatore, sed diversa forma, nempe a jure et ab homine; vel lata sit a duplici legislatore, a Papa et ab Episcopo, quia jurisdictio unius non tollit jurisdictionem alterius. Hoc tamen intelligendum si secundus superior vere intendat novam poenam imponere, alias regulariter secunda censura habetur uti publicatio primae. 2° Si ob idem delictum legislator influxerit plures censuras specie diversas, v. g. suspensionem et interdictum. 3° Si quis commiserit plura peccata specie vel numero diversa, quibus adnexa sit aliqua censura, uti si quis haeretico credit, ejusque librum legit; si quis complicem a peccato complicitatis bis absolveret. *Item* si quis uno actu duo peccata committeret specie diversa, quorum utrique censura est imposita, puta si quis occideret clericum in loco ubi quodvis homicidium vetitum est sub censura [2]. — An vero plures censuras incurrat qui uno actu plura peccata committit ejusdem speciei, v. g. qui uno actu plures clericos verberat, disput. Th. [3].

ART. IV.

De causis a censuris excusantibus.

274. — *Q.* Quaenam causae a censura excusant?

R. Quinque a Th. enumeran-

[1] S. Alph., L. VII, 38.
[2] S. Alph. L. VII, 28; *D' Annibale*, I, 337 (21).
[3] S. Alph. L. VII. 28.

tur : ignorantia, metus, impotentia, appellatio et condonatio.

275.—*Q.* Quaenam ignorantia excusat a censura ?

R. — 1. Ignorantia sive *legis* sit, sive *poenae*, sive *facti*, si est *invincibilis*, sive sit antecedens, sive concomitans (ut si quis occidens clericum ignorans esse clericum, aeque occidisset, si scivisset), semper a censura excusat, quia semper deest contumacia.— *Item* excusat ignorantia *vincibilis*, leviter tantum culpabilis, quia excusat a culpa gravi.

2. Si ignorantia legis aut etiam solius poenae fuerit crassa vel supina, a nulla poena latae sententiae eximit; si non fuerit crassa vel supina, excusat a poenis medicinalibus (seu censuris **Can. 2216**, 1°) non autem a vindicativis latae sententiae **Can. 2229**, § 3, 1°.

Ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, impetus passionis, si non obstante imputabilitatis diminutione, actio sit adhuc graviter culpabilis, a poenis latae sententiae non excusant. **Can. 2229**, 2°.

3. Si autem censura requirit praesumptionem, temeritatem, ut quando lex habet haec verba : *praesumpserit*, *ausus fuerit*, *scienter*, *studiose*, *temerarie*, *consulto egerit*, aliave similia quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit a poena latae sententiae. **Can. 2229.** — Hinc ignorantia etiam crassa vel supina a poena excusat, quia imputabilitatem certe minuit.

4. An vero ignorantia affectata excuset a poenis latae sententiae, olim disputabant Th.; nunc vero ut definitum fuit a Codice iuris canonici non excusat: A nullis latae sententiae poenis ignorantia affectata sive legis, sive solius poenae excusat, licet lex verba contineat : *praesumpserit*, *ausus fuerit*, etc. **Can. 2229.**

276. — *Q.* Error excusat ne a poena incurrenda ?

R. Error verius excusat a poena incurrenda quando est substantialis, quod tripliciter fieri potest: 1° Si quis erraverit circa rem; 2° vel circa personam [1]; 3° vel circa rem quoad personam, nempe falso putans eam rem (v. g. aedes quas incendit) esse v. g. Sempronii, cum sit Audizii. At si quis rem surripit quam falso putat esse meam, vix poenae eximitur, aut ne vix quidem, quia hic error accidentalis et concomitans est [2].

277. — *Q.* Quinam metus a censura excusat ?

R. — 1. Metus si est *levis* non excusat.

2. Si vero est *gravis*, sive absolute, sive relative, et injustus, et excusat a culpa, certe a poe-

[1] Veluti si percusserit Cajum quem Osium putabat, nam neque Osio facit injuriam, quia non percutit, neque Cajo quia non vult; secus in foro externo, quia semper civem laedit: nec probabilius si utrumque clericos esse sciebat, incurrit excommunicationem, quippe personae morali, nisi per singularem personam, non fit injuria. At vero si non ignoravit, se Cajum percutere, non excusatur si nescivit v. g. eum fratris sui filium esse, non percussurus profecto si scivisset; quia error non in substantiam cadit. Idem juris est si percusserit Osium clericum, Sempronium clericum putans, si non quasi Sempronium percusserit, sed quasi clericum, nam eo animo erat, ut quemcumque clericum caederet. *D'Annibale*, I, 299 (33).

[2] *D'Annibale*, I, 299.

na excusat ; si vero a culpa gravi non excusat, tunc si res est vetita tantum *a jure ecclesiastico*, certe excusat, quia praecepta humana non obligant cum gravi incommodo.

3. Quod si delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis, vel in publicum animarum damnum, tunc metus gravis a poenis latae sententiae nullatenus eximit. **Can. 2229, § 3, 3°**—Hinc si quis ob metum etiam gravem perpetrat malum gravissimum, v. g. si Episcopum occideret, vel sine jurisdictione absolutionem sacramentalem praeberet, tunc sicut nullus metus excusat a culpa, etiam contra praeceptum ecclesiasticum, sic nec excusat a censura.

278. — *Q.* Quandonam impotentia, appellatio, et condonatio a censura excusant ?

R. — 1. Impotentia adimplendi quod praeceptum est, sive physica sit, sive moralis, a censura semper excusat.

2. Appellatio etiam excusat ab incurrenda censura ab homine lata sub conditione, modo appellatio fiat ante conditionis eventum, et ad legitimum superiorem recursus fiat, et infra tempus permissum.— E contra non excusat ab incurrenda censura absolute lata, nec a censura lata sub conditione, post conditionis eventum ; nec datur locus appellationi, si sententia jam executioni mandata sit [1].

3. A censura etiam excusat condonatio partis lesae in cujus favorem censura lata fuit in debitorem, si intra tale tempus debitum non solvat.—An vero creditor possit tale tempus prorogare, disput. Th. Sed S. Alph. affirmat, quia si potest debitum remittere, potest et terminum prorogare [2].

279. — *Q.* Qui in dubio est an censuram incurrerit, quomodo se gerere debet ?

R. — 1. In dubio tenetur, si potest, dubium purificare.

2. Si vero dubium purificare nequeat, tunc si dubium est *antecedens*, nempe dubitat an censuram incurrerit, in foro interno non tenetur se gerere uti censuratum, sive dubium sit *juris*, quia in hoc casu poena est strictae interpretationis, sive dubium sit *facti*, quia in tali dubio nemo suo jure est expoliandus. Dixi: *in foro interno*, nam aliquando *in foro externo*, quis tenetur se gerere uti censuratum, si hoc esset necessarium ad vitandum scandalum.

3. Si autem dubium est *consequens*, nempe postquam censuram incurrerit, dubium exurgit utrum poena a Superiori competenti inflicta, sit iusta necne, poena servanda est in utroque foro, excepto casu appellationis in suspensivo. **Can. 2219** [3].

280. — *Q.* Parochus tenetur ne censurato denuntiare censuram quam dubitat, aut scit esse injustam vel invalidam ?

R. — 1. Parochus seu executor si tantum dubitat censuram esse injustam vel invalidam, tenetur ipsam denuntiare, quia in hoc dubio standum est pro superiore.

2. *Item* tenetur si constet censuram juxta allegata et probata validam esse, quia superior, qui ordinem juris sequitur, juste praecipit, et Parochus ei obedire te-

[1] *De Varceno*, c. 1, a. 4.
[2] S. Alph., L. VII, 63.
[3] S. Alph., L. VII, 67, 68 ; *D' Annibale*, I, 312.

netur. At si in hoc casu scit ex scientia privata subjectum certe esse innocentem, superiorem de tali innocentia admoneat.

3. Si vero certe scit censuram esse invalidam, vel quia ordo juris essentialiter violatus fuit, vel quia sententia secundum allegata et probata est omnino injusta, tunc Parochus nequit ad denuntiationem procedere, quia poena est certe invalida; et in hoc casu bene se gereret si ad superiorem sui superioris recurreret, ut inde liberetur ab onere censuram denuntiandi [1].

ART. V.

De absolutione a censuris.

281. — *Q.* Quinam absolvere possunt a censuris?

R.—I. Quaelibet censura semel contracta, tollitur tantum legitima absolutione. **Can. 2248**; unde non tollitur nec per mortem eam ferentis, nec per correctionem rei. Hinc propositio: *Quoad forum conscientiae, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessat censura*, ab Alex. VII damnata est.

II. Censura autem per absolutionem sublata non reviviscit, nisi in casu quo onus impositum sub poena reincidentiae impletum non fuerit. **Can. 2248, § 3.**

III. Censura ab *homine* per sententiam *particularem* contra personas determinatas, est de se semper reservata Superiori qui sententiam protulit, etsi reservatio non exprimatur; unde ab ipsa absolvere tantum potest qui eam tulit, vel ejus superior, vel successor, vel alius ab horum quopiam delegatus. Hinc, si quis in propria dioecesi deliquit, et ab Episcopo per sententiam particularem excommunicatus fuit, non potest absolvi ab Episcopo alterius dioecesis in qua postea domicilium fixerit, nisi de licentia Episcopi excommunicantis [2].

IV. Si censura est *a jure*, vel *ab homine* per modum *statuti*, vel per sententiam *generalem* contra personas indeterminatas, et *non est reservata*, tunc quilibet confessarius potest ab ea absolvere non solum pro foro interno, sed etiam pro externo, et hoc non ex jure ordinario, sed ex speciali concessione et usu Ecclesiae; et absolvere potest non solum ab excommunicatione, sed etiam a personali suspensione et interdicto si lata sunt per modum censurae, quia concessio absolvendi a censuris non reservatis, cum sit favorabilis, merito ampliatur ad omnes censuras. Ita Th. communiter. Attamen *in praxi* si haec censura, licet non reservata, est ad forum contentiosum deducta, vel proxime deducenda; tunc prudentia vult ut differatur absolutio etiam pro foro interno.

V. Si censura est *a jure*, vel *ab homine* per modum *statuti*, vel per sententiam *generalem* contra personas indeterminatas, sed est *reservata*, tunc regulariter ab ea absolvere solum potest: 1° qui eam tulit; 2° ejus superior, semper ac superior talis sit pleno jure, et si talis non est, tunc absolvere solum potest in casibus a jure statutis. Hinc Legatus a la-

[1] S. Alph., L. VII. 68; *D' Annibale*; I, 312.

[2] S. Alph., L. VII, 69 — Can. 2247, § 2.

tere, Archiepiscopus, etc., licet Episcopo superior, nequit suffraganeorum subditos absolvere a censuris Episcopo reservatis, nisi in casibus a jure statutis, vel nisi in casu justae appellationis, aut visitationis ex officio, quia tunc solum gaudet jurisdictione expedita; 3° ejus successor; 4° vel alius ab horum quopiam delegatus.—Dixi *regulariter*, quia quandoque ab ea absolvere potest etiam simplex confessarius, v. g. si poenitens est in periculo mortis, vel in urgenti necessitate absolutionis ad vitandum periculum gravis scandali, ut inferius dicetur.

282. - *Q.* Episcopi [1] possunt ne absolvere a censuris Papae reservatis?

R. — 1. Si censura est Papae *specialissimo* vel *speciali modo* reservata, Episcopi non possunt ab ea absolvere absque speciali facultate.

2. In casibus vero occultis potest Ordinarius poenas latae sententiae iure communi statutas per se vel per alium remittere, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis. **Can. 2237, § 2.**

283. — *Q.* Quandonam delictum dicitur publicum, vel notorium vel occultum?

R. Delictum est *publicum*, si iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri — *Est notorium notorietate iuris* post sententiam iudicis competentis quae in rem iudicatam transierit aut post confessionem delinquentis in iudicio factam. *Est notorium notorietate facti*, si publice notum sit et in talibus adiunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit.— Est *occultum*, quod non est publicum, *occultum materialiter*, si lateat delictum ipsum; *occultum formaliter*, si eiusdem imputabilitas. **Can. 2197** [2].

284.—*Q.* Potest ne quis censura ligatus absolutionem obtinere a peccatis?

R. 1° Si agatur de censura quae non impedit Sacramentorum receptionem, censuratus, rite dispositus et a contumacia recedens, potest absolvi a peccatis, firma censura.

2° Si vero agatur de censura quae impedit Sacramentorum receptionem, censuratus nequit absolvi a peccatis, nisi prius a censura absolutus fuerit. **Can. 2250.**

285.—*Q.* Valet ne absolutio a censura data a simplici confessario censuram reservatam ignorante?

R. Si confessarius, ignorans reservationem, poenitentem a censura et a peccato absolvat, absolutio a censusa valet, dummodo non sit censura ab homine, aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata. **Can. 2247 § 3.**

[1] Nomine *Episcopi* veniunt etiam Vicarii Capitulares, Abbates, et alii jurisdictione quasi Episcopali gaudentes; non vero Vicarii Generales ex generali commissione Vicariatus, nisi specialiter ab Episcopo ipsis concedatur; nec veniunt Praelati regulares quoad saeculares, ut constat ex resp. S. Poenitentiariae, 5 dec. 1873.

[2] Absolutio data in foro externo valet semper pro foro interno.—Data in foro interno, non prodest coram judice aut fidelibus, nisi de ea publice constet. Can. 2251. Sufficienter autem constare censendum est, si sciatur censuratum esse confessum et praestitisse, si qua necessaria erat, satisfactionem. — *Marc.*, 1276.

286. — *Q.* Quomodo se gerere debet simplex confessarius cum poenitente innodato censura *Papae* reservata?

R. — 1. Si poenitens est *in articulo mortis*, seu periculo proximo existimato, tunc confessarius in primis exigere debet, ut poenitens reparet scandala data, removeat a se, si possit, occasiones vel signa peccati, v. g. signa sectae massonicae; satisfaciat parti laesae, v. g. restituat bona Ecclesiae; vel, si satisfacere tunc nequeat, sufficientem cautionem praebeat aut saltem, si ne hanc quidem tum praestare queat, promittat in conscientia, se, ut primum poterit, satisfacturum. His peractis, confessarius ipsum absolvere potest ab omnibus casibus et censuris etiam speciali vel specialissimo modo Papae reservatis cum hac tamen distinctione. — Si poenitens ligatus sit censura Papae *simpliciter* vel tantum *speciali modo* reservata, confessarius illud absolvere potest absolute absque ullo alio onere.—Si vero ligatus sit censura ab homine vel Sedi Apostolicae *specialissimo modo* reservata, tunc poenitentem absolvere potest, sed poenitens tenetur, postquam convaluerit, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad eum qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum, si de censura a iure; eorumque mandatis parendi. **Can. 2252.**

2. Si poenitens non est in periculo mortis, tunc, Codex iuris canonici **Can. 2254** sic statuit: § 1. In casibus urgentioribus, si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat, tunc quilibet confessarius in foro sacramentali ab eisdem, quoquo modo reservatis, absolvere potest, iniuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem saltem per epistolam et per confessarium si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate, et standi eius mandatis.

§ 2. Nihil impedit quominus poenitens, etiam post acceptam, ut supra, absolutionem, facto quoque recursu ad superiorem, aliud adeat confessarium facultate praeditum, ab eoque, repetita confessione saltem delicti cum censura, consequatur absolutionem; qua obtenta, mandata ab eodem accipiat, quin teneatur postea stare aliis mandatis ex parte superioris supervenientibus.

§ 3. Quod si in casu aliquo extraordinario hic recursus sit moraliter impossibilis [1], tunc ipsemet confessarius, excepto casu quo agatur de absolutione censurae de qua in **Can. 2368, § 1.** (in hoc can. agitur de crimine sollicitationis) potest absolutionem concedere sine onere de quo supra, iniunctis tamen de iure iniungen-

[1] In casu quo poenitenti durum sit alium adire confessorium, et confessarius cum sit alterius loci proficisci debeat antequam responsum a S. Poenitentiaria obtineri possit, et poenitens scribere vel nesciat, vel nequent, in hoc casu simplex confessarius poenitentem absolvere potest absque onere mittendi epistolam. Decretum L. C. I. O. dic. 9. Nov. 1896.

dis, et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura, ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praeficiendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, recidat in censuram. **Can. 2254** [1].

3. Seclusis his casibus, simplex confessarius non potest talem poenitentem absolvere, sed prius debitam facultatem sibi procurare debet; secus si praesumpserit absolvere a censuris latae sententiae sedi Apostolicae specialissimo vel speciali modo reservatis incurrit ipso facto excommunicanem sedi Apostolicae simpliciter reservatam. **Can. 2338.**

287. — *Q.* Quid importat illud: *injunctis de jure injungendis?*

R. Importat: — 1° ut poenitens promittat stare mandatis Ecclesiae, nempe se sistere coram S. Pontifice, vel per confessarium ad S. Pontificem recurrere sub praedicta poena reincidentiae. — 2° Ut poenitens (regulariter antequam absolvatur, ex declaratione S. Poenitentiariae 5 Jul. 1859) meliori quo poterit modo, juxta prudens Ordinarii vel confessarii judicium, reparet scandalum si fuerit publicum, et removeat occasiones peccandi. Ita S. Poenitentiaria 10 Dec. 1860. — 3° Ut parti laesae prius satisfaciat, v. g. si bona Ecclesiae retinet, restituat si possit, et si non possit, cautionem praebeat, et si ne hoc quidem possit, saltem juret se, quam primum poterit, satisfacturum. — 4° Ut praestet juramentum de crimine non amplius perpetrando, si crimen est valde enorme, ut esset percussio Episcopi, Cardinalis, vel gravis percussio Clerici, vel scandalosa Ecclesiae violatio. — 5° Ut poenitenti imponatur et ab ipso acceptetur salutaris poenitentia, praeter poenitentiam sacramentalem [2].

288. — *Q.* Absolutio a censura, neglectis clausulis a jure vel in Rescripto appositis, est ne licita et valida!

R. Talis absolutio est graviter illicita; valida tamen si data sit ab Ordinario, vel etiam a delegato, saltem quando in delegatione apposita non fuit clausula, *satisfacta parte* [3].

289. — *Q.* Quomodo se gerere debet confessarius cum poenitente innodato censura *Episcopo* reservata?

R. — **1.** Si poenitens est in periculo mortis, simplex confessarius potest eum absolvere, quia tunc nulla est reservatio: nec re manet obligatio, restituta sanitate, adeundi episcopum, nisi hic censuram ea conditione sibi reservaverit [4].

2. Si poenitens non est in periculo mortis, et licet possit personaliter Episcopum adire, tamen est in urgenti necessitate absolutionis ad vitandum periculum gravis scandali, vel infamiae, vel damni, etc., tunc simplex confessarius potest per modum epikejae declarare quod, stante gravi causa mensem, et standi illius mandatis, quin confessarius ipse scribat?—S. Poenitentiaria respondit: *Affirmative:* die 7 Nov. 1888.

[1] Quaesitum fuit: Quando Missionario occurrit poenitens censuris innodatus, et transiens obiter, ita ut Missionarius non possit iterum poenitentem videre, numquid sufficit, posito casu urgentiori absolutionis, exigere a poenitente promissionem scribendi, tacito si vult nomine ad S. Poenitentiariam in-

[2] S. Alph., L. VII, 1.9.

[3] *Ninzatti*, n. 1673.

[4] *Marc.*, 1285, Ed. VIII.

sa, censura suspensa remanet, et proinde poenitentem absolvere potest a peccatis, cum onere tamen ut, quamprimum commode possit, se sistat superiori ut a censura reservata absolvatur.

3. Si autem poenitens non est in periculo mortis, nec in urgenti necessitate absolutionis, sed ob impedimentum Episcopum adire nequit personaliter, nam adire per epistolam vel per procuratorem probabilius non tenetur [1], tunc si impedimentum Episcopum adeundi est perpetuum, nempe ultra quinquennium extenditur [2], confessarius potest eum absolute absolvere. Si vero impedimentum est tantum diuturnum, nempe a semestri ad quinquennium, tunc potest quidem eum absolvere, sed cum onere se praesentandi cum commode possit [3].

290. — *Q.* Quaenam forma adhibenda in absolutione a censuris ?

R. Absolutio censurae in foro sacramentali continetur in consueta forma absolutionis peccatorum in libris ritualibus praescripta.

In foro non sacramentali quolibet modo dari potest, sed ad excommunicationis absolutionem regulariter formam adhiberi convenit in eisdem libris traditam [4]. **Can. 2250.** § 3 [5].

291.— *Q.* Absolutio a censuris dari ne potest sub conditione ?

R. Affirmative, et non solum sub conditione de praesenti, vel de praeterito, cum aequivaleat absolutae, sed etiam sub conditione de futuro; ratio quia, sicut censura ferri potest sub tali conditione, ita et absolutio.

292. — *Q.* Quaenam est absolutio ad cautelam ?

R. Absolutio censurae ad cautelam duplex est. *Prima* ea est quae excommunicato appellanti ad superiorem datur provisorie in ipso litis limine, ut capax fiat prosequendi litem in tribunali ecclesiastico ; unde solvit indirecte a vinculo censurae sive occultae sive notoriae. Lite vero expleta, si non potest a crimine purgari, censura reviviscit, ideoque directa absolutio obtinenda est. *Secunda* est ea quae poenitenti datur ante absolutionem a peccatis ad evitandam irreverentiam, si poenitens forte occulta et incognita censura ligatus sit; vel est in dubio an in ipsam inciderit. Absolutione autem data, cessat censura, etsi postea certa apparuerit [6]. *Item* absolutio ad cautelam dari potest in

[1] *Marc.*, 1284.

[2] Censentur habere impedimentum perpetuum : filii familias ; regulares ; senes sexagenarii ; servi; pauperes non vagabundi; carcerati; mulieres; milites, vel collegialiter viventes; et omnes qui episcopum adire nequeunt sine gravi damno spirituali vel temporali. S. Alph., L. III, 88, 89.

[3] S. Alph. L. VII, 92; *Gury*, 952.

[4] S. Alph., L. VII, 116.

[5] Qui plura delicta perpetravit, licet ejusdem speciei, a singulis seorsim solvi potest. Et si petat dispensationem vel absolutionem ab omnibus una simul, sat erit dicere, se *pluries* ea perpetrasse ; immo in actionibus ejusdem speciei repetitis in eodem subjecto, in quibus juris effectus (impedimenta, vincula, poenae) ex repetitis criminibus non multiplicantur, quia *in his accidens fit unum moraliter*, etsi peccata multiplicentur, satis erit dicere, se talia vel talia crimina perpetrasse. Ut puta, si quis pluries eamdem consanguineam cognoverit ; si Sacerdos irretitus censura pluries celebraverit, etc. *D' Annibale*, I. 318, (26).

[6] *Marc.*, Ed. VIII, 1574.

dubio an censura prolata valida sit, vel in dubio an contracta sit [1].

293. — Potest ne quis ligatus pluribus censuris absolvi ab una censura et non ab aliis?

R. Si quis pluribus censuris detineatur, potest ab una absolvi, ceteris minime absolutis.

Petens absolutionem, debet casus omnes indicare, secus absolutio valet tantum pro casu expresso; quod si absolutio, quamvis particularis petitio facta sit, fuerit generalis, valet quoque pro reticitis bona fide, excepta censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, non autem pro reticitis mala fide. **Can. 2249.**

294. — *Q.* Absolutio a censuris dari ne potest extra confessionem?

R. Praemitto: Forum ecclesiasticum duplex est, *externum* seu judiciale, et *internum*. Internum vero aliud est *sacramentale*, aliud *conscientiae* tantum, seu non sacramentale, quando aliquid agitur sive extra Sacramentum, sive extra forum judiciale [2]. Hoc posito:

Qui jurisdictionem *ordinariam* habet, certe absolvere potest a censuris etiam extra confessionem.

Qui vero jurisdictionem habet tantum *delegatam*, et verba delegationis sacramentalem confessionem innuunt, ut si dicatur: *in actu sacramentalis confessionis*; vel si absolutio sacramentalis per se necessaria sit, ut si agatur de obtinenda absolutione a peccatis reservatis, tunc nonnisi in Sacramento Poenitentiae absolvere potest.

His casibus seclusis, in sententia communiori et probabiliori, absolvere potest etiam extra confessionem, etsi facultas data sit *in foro conscientiae;* vel *injuncta poenitentiae salutari;* nam per haec verba id unum significatur licentiam non extendi nisi ad forum conscientiae, nempe ad tollendum vinculum quo anima detinetur. — Item dicendum si facultas committatur *sacerdoti confessario,* aut etiam *sacerdoti audiendi confessiones*, nam hoc non indicat nisi nomen officii et muneris, non vero actualis exercitii; ita ut necesse quidem sit ut ille sit confessarius, non vero quod actu confessiones audiat. — *In praxi* tamen convenit ut absolutio detur in Sacramento Poenitentiae, quia censuratus melius disponi solet et sic fert usus [3].

295. — *Q.* Confessarius potest ne poenitentes absolvere a censuris et non a peccatis?

R. Confessarius, incoepta confessione, etsi a peccatis non absolvat, potest tamen absolvere a censuris non reservatis, et etiam a reservatis, si facultatem habeat, et adsit ratio sufficiens pro poenitente, v. g. ut missae intersit, vel divinis officiis, si recedere nequeat sine infamia. — Regulariter

[1] *De Varceno*, c. I, a. 5.

[2] Ad forum *sacramentale* pertinent peccata, ad forum *conscientiae* cetera omnia quae ad salutem cujusque pertinent. Est et forum *poenitentiae*, hoc autem nonnullis est sacramentale, aliis forum conscientiae, et probabilius quippe est favorabilius. Si igitur alicui committitur in foro *poenitentiae*, v. g. dispensatio, absolutio a censuris expediri potest extra Sacramentum poenitentiae; quamvis mandatum directum fuerit Sacerdoti Confessario, praeterquam si agatur de peccatis absolvendis. *D'Annibale*, 1, 25, (15).

[3] *Scavini*, 1, 831.

tamen iis solum absolutio concedenda est, qui dispositi noscuntur ad confessionem postea explendam.

296.—*Q.* Absolvi ne potest absens vel invitus?

R. Quoad *absentem* affirmo, nisi necessaria sit praesentia, nempe quando quis habet solam facultatem delegatam in confessione.

Quoad *invitum* distinguo: Si est invitus quia recedere non vult a peccato seu contumacia, tunc si peccatum, a quo recedere non vult, habet *tractum successivum*, uti haeresis, detentio libri prohibiti, absolvi non potest, nisi ab eo qui censuram tulit (qui tamen illicite absolveret, nisi gravis adesset causa); quia, remanente contumacia, censura lata a lege non cessat, nisi tollatur ipsa lex. — Si vero peccatum *uno actu* perficitur, uti blasphemia, absolvi potest ab eo qui habet facultatem ordinariam, non vero a delegatam tantum habente.

Si autem est invitus quia, licet a peccato recesserit, absolutionem tamen non petit, aut non vult, iterum distinguo: vel confessarius habet potestatem ordinariam, et potest eum absolvere; vel habet tantum delegatam, et tunc si delegatio data fuit in favorem confessarii, etiam potest; si vero est data in favorem poenitentis, non potest, quia iste non vult privilegium acceptare.

297.—*Q.* Valetne: 1° absolutio data ex metu; vel 2° data sub onere, onere inculpabiliter non impleto?

R. Ad 1um: Si metus est gravis, injustus, et incussus ad extorquendam absolutionem, non valet: secus valet.

Ad 2um: Si adest impotentia onus adimplendi, vel si onus non fuit impositum uti conditio sine qua non, absolutio valet; secus disput. Th.

CAPUT II.

De censuris in specie

298. — *Q.* Censurae quot sunt; et quos afficere possunt?

R. Censurae tres sunt: 1° Excommunicatio; 2° Interdictum: 3° Suspensio.

Excommunicatio afficere potest tantum personas physicas, et ideo, si quando feratur in corpus morale, intelligitur singulos afficere qui in delictum concurrerint.

Interdictum et suspensio afficere potest etiam communitatem ut personam moralem. Excommunicatio et interdictum afficere possunt etiam laicos. Interdictum afficere potest etiam locum. Suspensio afficere potest clericos tantum.

Excommunicatio est semper censura. — Interdictum et suspensio possunt esse vel censurae, vel poenae vindicativae; sed in dubio praesumuntur censurae. **Can. 2255.**

ART. 1.

De excommunicatione.

299. — *Q.* Quid est excommunicatio.

R. Excommunicatio est *censura qua quis excluditur a communione fidelium cum effectibus qui in canonibus enumerantur, quique separari nequeunt.* **Can. 2257.**

Excommunicatus alius est *vitandus*, alius *toleratus*.—Nemo est vitandus, nisi fuerit nominatim a Sede Apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit pu-

blice denuntiata, et in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum vitari debere; salvo praescripto Can. 2343, § 1; qui Can. sic habet: Qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit excommunicationem contrahit latae sententiae Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatam, et est ipso facto vitandus [1].

300. — *Q.* Quinam effectus excommunicationis:

R. Effectus excommunicationis sequentes sunt; 1° Privatio divinorum officiorum; 2° Privatio usus activi et passivi Sacramentorum; 3° Privatio indulgentiarum, suffragiorum, et publicarum Ecclesiae precum; 4° Privatio quarundam aliarum facultatum, ut inferius dicetur § 4°.

§ 1°

Privatio divinorum officiorum.

301. — *Q.* Quaenam intelliguntur nomine divinorum officiorum?

R. Nomine divinorum officiorum intelliguntur functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur, et a solis clericis fieri queunt. **Can. 2256;** uti Missa, publica processio, horae canonicae publice decantatae, cantus Epistolae, vel Evangelii etc.

Excommunicatus quilibet caret iure assistendi divinis officiis, non tamen praedicationi verbi Dei. **Can. 2259.**

Excommunicatus non solum vitandus, sed etiam toleratus non potest nec divina officia exercere, nec ipsis assistere; et graviter peccat si in parte notabili assistat, ita ut moraliter censeatur cum aliis communicare, nisi excuset ignorantia, vel necessitas vitandi scandali.

Quoad *horas canonicas*, clericus excommunicatus ab ipsis non dispensatur, quia poena non debet esse reo lucrosa, unde debet illas privatim recitare, et si cum aliis recitat, non debet dicere *Dominus vobiscum*, secus venialiter peccat; si vero solus recitat, dicendo *Dominus vobiscum* nullomodo peccat, juxta plures, quia tunc illa salutatio erit tantum privata oratio pro aliis.— *Toleratus* nullo modo peccat si recitat cum alio a quo requiratur. *Vitandus* vero, si *privatim* recitat cum aliis, videtur venialiter tantum peccare, secluso scandalo, et contemptu; non enim videtur materia gravis uti socio ad recitandum officium privatim, sicut ad dicendum rosarium. Famulus autem qui jussu domini, vel Episcopi, excommunicati vitandi, cum illo recitat nec leviter quidem peccat, quia tunc praestat obsequium famulatus [2].

302. — *Q.* Excommunicatus si divinis officiis assistit est ne repellendus?

R. Excommunicatus *toleratus*, si passive assistat non est repellendus. Si *vitandus*, expellendus est; aut, si expelli nequeat, ab officio cessandum, dummodo id

[1] Etsi ex jure non tenemur excommunicatos *toleratos* vitare, adsunt tamen circumstantiae peculiares, in quibus eos vitare tenemur ex praecepto prudentiae vel caritatis, quoties nempe eosdem non vitando adesset periculum scandali aut damni spiritualis; vel si eos fugiendo, spes prudens oriretur illorum emendationis; quae omnia in haereticis praesertim locum habere solent. Quare Apostolus: *Haereticum hominem post unum et secundum correptionem devita.*

[2] S. Alph., L. VII! 174, 178!

fieri possit sine gravi incommodo; ab assistentia vero activa, quae aliquam secumfert participationem in celebrandis divinis officiis, repellatur non solum vitandus, sed etiam quilibet post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut alioquin notorie excommunicatus. **Can. 2259.**

Hinc si excomunicatus *vitandus* officiis divinis assistit monendus est ut recedat, et, si nolit, erit expellendus, licet sit sacerdos. Quod si eum expellendo grave timeatur incommodum (quod hodie timendum est maxime ex parte civilis potestatis) tunc omittendum est divinum officium, etiam die festo, et si jam incoeptum est interrumpi debet, si possit. Dico: *si possit*, nam in missa si celebrans canonem nondum inchoavit, ipsam obrumpat. Si jam inchoavit, sed nondum consecravit, potest juxta duplicem sententiam aeque probabilem, vel missam obrumpere, vel prosequi. Si vero jam consecravit, tunc missam prosequatur, solo manente ministro, usque ad communionem, et reliqua in sacristia vel alio loco decenti perficiat [1]; interim adstantes recedere tenentur, secus saltem venialiter peccant [2].

303. — *Q.* Excommunicatus tenetur ne tollere impedimentum excommunicationis ad implendum praeceptum missae, vel annuae confessionis et communionis?

R. Negant communiter teneri quoad missam, etiamsi negligens sit in obtinenda absolutione, nisi hoc faciat animo se eximendi ab obligatione audiendi sacrum, quia nemo tenetur ad tollenda impedimenta extraordinaria, ut se habilem reddat ad implendum praeceptum ecclesiasticum.

Secus tamen dicunt quoad annuam confessionem et communionem, cum hoc sit unum ex praeceptis divinis, circa quae tenemur tollere impedimenta [3].

§ 2.°

Privatio usus activi et passivi Sacramentorum et Sacramentalium.

304. — *Q.* Excommunicatus potest ne licite Sacramenta et Sacramentalia conficere et ministrare?

R. Excommunicatus prohibetur licite Sacramenta et Sacramentalia conficere et ministrare, salvis exceptionibus, quando nempe fideles ex iusta causa ipsa petere ab eo possunt. **Can. 2261.**

Fideles autem possunt ex qualibet iusta causa ab excommunicato tolerato Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint; et tunc excommunicatus requisitus potest eadem ministrare, neque tenetur ulla obligatione causam a requirente percontandi.

Sed ab excommunicatis vitandis nec non ab aliis excommunicatis, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem ad normam can. 2252, tum etiam, si alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia. **Can. 2261.**

Quare vitandus, excepto mortis periculo, semper illicite Sa-

[1] S. Alph., L. VII, 171.
[2] *Ballerini*, Op. Th. Mor. VII, 399.
[3] S. Alph., L. VII, 161.

cramenta administrat, et irregularitatem incurrit, licet sit a fidelibus rogatus, quia Ecclesia prohibet cum ipso, etiam remoto scandalo et periculo perversionis, quamlibet communicationem in divinis [1].

Toleratus vero, si sponte ministrat, graviter peccat et irregularitatem incurrit, quia Ecclesia ipsi etiam talem administrationem sub gravi prohibet. Si vero est a fidelibus rogatus, saltem tacite, nec peccat, nec irregularitatem incurrit, quia tunc Ecclesia tolerat ut ipse administret, modo, quoad suam coscientiam, sit in statu gratiae, nec prius possit absolutionem a censura obtinere [2].

305. — *Q.* Excommunicatus potest ne Sacramenta recipere?

R. Excommunicatus antequam Sacramenta recipiat tenetur, si potest, absolutionem a censura obtinere.

Si autem hanc absolutionem obtinere non potest, tunc quoad *validitatem*, excommunicatus, licet vitandus, valide Sacramenta recipit, excepta Poenitentia; quia poenitens qui agit contra gravem Ecclesiae prohibitionem verum dolorem non habet, nisi forte bona fide accedat et cetera ad essentiam sacramenti requisita deferat; tunc enim valide Sacramentum Poenitentiae recipit, quia Ecclesia nequit directe inhabiles reddere eos qui ex jure divino habiles sunt. Ita verior sententia [3].

Quoad *licitatem* vero, sive toleratus, sive vitandus etiam licite Sacramenta recipit si est in *casu necessitatis*, et tunc potest recipere non solum Sacramentum Poenitentiae et Extremam Unctionem, sed probabiliter etiam Eucharistiam; *item* si eum excuset ignorantia invincibilis; vel si adsit metus mortis, aut infamiae, aut jacturae bonorum, quia leges Ecclesiae non obligant cum gravi incommodo sive spirituali, sive temporali. Quare si excommunicatus occultus censura reservata innodatus, necessitatem habeat communicandi ad vitandam infamiam, tunc bene potest Eucharistiam recipere. Et in hoc casu, probabilius, potest accedere ad Sacramentum Poenitentiae; - ratio, quia sicut tunc excommunicatio non privat susceptione Eucharistiae, ita nec Poenitentiae, quae debet suscipi cum possit, ut servetur divinum praeceptum praemittendae confessionis communioni [4].

Seclusis his casibus, tam vitandus quam toleratus peccat graviter si Sacramenta recipit, quia agit contra gravem prohibitionem Ecclesiae.

§ 3.°

Privatio indulgentiarum, suffragiorum, et publicarum Ecclesiae precum.

306. — *Q.* Quid est suffragium, et quomodo dividitur?

R. Suffragium definiri solet:

[1] Sub poena irregularitatis prohibiti tantum sunt actus ordinis, non vero jurisdictionis.

[2] Tacite rogatus se uper intelligitur is, qui necesse habet haec praestare ex officio, uti Parochus; vel cum implenda sint Ecclesiae praecepta, v. g. missa audienda die festo, aliis deficientibus, licet ex officio non teneatur. S. Alph., L. VII, 165, 169; *D'Annibale*, I, 331, (8).

[3] S. Alph., L. VII, 157.

[4] S. Alph., L. VI., 265, q. B.

Auxilium spirituale alteri applicatum in ejus bonum spirituale, ad obtinendam nempe remissionem culpae vel poenae, et prodesse potest ex opere operato, uti missa, vel ex opere operantis, uti oratio.

Suffragia alia sunt communia seu publica, alia privata. — *Communia* sunt quae proveniunt ex bonis operibus factis nomine Ecclesiae ab ejus ministris, v. g. missa, preces publicae, etc. Ad haec revocari debent fructus satisfactionum Christi, B. M. V. et Sanctorum, qui per indulgentias fidelibus applicantur. — *Privata* sunt quae proveniunt ex bonis operibus factis nomine proprio a fidelibus, et etiam a ministro uti persona privata.

307. — *Q.* Excommunicatus quibusnam suffragiis privatur?

R. Excommunicatus privatur publicis Ecclesiae suffragiis et precibus, factis nempe nomine Ecclesiae. Non privatur tamen suffragiis et precibus privatis, quia fideles non prohibentur privatim pro eo orare; et Sacerdos potest Missam privatim ac remoto scandalo pro eo applicare; sed, si sit vitandus, pro eius conversione tantum. **Can. 2262, § 2.**

§ 4.°

Privatio actuum legitimorum ecclesiasticorum.

308. — *Q.* Quaenam significantur nomine actuum legitimorum ecclesiasticorum?

R. Nomine actuum legitimorum ecclesiasticorum significantur: munus administratoris gerere bonorum ecclesiasticorum; partes agere iudicis, auditoris et relatoris, defensoris vinculi, promotoris iustitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis; munus patrini agere in sacramentis baptismi et confirmationis; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis, ius patronatus exercere. **Can. 2256.**

309. — *Q.* Excommunicatus a quibus actibus removetur, vel prohibetur?

R. Excommunicatus removetur ab actibus legitimis ecclesiasticis intra fines suis in locis iure definitos; nequit in causis ecclesiasticis agere, nisi ad normam Can. 1654[1], officiis seu muneribus fungi, concessisque antea ab Ecclesia privilegiis frui. **Can. 2263.**

Actus iurisdictionis tam fori externi quam fori interni positus ab excommunicatus est illicitus; et, si lata fuerit sententia condemnatoria vel declaratoria, etiam invalidus, salvo praescripto Can. 2261, § 2; secus est validus, imo etiam licitus, si a fidelibus ad normam Can. 2261, § 2, petitus sit. **Can. 2264.**

Quilibet excommunicatus: 1° prohibetur iure eligendi, praesentandi, nominandi; 2° nequit consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas, aliudve munus in Ecclesia; nequit promoveri ad ordines. **Can. 2265, § 1.**

[1] Excommunicatis vitandis aut toleratis post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam permittitur ut per se ipsi agant tantummodo ad impugnandam iustitiam aut legitimitatem ipsius excommunicationis; per procuratorem ad aliud quodvis animae suae praeiudicium avertendum; in reliquis ab agendo repelluntur. § 2. Alii excommunicati generatim stare in iudicio queunt.

[2] Cfr. n 304.

Actus tamen positus contra praescriptum § 1, n. 1°, 2° non est nullus, nisi positus fuerit ab excommunicato vitando vel ab alio excommunicato post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam ; quod si haec sententia lata fuerit, excommunicatus nequit praeterea gratiam ullam pontificiam valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione fiat. **Can. 2265.**

Post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam excommunicatus manet privatus fructibus dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris, si quod habeat in Ecclesia; et vitandus ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere. **Can. 2266.**

Communionem in profanis cum excommunicato vitando fideles vitare debent, nisi agatur de coniuge, parentibus, liberis, famulis, subditis, et generatim nisi rationabilis causa excuset. **Can. 2267.**

ELENCUS

EXCOMMUNICATIONUM LATAE SENTENTIAE QUAE CONTINENTUR IN CODICE IURIS CANONICI

Excommunicationes latae sententiae, quae novo jure vigent, in quinque classes dividi possunt, pro maiore vel minore difficultate absolutionis, nempe: 1° aliae sunt *specialissimo modo* S. Sedi reservatae ; 2° aliae vero quae *speciali modo* S. Sedi reservantur; 3° aliae sunt S. Sedi *simpliciter* reservatae ; 4° aliae quarum absolutio Ordinariis reservatur ; 5° demum quae absolvi possunt a quolibet confessario in foro interno, seu quorum absolutio nemini reservatur.

Nota : Quod ad poenas attinet, quarum in Codice nulla fit mentio spirituales sint vel temporales, medicinales vel, ut vocant, vindicativae, latae vel ferendae sententiae, eae tanquam abrogatae habeantur. **Can. 6, 5°.**

1°

*Excommunicationes **specialissimo modo** Sedi Apostolicae reservatae.*

I. Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit, est suspectus de haeresi ; incurrit in excommunicationem latae sententiae specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam ; est ipso facto infamis, et clericus praeterea est deponendus. **Can. 2320** [1].

[1] Ille *abjicit* qui rem a se habitam nihili facit et in locum abjectum seu vilem projicit. Casus est furis, qui vasa sacra cum particulis e ciborio abstulit ; vasa sacra conservat, et sacras particulas per viam, per agrum etc. disperdit. E contra non abjicit qui sacris vasibus extractis, particulas funderet super mensam altaris; ubi deinceps a sacerdote colligi possunt. Pro eo qui species consecratas abjicit non requiritur ut eas abjiciat ad malum finem, sufficit ut abjiciat.

Ille species consecratas, *abducit*, qui, ex. g. sumpta in ecclesia sacra communione, dein particulam ex ore in libro vel marsupio reponit, et dein ad alium locum defert.

Ille vero *retinet* qui particulam sibi a primo delatam recipit et custodit ut dein eam deferat, ex. gr. in coetu massonico, etc. — Abductio et retentio fieri debent *ad malum finem*, nempe abducens vel retinens sciant species consecratas inservire ad positivam profanationem.

II. Qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit excommunicationem contrahit latae sententiae Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatam; et est ipso facto vitandus.—Est ipso iure infamis—Clericus est degradandus. **Can. 2343** [1].

III. Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri.

Eamdem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est. **Can. 2367** [2].

IV. Confessarium, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit, manet excommunicatio specialissimo modo Sedi Apostolicae riservata. Qui vero indirecte tantum, obnoxius est poenis de quibus in Can. 2369. § I. nempe suspendatur a celebratione Missae, ab audiendis sacramentalibus confessionibus, etc. **Can. 2369** § I [3].

2°

Excommunicationes ***speciali modo*** *Sedi Apostolicae reservatae.*

I. Omnes a christiana fide apostatae, et omnes et singulis haeretici aut schismatici incurrunt ipso facto excommunicationem, speciali modo Sedi Apostolicae reservatam. **Can. 2314, § 1.**

Si tamen delictum apostasiae, haeresis vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem, idem Ordinarius, non vero Vicarius Generalis sine mandato speciali, resipiscentem, praevia absolutione iuridice peracta, aliisque servatis de iure servandis, sua auctoritate ordinaria in foro exteriore absolvere potest; ita vero absolutus, potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae. Abiuratio vero habetur iuridice peracta cum fit coram ipso Ordinario loci vel eius delegato, et saltem duobus testibus. **Can. 2314, § 2.**

II. Suspectus de haeresi, qui monitus causam suspicionis non removeat, actibus legitimis prohibeatur, et clericus praeterea, re-

[1] Violentas manus injiciunt illi qui, non verbis aut minis, sed opere in personam R. Pontificis inferant iniuriam gravem sub ratione iniuriae, sive personam laedant, etiam non graviter, corpus percutiendo manu aut calce aut fuste vel ense, etc. aut etiam venenum propinando (quo in casu censura habetur cum primum incipit nocere); sive laedant dignitatem conspuendo, vel sordibus maculando, vestes conscindendo, etc.; sive laedant libertatem detinendo, vel traducendo in carcerem, etc. Evidenter requiritur quod haec manuum iniectio fiat cum notitia de persona R. Pontificis et cum malitia gravi; at non requiritur quod fiat ex odio, sive in Vicarium Christi, sive in personam, eo magis quod non habetur clausula « suadente diabolo »; etsi fiat intuitu mercedis acceptae, aut pactae adhuc incurritur haec excommunicatio.

[2] Cfr. Vol. II. N. 553 et seq.

[3] Cfr. Vol. II. N. 598 et seq.

petita inutiliter monitione, suspendatur à divinis; quod si intra sex menses a contracta poena completos, suspectus de haeresi sese non emendaverit, habeatur tanquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius. **Can. 2315.**

Si quis, obdurato animo, per annum insorduerit in censura excommunicationis, est de haeresi suspectus. **Can. 2340.**

Qui quoquo modo haeresis propagationem sponte et scienter iuvat, aut qui communicat in divinis cum haereticis contra praescriptum Can. 1258, suspectus de haeresi est. **Can. 2316** [1].

III. In excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ipso facto incurrunt, opere publicis iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes. **Can. 2318** [2].

IV. Si quis ad ordinem sacerdotalem non promotus, Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit, excommunicationem ipso facto contrahit speciali modo Sedi Apostolicae reservatam. **Can. 2322.**

V. Omnes et singuli cuiuscumque status, gradus seu conditionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalis fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad Universale Concilium appellantes, sunt suspecti de haeresi et ipso facto contrahunt excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam. **Can. 2332** [3].

VI. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta, eorumve promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos ad quos pertinent litterae vel acta sive alios laedentes vel perterrefacientes, ipso facto subiaceant excommunicationi Sedi Apostolicae speciali modo reservatae. **Can. 2333** [4].

VII. Excommunicatione latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservata plectuntur: 1° Qui leges, mandata, vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt; 2° Qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem. **Can. 2334** [5].

VIII. Si quis contra praescrip-

[1] Can. autem 1258 haec habet: Haud licitum est fidelibus quovis modo assistere seu partem habere in sacris acatholicorum.

[2] Cfr. Vol. I. N. 392 et seq.

[3] Leges, decreta, mandata quae respiciunt non regimen civilem, sed spiritualem seu bonum animarum. Appellatio fieri debet ad universale Concilium, non ad futurum Pontificem, nec a Pontifice male informato ad Pontificem melius informandum.

[4] Recursus, prohibitio, etc. necesse est ut effectum habuerint.

[5] Comprehenduntur qui imperio, vel minis directe, vel indirecte scilicet impediendo ne quis Curiae ecclesiasticae addictus suum officium in ea re adimpleat vel qui per recursum ad tribunal civile effectum huius iurisdictionis eludunt, ut si quis ad laicam potestatem recurreret ne a Gubernio *R. Exequatur vel R. Placet* concedatur ei qui ab ecclesiastica auctoritate iurisdictionem obtinuit. Iuxta plures requiritur ut recursus, mandatum, consilium suum effectum habeat.

tum Can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus, vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium, contrahit ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam. **Can. 2341** [1].

IX. Qui violentas manus in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis iniecerit incurrit latae sententiae Sedi Apostolicae speciali modo reservatam. Item in eamdem excommunicationem incurrit qui manus violentas iniecerit in personam Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum. **Can. 2343** [2].

X. Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, subiaceant excommunicationi latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatae. **Can. 2345.**

XI. Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes incurrunt ipso facto in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam. **Can. 2360.**

XII. Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit, ipso facto incurrit in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam, a qua nequit nullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia, firmo praescripto Can. 894, nempe: Unicum peccatum *ratione sui* reservatum Sanctae Sedi est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos. **Can. 2363.**

3.°

Excommunicationez Sedi Apostolicae ***simpliciter*** *reservatae.*

I. Quaestum facientes ex indulgentiis plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata. **Can. 2327** [3].

II. Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur, contrahunt ipso facto excommunicationem Sedi A-

[1] Excommunicatio plectit qui *ausi fuerint* nec gravi metu compulsi, *trahere* quempiam ex privilegiatis ad iudicem laicum, non ubi testem, sed cum plena ac perfecta imputabilitate. — Officiales maiores R. Curiae sunt qui, praeter Cardinales, eliguntur absque concursu a R. Pontifice. Hi sunt: In Congr. S. Officii Adsessor et Commissarius, in Congr. de Sacramentis Secretarius ac tres Subsecretarii; in Congr. Concilii et de Religiosis Secretarius et Subsecretarius. Auditores S. Rotae, quamvis a Summo Pontifice eligantur, non videntur officialibus maioribus accensendi. Quoad praedictos officiales tantum necesse est ad excommunicationem quod quis ad iudicem laicum trahere ausus fuerit *ob negotia ad eorum munus pertinentia*, non ob ea quae spectant ad personam individuam vel alia.

[2] Cfr. Vol. II. n. 133.

[3] Quaestum faciunt qui indulgentias concedunt, vel publicant, vel publicari faciunt non ad bonum animarum fidelium, vel defunctorum, sed ad lucrum; requiritur vero ut reapse lucrum excipiant.

postolicae simpliciter reservatam. **Can. 2335** [1].

III. Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam. **Can. 2338** § 1.

IV. Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes, ipso facto incurrunt in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam. **Can. 2338.** § 2 [2].

V. Si quis contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere Episcopum etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum *nullius*, vel aliquem ex maioribus religionum iuris pontificii Superioribus, incurrit excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam. **Can. 2341** [3].

VI. Plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata: 1° Clausuram monialium violantes, cuiuscumque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes. **Can. 2342** [4].

VII. Excommunicationem incurrunt: 1° Mulieres violantes

[1] In hoc canone veniunt non solum sectae massonicae, sed aliis sectis eiusdem generis, uti societas *Carbonaria*, *Fenianorum*, societas *internationalisticae*, *nihilisticae*, *anarchicae*. Ad censuram incurrendam requiritur ut qui nomen dederit cognoscat finem sectae, et censuram sciat. — Utrum veniant societates *socialistae*, *communisticae*, quae certe prohibitae sunt, *Lega di insegnamento*, società *Dante Alighieri*, *Fascio democratico*, disput. Th. E contra veniunt sub hoc canone societates *crematoriae*, quia societatis massonicae filiae sunt.

[2] Excommunicantur impendentes quodvis auxilium physicum vel morale, v. g. exhortando ad pertinaciam, vel eius causam perorando penes dominum qui vellet eum dimittere.

Excommunicantur clerici in sacris, non Episcopi, neque clerici in minoribus si cum ipso communicant in divinis *scienter et sponte*.

[3] Religiones iuris pontificii sunt quae approbationem vel saltem laudis decretum a S. Sede consecutae sunt — Superiores autem maiores sunt abbas Primas, abbas Superior Congr. monasticae, supremus religionis Moderator, Superior provincialis, aliique ad instar provincialium potestatem habentes. Voces: « Moderator, Superior » utriusque generis sunt.

Praescriptum Can. 120 sic habet: Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit. Et si ratione necessitatis apud iudicem laicum conveniri debent veniam ab Ordinario loci obtineant. Quod si tempus non ferat veniam petendi, ad vitanda maiora mala comparere possunt, certiore tamen facto Superiore a quo venia obtenta non fuit.

[4] Clausura est illud monasteriorum regularium spatium, intra quod extranei ingredi non licet, extra quod regulares egredi non possunt nisi cum debita licentia et in casibus a iure permissis. — Hoc clausurae spatium comprehendit omne quod septis monasterii continetur, uti claustrum, valetitudinarium, officinas, hortos et his similia, nisi a loco praescripto separata sint muro convenienti. Sacristia, si ad eam ex claustro tantum aditus pateat, comprehenditur intra clausuram, secus non, saltem ex praxi communi si etiam ex ecclesia aditus pateat.

Excommunicantur. 1° *Ingredientes* in claùsuram *Monialium* sine debita licentia. Clausura intelligitur papalis, qua ne-

regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicumque ii sint, eas cuiuscumque aetatis introducentes vel admittentes. 2° Moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum. **Can. 601.** [1].

VIII. Si quis bona ecclesiastica cuiuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit, aut impedire ne eorundem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, excommunicationi tandiu subiaceat, quandiu bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit. **Can. 2346.** [2].

IX. Duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes vel quamlibet operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, subsunt ipso facto excommunicationi Sedi Apostolicae simpliciter reservatae. **Can. 2351.** [3].

X. Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam ci-

cessario gaudent monasteria monialium sensu proprio, seu votorum solemnium. — Huic censurae obnoxiae sunt personae cuiuscumque generis, conditionis, sexus; etiam Episcopi et Praelati, non vero Cardinales, ingredientes sine legitima causa. Impuberes tenentur prohibitione ingrediendi, non excommunicatione. Causa ingrediendi oportet sit legitima tum ex parte concedentis, seu Ordinarii loci, tum ex parte causae. — Hinc ingredi possunt Episcopi in casu visitationis, Confessarius sive ordinarius sive extraordinarius ad sacramenta infirmis ministranda, Medicus ordinarius, vel medici vocati ad consultum, Fabri et alii operarii necessarii. Convenit autem ut prius pro medicis, chirurgis, aliisque quorum opera necessaria sit, impetretur saltem habitualis approbatio ab Ordinario loci. Si vero tempus urgeat, nec tempus sceppetat approbationem potendi, haec iure permittitur. Qui licite propter necessitatem ingressus sit vix necessitas cessat, egredi tenetur et quidem sub gravi si mora sit gravis, v. g. ultra quadrantem, in poenam tamen non incurrit, quia lata est contra violantes clausuram *ingrediendo* 2° Excommunicantur *Introducentes*, nempe qui aliquem etiam impuberem introducunt non habentem debitam licentiam. — 3° *Admittentes*, uti Abatissa, janitrix, vel aliae moniales praefectae quae ianuam aperiant, vel aperiri jubeant alicui ingrendienti sine debita licentia. Verum quidem est quod impuberes huic censurae non sunt obnoxii, sed illos introducentes, vel admittentes sine debita licentia censuram incurrunt.

[1] Excommunicantur mulieres nempe feminae puberes, quae sine debita licentia clausuram violant. Quamvis enim a clausura *regularium* excludendae sint mulieres cuiusvis actatis (Can. 398. § I) tamen impuberes a poenis latae sententiae excusantur. Cum agatur de clausura papali debita licentia danda est immediate aut mediate a S. Sede. Poenam incurrunt etiam *introducentes* vel *admittentes* sensu iam exposito. — Moniales, nempe religiosae quae vota solemnia iam emiserunt; unde non religiosae quae votorum simplicium pro triennio, quia durante tali triennio non sunt moniales proprio sensu. Poenam incurrunt moniales quae e clausura toto moraliter corpore egrediuntur etiam brevissimo tempore. Monialis quae egreditur cum debita licentia, vix cessat iusta causa, statim regredi tenetur, secus peccat et quidem graviter.

[2] Praescriptum huius canonis egressum e monasterio vetat etiam ad breve tempus, quovis praetextu, sine speciali S.Sedis indulto, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali.

[3] Cfr. Vol. I. Appendix de Ecclesiae dominio in bona temporalia p. 556.

Cfr. Vol. I. N. 713.

viliter tantum contrahere praesumentes, incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam. **Can. 2388.**

XI. Delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis in currunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam. **Can. 2392** [1].

XII. Vicarius Capitularis aliive omnes tam de Capitulo, quam extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam Episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam. **Can. 2405.**

4.°

Excommunicationes latae sententiae ***Ordinario*** *reservatae.*

I. Subsunt excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae catholici :

1° Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra praescriptum **Can. 1063** [2].

2° Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam.

3° Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt.

4° Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt. **Can. 2319.**

II. Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit, ipso facto excommunicationem Ordinario reservatam incurrit. **Can. 2326.**

III. Qui violentas manus iniecerit in personam clericorum, (qui non sunt Episcopi) vel utriusque sexus religiosorum, subiaceat ipso facto excommunicationi Ordinario proprio reservatae. **Can. 2343** § 4 [3].

IV. Procurantes abortum, matre non excepta, incurrunt, effectu secuto, in excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam. **Can. 2350** [4].

V. Religiosus, apostata a religione, ipso iure incurrit in excommunicationem, proprio Superiori maiori vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci, in quo commoratur, reservatam. **Can. 2385.**

VI. Professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, matrimonium etiam civiliter tantum, itemque omnes cum eis tale matrimonium contrahere praesumentes, incurrunt in excommunicationem latae sententiae. Ordinario reservatam. **Can. 2388.**

5.°

Excommunicationes ***nemini*** *reservatae.*

I. Auctores et editores qui sine debita licentia sacrarum Scriptu-

[1] Cfr. Vol. 1. n. 545 et seq.

[2] Hoc autem canone decernitur: Etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimentum mixtae religionis non licet adire ministrum acatholicum uti sacris addictum. Non improbatur tamen, quod lege civili iubente, coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico, officialis civilis tantum munere fungente.

[3] Cfr. Vol. II, N. 131 et seq.

[4] Cofr. Vol. I, N. 710.

rarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam. **Can.** 2318 § 2. [1].

II. Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, vel haereticos schismaticos, aliosve sive excommunicatos sive interdictos contra praescriptum can. 1240, § I, contrahunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam. **Can.** 2339.

Sepultura ecclesiastica consistit in cadaveris translatione ad ecclesiam, exequiis super illud in eadem celebratis, illius depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis. **Can.** 1204 [2]. Sepulturae ecclesiasticae tradatur, ita tamen ut removeatur scandalum [3].

III. Qui bona ecclesiastica alienare praesumpserit, aut in iis alienandis consensum praebuerit, scienter praetermisso beneplacito apostolico, (quando huiusmodi beneplacitum requiritur), excommunicationem incurrit nemini reservatam. **Can.** 2347; 3° [4].

IV. Excommunicatione nemini reservata ipso facto plectuntur omnes qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoque modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam solemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam. **Can.** 2352 [5].

V. Fidelis, qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare contra praescriptum can. 904, incurrit in excommunicationem latae sententiae nemini reservatam, non absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit. **Can.** 2368, § 2 [6].

[1] Poenam incurrunt *Auctores* adnotationum et versionum, *Editores* qui libros, adnotationes, versiones imprimi curant sine debita licentia; non autem incurrunt proprietarii tipographiae, nisi sint simul editores, nec compositores, impressores, venditores.

[2] Praescriptum can. 1240 § 1° haec habet: Ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa: 1° Notorii apostatae a christiana fide, aut sectae haereticae aut sectae massonicae aliisve eiusdem generis societatibus notorie addictis; 2° Excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam; 3° Qui se ipsi occiderint deliberato consilio; 4° Mortui in duello aut ex vulnere inde relato; 5° Qui mandaverint suam corpus cremationi tradi; 6° Alii peccatores publici et manifesti. — § 2. Occurrente praedictis in casibus aliquo dubio, consulatur, si tempus sinat, Ordinarius, permanente dubio, cadaver sepulturae ecclesiasticae tradatur, ita tamen ut removeatur scandalum. (Cfr. Vol. II, n. 673).

[3] Cfr. Vol. II, n. 673.

[4] Porro, iuxta can. 534, § 1, et 1532, § 1, requiritur beneplacitum apostolicum seu licentia S. Sedis, quando agitur de alienandis *rebus pretiosis*, aut illis quae valorem *triginta millium* francorum seu libellarum excedunt.

[5] Excommunicationem incurrunt omnes, Cardinales excepti, qui *quoquo modo* cogant, vi vel metu etiam reverentiali. Licet autem peccatum fiat in actu cogendi, excommunicato tamen incurritur solum cum vir statum clericalem amplectitur per susceptionem primae tonsurae; vel cum vir vel femina religionem ingreditur, vel professionem emittit.

[6] Praescriptum can. 904 hoc est. Debet poenitens sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario vel Sacrae Congregationi S. Officii; et confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere poenitentem monere.

ART. II.

De interdicto.

310. — *Q.* Quid est interdictum ?

R. Interdictum est *censura qua fideles, in communione Ecclesiae permanentes, prohibentur sacris quae in canonibus, qui sequuntur, enumerantur.*

Prohibitio fit vel directe per interdictum personale, cum personis ipsis usus eorum bonorum interdicitur; vel indirecte per interdictum locale, cum certis in locis eorumdem dispensatio vel perceptio vetatur. **Can. 2268.**

Interdictum personale sequitur personas ubique; locale non urget extra locum interdictum, sed in loco interdicto omnes etiam exteri aut exempti, excluso speciali privilegio, illud servare debent. **Can. 2269, § 2.**

311. — *Q.* Quinam ferre possunt interdictum ?

R. Interdictum generale tam locale in territorium dioecesis, reipublicae, quam personale in populum dioecesis, reipublicae, ferri tantum potest a Sede Apostolica, vel de eius mandato. Interdictum vero generale in paroeciam vel paroeciae populum, et particulare sive locale sive personale, etiam Episcopus ferre potest. **Can. 2269, § 1.**

312. — *Q.* Interdictum quid vetat ?

R. Interdictum locale sive generale sive particulare non vetat morientibus Sacramenta et Sacramentalia, servatis servandis, ministrare; sed prohibet in loco quodlibet divinum officium vel sacrum ritum, salvis exceptionibus quae inferius continentur.

1° In die Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi et Beatae Mariae Virginis in coelum assumptae interdictum locale suspenditur, et prohibetur tantum collatio ordinum et solemnis nuptiarum benedictio. **Can. 2270, § 2.**

2° Si interdictum fuerit locale generale et interdicti decreto aliud non caveatur expresse: 1° Permittitur clericis, dummodo non sint ipsi personaliter interdicti, omnia divina officia et sacros ritus in quacumque ecclesia aut oratorio privatim obire, ianuis clausis, voce submissa, et campanis non pulsatis—2° In ecclesia vero cathedrali, ecclesiis paroecialibus vel in ecclesia quae unica sit in oppido, in iisque solis, permittuntur unius Missae celebratio, asservatio sanctissimi Sacramenti, administratio baptismatis, Eucharistiae, poenitentiae, assistentia matrimoniis, exclusa benedictione nuptiali, mortuorum exequiae, vetita tamen quavis solemnitate, benedictio aquae baptismalis et sacrorum oleorum, praedicatio verbi Dei. In his tamen functionibus prohibetur cantus et pompa in sacra supellectili et sonitus campanarum, organorum, aliorumve instrumentorum musicalium : sacrum autem Viaticum ad infirmos privatim deferatur. **Can. 2271.**

313. — *Q.* Quomodo interpretandum est interdictum locale particulare ?

R. In interdicto locali particulari, si interdictum fuerit altare, vel sacellum alicuius ecclesiae, nullum sacrum officium seu sacer ritus in eisdem celebretur. — Si interdictum fuerit coemeterium, fidelium quidem cadavera sepiliri ibidem possunt, sed sine ullo ecclesiastico ritu.

Si interdictum latum fuerit in certam ecclesiam vel oratorium : 1° Si ecclesia fuerit capitularis, nec interdictum sit Capitulum valet praescriptum Can. 2271, § 1. nisi interdicti decretum praecipiat Missam conventualem celebrari et horas canonicas recitari in alia ecclesia aut oratorio—2° Si fuerit paroecialis, servetur praescriptum cit. can. 2271, n. 2, nisi interdicti decretum aliam ecclesiam pro interdicti tempore eidem substituat. **Can. 2272.**

314.— *Q.* Interdicta civitate vel ecclesia quaenam quoque interdicta manent ?

R. Interdicta civitate, interdicta quoque manent loca accessoria etiam exempta et ipsa ecclesia cathedralis. Interdicta ecclesia, interdicta sunt sacella contiqua, non vero coemeterium. Interdicto sacello, non est interdicta integra ecclesia nec, interdicto coemeterio, interdicta est ecclesia ipsi contiqua, sed interdicta sunt omnia oratoria in coemeterio erecta. **Can. 2273.**

315 — *Q.* Quaenam prohibentur personaliter interdictis ?

R. 1° Personaliter interdicti nequeunt divina officia celebrare eisve, excepta praedicatione verbi Dei, assistere; passive assistentes non est necesse ut expellantur ; sed ab assistentia activa, quae aliquam secum ferat participationem in divinis officiis celebrandis, repellantur interdicti post latam sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, aut alioquin notorie interdicti. — 2° Prohibentur Sacramenta et Sacramentalia ministrare, conficere et recipere ad normam can. 2260, 2261. — 3° Praescripto can. 2265 etiam ipsi adstringuntur — 4° Carent sepultura ecclesiastica ad normam can. 1240, § I, n. 2. **Can. 2275.**

316. — *Q.* Interdictum ferri ne potest in communitatem seu collegium ?

R. Si communitas seu collegium delictum perpetraverit, interdictum ferri potest vel in singulas personas delinquentes, vel in communitatem, uti talem, vel in personas delinquentes et in communitatem. — Si primum servetur praescriptum can. 2275 nuper relatum.—Si alterum, communitas seu collegium nequit ius ullum spirituale exercere quod ei competat.— Si tertium, effectus cumulantur. **Can. 2274.**

Qui interdicto locali vel interdicto in communitatem seu collegium subest, quin eidem causam dederit, nec alia censura prohibeatur, potest, si rite sit dispositus, Sacramenta recipere ad normam canonum praecedentium, si ne absolutione ab interdicto aliava satisfactione. **Can. 2276.**

317. — *Q.* Interdictum ab ingressu ecclesiae quid secum fert ?

R. Interdictum ab ingressu ecclesiae secum fert prohibitionem ne quis in ecclesia divina officia celebret vel eisdem assistat aut ecclesiasticam sepulturam habeat. Si autem assistat non est necesse ut expellatur, nec, si sepeliatur, opertet ut cadaver amoveatur. **Can. 2277.**

Interdicta quae continentur in Codice iuris canonici

I. Universitates, Collegia, Capitula aliaeve personae morales, quocumque nomine nuncupentur, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exi-

stentis, ad Universale Concilium appellantes, interdictum modo speciali Sedi Apostolicae reservatum incurrunt. **Can. 2332.**

II. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis, vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso iure contrahunt, donec, arbitrio eius cuius sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint. **Can. 2338, § 3.**

III. Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti. **Can. 2338, § 4.**

IV. Qui sponte ecclesiasticam sepulturam donarunt infidelibus, notoriis apostatis a fide, haereticis, schismaticis aliisve sive excommunicatis, sive interdictis, quibus vetita est ecclesiastica sepultura (can. 1240) interdictum contrahunt ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum. **Can. 2339.**

ART. III.

De suspensione

318. — *Q.* Quid est suspensio?

R. Suspensio est *censura qua clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur.* Can. 2278. § I. Ergo subiectum suspensionis est solus clericus.

Suspensionis effectus separari queunt; sed, nisi aliud constet, in *suspensione* generaliter lata comprehenduntur omnes effectus qui in canonibus huius articuli enumenrantur; contra in suspensione *ab officio* vel *a beneficio* omnes tantum effectus alterutrius speciei. **Can. 2278. § 2.**

Suspensio differt: 1° *ab excommunicatione*, haec enim differt etiam in laicos, et privat receptione Sacramentorum, et inhabilem reddit ad beneficia ecclesiastica, quod non facit suspensio: 2° *ab interdicto*, quia hoc fertur etiam in laicos; 3° *ab irregularitate*, quia haec est mera inhabilitas ad ordines suscipiendos, vel exercendos; 4° *a depositione* et *degradatione*, quia haec sunt merae poenae in vindictam criminis; e contra suspensio aliquando fertur per modum poenae, et aliquando per modum censurae, seu in medicinam, ut delinquens a contumacia desistat.

319. — *Q.* Suspensio quomodo dividitur?

R. 1° Suspensio alia est *ab officio*, et alia *ab utroque* simul. 2° Suspensio alia est *totalis*, et alia *partialis*, prout est ab omni functione ordinis et iurisdictionis, vel ab aliqua tantum; alia est *temporalis*, seu ad certum tempus [1], alia *conditionata*, quarum illa, elapso tempore, ista, verificata conditione, ex se ipsa cessat; et alia est *indefinita* et *absoluta*, quae manet donec per absolutionem tollatur.

320. — *Q.* Suspensio quaenam vetat?

[1] Utrum suspensio ad certum tempus, seu in tempus definitum censura sit an poena, disput. Th. S. Alph. ut censuram habet si lata sit ob delictum futurum; et rectius, subiungit Cl. D'Annibale, dummodo huiusmodi suspensio statuta sit a Rom. Pontifice, cui datum est derogare regulis iuris canonici, non vero ab alio inferiore. I. 386.

R. § 1° Suspensio *ab officio* simpliciter, nulla adiecta limitatione, vetat omnem actum tum potestatis, ordinis et iurisdictionis, tum etiam merae administrationis ex officio competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii.

§ 2° Suspensio a *iurisdictione* generatim, vetat omnem actum potestatis iurisdictionis pro utroque foro tam ordinariae quam delegatae; — 2° *A divinis*, omnem actum ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet;[1] — 3° *Ab ordinibus*, omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem in sacris; — 4° *A sacris ordinibus*, omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem. — 5° *A certo et definito ordine exercendo*, omnem actum ordinis designati; suspensus autem prohibetur insuper ordinem conferre et superiorem recipere receptumque post suspensionem exercere; — 6° *A certo et definito ordine conferendo*, ipsum ordinem conferre, non vero inferiorem nec superiorem; — 7° *A certo et definito ministerio*, ex. gr. audiendi confessiones, vel *officio* ex. gr. cum oura animarum, omnem actum eiusdem ministerii vel officii; — 8° *Ab ordine pontificali*, omnem actum potestatis ordinis episcopalis; — 9° *A pontificalibus*, exercitiumactum pontificalium, ad norman can. 337, § 2[2]. **can. 2279.**

321. — *Q.* Suspensio *a beneficio* quibusman privat?

R. 1.° Suspensio *a beneficio* privat fructibus beneficii, excepta habitatione in aedibus beneficialibus, non autem iure administrandi bona beneficialia, nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspenso expresse adimat et alii tribuat.

2.° Si, quamvis censura obstet, beneficiarius fructus percipiat, fructus restituere debet, et ad hanc restitutionem cogi potest canonicis, quoque, si opus sit, sanctionibus. **Can. 2280.**

Suspensio a *beneficio* privat quidem iure percipiendi eius fructus, uti sunt census, decimae, etc.; at non privat emolumentis ob onus personale debitis, uti quae proveniunt ex incertis stolae, ut dicitur, ex concione, ex administratione Sacramentorum, ex missa, etc. quia non sunt fructus beneficii.

322. — *Q.* Suspensio generaliter lata quaenam afficit?

R. Suspensio generaliter lata vel suspensio *ab officio* aut a *beneficio* afficit omnia officia aut beneficia, quae clericus habet in dioecesi Superioris suspendentis, nisi aliud appareat. Can. 2281. Et nisi aliter explicet usus, ait Scavini, 1. 853; plerumque enim suspensio, etsi absolute data sit, ordinarie intelligitur de sola missa.

323. — *Q.* Suspensio privatne suspensum aliquo iure?

R. Suspensus, sicut excommunicatus, 1° prohibetur iure eligendi, praesentandi, nominandi; 2° nequit consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas, aliudve munus in Ecclesiastico sive illud ab ordine, sive a iurisdictione proveniat.

[1] Suspensio *a divinis* in sensu proprio esset suspensio ab officio et beneficio simul; sed communiter accipitur pro suspensione ab omni officio ecclesiastico sive illud ab ordine, sive a iurisdictione proveniat.

[2] Exercere pontificalia in iure est sacras functiones peragere quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, idest baculum et mitram.

clesia; 3° nequit promoveri ad ordines, ad norman Can. 2265, de excommunicatione. **Can. 2283.**

324. — *Q.* Suspensio 1° a quonam; 2° et quot modis ferri potest?

R. Ad 1.m Suspensio ferri potest ab Ordinario loci, et etiam Vicario Capitulari; non vero a Vicario Generali sine mandato speciali, quia non habet potestatem infligendi poenas **Can. 2220 § 2.**

Ordinarius loci nequit clericum suspendere a determinato officio vel beneficio quod in aliena dioecesi reperiatur; sed suspensio latae sententiae, iure communi irrogata, afficit omnia officia vel beneficia in quacumque dioecesi possideantur. **Can. 2282.**

Ad 2.m Suspensio ferri potest:

1. Per modum *censurae,* quando nempe fertur a jure, vel ab homine per modum statuti generalis, aut etiam praecepti particularis ob crimen futurum, vel etiam praeteritum sed habens tractum successivum [1].

2. Per modum *simplicis poenae*, quando desunt censurae conditiones vel solemnitates, puta si fertur ob delictum omnino praeteritum, vel causa non expressa, vel non praemissa monitione.

3. Per modum *merae prohibitionis*, seu *ad cautelam*; et est cum superior aliquem ab exercitio solius ordinis suspendit ob publicam famam criminis, licet in judicio nondum confessi, vel probati, quia non decet sancta tractari ab eo de quo fama male refert.

4. Demum per modum *specialem,* qui dicitur *ex informata conscientia*; et est quando Episcopus ex causis gravibus in sua conscientia perpensis, ob crimen occultum et adeo grave ut talem promereatur punitionem, sine ulla monitione et forma judicii, clericum prohibet sive ab ascensu ad Ordines, sive ab eorum exercitio, aut ab officio, non tamen a beneficio, ut probabilius docent Th.

Episcopus in hujusmodi poena infligenda non tenetur dicere reo causam suspensionis, seu non tenetur delictum ipsi reo manifestare, sed tantum Sedi Apostolicae, si reus ad ipsam recurrat. Unde patet in suspensione ex informata conscentia non dàri recursum ad Metropolitam, sed tantum ad Sedem Apostolicam. Ita S. C. C. [2].

Suspensio si fertur ore tenus poena dicenda est non censura, quia cum censura non possit licite ferri sine scriptura non praesumitur Episcopum voluisse delinquere censuram ore tenus ferendo.

En Canones J. C. 1° Ordinariis licet ex informata conscientia clericos suos subditos suspendere ab officio sive ex parte sive etiam in totum. Can. 2186 — Ad ferendam hanc suspensionem neque formae iudiciales, neque canonicae monitiones requiruntur; sed satis est si Ordinarius simplici decreto declaret se suspensionem indicere. Can. 2187.—Huiusmodi decretum detur in scriptis, nisi adiuncta aliter exigant, designato die, mense et anno, in eoque expresse dicatur suspensionem ferri ex informata conscientia, seu ex causis ipsi Ordinario notis; et indi-

[1] S. Alph., L. VII, 314.

[2] *Vecchiotti*, vol. 2°, de poenis, c. IV.

cetur tempus durationis poenae.

Suspensio ex informata conscientia potest infligi etiam tanquam censura, dummodo in hoc casu clerico patefiat causa propter quam suspensio irrogatur.— Si suspensio non in totum sed ex parte infligatur, clare indicentur actus qui prohibentur. Can. 2188. — Suspensio ex informata conscientia valet si ex pluribus delictis unum tantum fuerit occultum. **Can. 2192.**

325. — *Q.* Quid de suspensione in communitatem vel collegium?

R. § 1. Si communitas seu collegium clericorum delictum commiserit, suspensio ferri potest vel in singulas personas delinquentes, vel in communitatem uti talem, vel in personas delinquentes et communitatem — § 2. Si primum serventur huius articuli canones. — § 3. Si alterum, communitas prohibetur exercitio iurium spiritualium, quae ipsi, uti communitati competunt.— § 4. Si tertium, effectus comulantur. **Can. 2285.**

326. — *Q.* Quaenam praecipue observanda sunt circa suspensionem?

R. Haec praecipue observanda sunt: 1° Suspensus simpliciter ab ordine non est suspensus a jurisdictione, nisi per accidens actus jurisdictionis requirat actum ordinis, uti esset absolutio sacramentalis in confessione; sic e contra suspensus a jurisdictione non est suspensus ab ordine. — 2° Suspensus ab ordine superiori non ideo est suspensus ab inferiori. — 3° Suspensus a beneficio non censetur suspensus ab officio, et vicissim.—4° Si tota communitas est suspensa, tunc intelliguntur suspensa singula membra communitatis, sed quoad officia et jura quae ad communitatem spectant, non vero quoad functiones et jura quae singulis personis spectant, v. g., jus celebrandi Missam. Si autem suspensio est in totam communitatem et in singula membra, tunc non comprehendit innocentes, sed solum delinquentes.

327. — *Q.* Suspensus exercet ne valide actus ordinis vel jurisdictionis?

R. Si actus sunt ordinis, suspensus valide semper illos exercet, quia suspensio potestatem ordinis non tollit, excipe pro absolutione sacramentali, si suspenso ablata fuit jurisdictio.

Si vero actus sunt jurisdictionis, tunc suspensus vitandus seu nominatim denuntiatus invalide illos exercet, valide vero si est toleratus, quia iste non privatur jurisdictione, sed tantum prohibetur illam exercere, exceptis semper, sive quoad vitandos, sive quoad toleratos, casibus supra dictis n. 304, 309.

328. — *Q.* Clericus qui suspensionem violat peccat ne?

R. Certum est quod clericus suspensus peccat graviter si exercet actum vetitum per suspensionem, quia violat praeceptum

[1] S. C. de prop. fide, 20 Oct. 1884, in sua instructione ad Episcopos et Praelatos regulares Missionum catholicarum, quoad suspensionem ex informata conscientia statuit: ut tali poena semper in scriptis intimanda sit, die et mense designato, ideoque fieri debet vel ab ipso Ordinario, vel ab alia persona de expresso ejus mandato. Insuper debent exprimi partes exercitii Ordinis vel Officii ad quas extenditur suspensio, et tempus durationis ejusdem poenae.

Ecclesiae in re gravi. Excusatur tamen, saltem a gravi, si exercet ob ignorantiam aut metum gravem, aut exercet ordinem non sacrum, vel sacrum, sed non solemniter, aut exercet in materia parva, puta si suspensus ab ordine benediceret mensam, secus si benediceret aquam, nuptias, fructus, etc. juxta solemnitates Ecclesiae. Excusatur etiam suspensus toleratus, si a fidelibus rogatus et alias dispositus est. At vitandus, etsi rogatus, officia ecclesiastica exescere nequit, nisi in casu necessitatis, aut gravis mali [1].

329. — *Q.* Suspensio quomodo tollitur?

R. Si suspensio lata fuit per modum *censurae*, tollitur ut excommunicatio, seu per solam absolutionem et quidem Superioris, si sit reservata; quae absolutio habetur sub forma generali: *Absolvo te ab omni vinculo suspensionis*, et haec forma valet pro suspensione occulta, et etiam publica si absolvatur in foro interno. Si vero suspensio est publica et requiritur absolutio pro foro externo, tunc adhibenda est forma solemnis in Rit. Rom. determinata.

Si suspensio lata fuit per modum *poenae perpetuae* ob culpam omnino praeteritam, tunc tollitur non per absolutionem, sed per solam dispensationem Episcopi, vel ejus delegati.

Si autem lata fuit per modum *prohibitionis*, vel poenae sed ad certum tempus, vel sub aliqua conditione, tunc transacto tempore, vel adimpleta conditione, ex se ipsa cessat.

An autem simplex confessarius possit absolvere infirmum in articulo mortis suspensum per modum *censurae* v. dicta n. 286, 289.

ELENCUS

SUSPENSIONUM LATAE SENTENTIAE QUAE IN CODICE IURIS CANONICI CONTINENTUR

Suspensiones duodecim habentur; quarum quinque reservatae sunt Sedi Apostolicae, una Ordinario, reliquae nemini sunt reservatae.

Suspensiones S. Sedi reservatae.

I. Episcopus aliquem consecrans in Episcopum, Episcopi vel, loro Episcoporum, presbyteri assistentes, et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato contra praescriptum can. 953, ipso iure suspensi sunt, donec Sedes Apostolica eos dispensaverit. **Can. 2370.**

II. Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint, sunt suspecti de haeresi. Clerici praeterea qui per simoniam scienter promoti fuerint, aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint, suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam. **Can. 2371.**

III. Suspensionem a divinis, Sedi Apostolicae reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat

[1] S. Alph., VII, L. 313.

ordinis sic suscepti donec dispensetur. **Can. 2372.**

IV. In suspensionem per annum ab ordinum collatione Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incurrunt: 1° Qui contra praescriptum can. 955, alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverint; 2° Qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, ordinaverint contra praescriptum can. 994; 3° Qui aliquem ad ordines maiores sine titulo canonico promoverint contra praescriptum can. 974, § 1. n. 7; Unde qui promoverit, non vero clericus qui ordinatur absque titulo beneficii aut patrimonii, aut cum falso titulo; clericus qui ita agit peccat quidem, sed in nullam poenam incidit; 4° Qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem quae sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverint, etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris, nisi legitime probatum fuerit aliquem e casibus occurrere; de quibus in can. 966. Can. 2373. 5° qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus. **Can. 2374.**

V. Religiosus clericus cuius professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit in maioribus ordinibus, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit. **Can. 2387.**

[1] Litterae dimissoriae sunt eae, quibus Episcopus aliquem sibi subditum ad alium Episcopum mittit, ut ab eo ad tonsuram vel sacros ordines promoveatur.

Suspensio Ordinario vel Superiori maiori reservata.

Clericus qui, non obtenta ab Ordinario loci licentia, personam privilegio fori fruentem ad iudicem laicum traxerit, incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario. **Can. 2341.**

Religiosus fugitivus ipso facto incurrit in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam, si sit in sacris. **Can. 2386.**

Suspensiones nemini reservatae.

I. Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis; (licet non absolvat) qui vero a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus. **Can. 2366** [1].

II. Qui sine litteris, vel cum falsis litteris dimissoriis, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit. **Can. 2374** [1].

III. Clericus qui in manu laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit. **Can. 2400.**

IV. Abbas vel Praelatus *nullius*, qui contra praescriptum. Can. 322, § 2, benedictionem non receperit. **Can. 2402.**

V. Superiores religiosi, qui contra praescriptum Can. 965-967, subditos suos ad alienum Episcopum ordinandos remittere praesumpserini, ipso facto suspensi sunt per mensem a Missae celebratione. **Can. 2410.**

Q. Quid est cessatio a ~~de censuris~~ divinis?

R. Cessatio a divinis est prohibitio clericis facta, ut abstineant ab officiis divinis, et ecclesiastica sepultura. Distinguitur ab interdicto, quia non est censura; unde qui eam violat, etsi graviter peccat, tamen irregularitatem non incurrit. Neque est proprie poena, sed imponitur in signum moeroris, vel ad reparationem gravissimae injuriae Deo irrogatae, afficitque omnes qui sunt in loco ubi imponitur. In hac tamen cessatione possunt ea sacramenta administrari, quae possunt in interdicto. Clerici autem non gaudent privilegio sicut in tempore interdicti [1]. — Nulla adest cessatio a divinis jure statuta, sed tantum ab homine indici potest, et quidem ab eo qui censuram ferre valet; neque ultra mensem protrahi solet [2].

[1] S. Alph., L. VII, 340.

[2] *Aertnys*, L. VII. 140. — A censuris superius recensitis toto coelo distant, quamvis eisdem similes videntur, ecclesiasticae poenae vindicativae, quarum praecipuae sunt *depositio* et *degradatio*. Prima est poena qua clericus perpetuo removetur vel ab Ordine, vel a Beneficio, vel ab Officio: non privat tamen privilegiis clericalibus. Altera vero, quae et *solemnis depositio* nuncupatur, est maxima poena vindicativa qua clericus penitus dejicitur e statu clericali, ita ut sub saecularem potestatem transeat, unde omnibus ecclesiasticis privilegiis privatur: attamen obligatio manet in degradato tum servandi castitatem, tum horas canonicas recitandi.—Vid. *Aertnys*, ibid. n. 143, 144.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

SEU

DE PRAEAMBULIS AD DECALOCUM

Praecedentes tractatus de actibus humanis, de conscientia, de legibus, de peccatis, et de censuris, principia generalia Theologiae Moralis continent, ex quibus nos discernere possumus constitutiva actuum humanorum, eorum moralitatem, imputabilitatem, et gradus imputabilitatis.

Nunc ad tractatus Theologiae specialis pervenire oportet, nimirum ad officia quae homini sive erga Deum, sive erga proximum, sive erga se ipsum specialiter incumbunt. Haec autem omnia officia ex lege vel naturali, vel divina, vel humana procedunt. Quare nobis agendum erit primum de virtutibus theologicis, quibus appendix adnectitur de virtutibus moralibus; deinde de praeceptis Decalogi, quae legis naturalis vel divinae praecipua continent; postea de praeceptis Ecclesiae; demum de obligationibus proprii status.

PROŒMIUM

ad virtutes theologicas et morales.

326.* — *Q.* Quid est virtus; et quodnam ejus objectum?

R. Virtus a *vi*, vel *viro* dicta, strictiori sensu sumpta, definiri solet: *Habitus hominem inclinans ad recte operandum;* unde distinguitur tum a potentia, tum ab actu. — Quid autem sit habitus v. dicta n. 27.

Objectum virtutis duplex est, unum *materiale* circa quod versatur ipsa virtus; alterum *formale*, nempe ratio ob quam in ipsum virtutem contendere nos oportet.

327.* — *Q.* Virtutes quomodo distinguuntur?

R. Virtutes aliae sunt *supernaturales*, aliae *naturales*, prout ordinantur ad finem qui vires naturae trascendit, vel non; aliae sunt *infusae*, aliae *acquisitae*, prout a Deo ipso in cor hominis infunduntur, vel ab homine acquiruntur per actus repetitos; aliae sunt *theologicae*, aliae *morales*. — *Theologicae* sic dicuntur, ait S. Th[1]., tum quia habent Deum pro objecto[2], in quantum per eas recte ordinamur

[1] 1a 2ae q. 62. a. 1.

[2] Intellige *saltem primario:* nam nil obstat quominus praeter Deum alia credamus, speremus, aut diligamus actu proprie theologico, modo haec ad Deum referantur tanquam ad objectum primarium cui super omnia adhaereatur; unde necesse non est ut Deus sit objectum materiale adaequatum virtutis theologicae, sed sufficit ut sit objectum principale. Cf. Tehol. Clarom. T. G. de virt. Theol. n. 4.

in Deum : tum quia a solo Deo nobis infunduntur , tum quia a sola divina revelatione in Sacra Scriptura hujusmodi virtutes traduntur. — *Morales* sic dicuntur, quia directe respiciunt mores hominum, seu pro objecto immediato et primario actionum honestatem habent.

Virtutes *theologicae*, de quibus speciatim hic agitur, tres sunt : *fides*, *spes* et *caritas*. Per fidem, hic in terris, cognoscimus Deum Finem nostrum; per spem speramus aliquando obtenturos esse Deum Beatitudinem nostram ; per caritatem Deum summum Bonum amamus, Eique adhaeremus [1].

In coelesti patria vero fidei respondet *visio* spei *comprehensio ;* caritati autem *fruitio* seu *delectatio*; quae quidem sunt tres dotes animae beatae[2]. In coelis ergo visio destruit fidem, comprehensio spem, fruitio tamen non destruit caritatem, *caritas enim nunquam excidit*, imo in coelis suam perfectionem acquirit.

Ratione *originis* primum locum tenet *fides*, ipsa enim est radix et initium omnis justificationis; ratione *excellentiae* caritas; est enim perfectio aliarum virtutum. Hinc pulchre Augustinus : *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur* [3].

328*. — *Q.* Virtutes theologicae et morales consistunt ne in medio?

R. Virtutes *theologicae* non consistunt in medio, quia mensura et regula ipsarum virtutum non est ipsa ratio, sed est ipse Deus. Fides enim nostra regulatur secundum veritatem divinam ; caritas autem secundum bonitatem ejus; spes autem secundum magnitudinem omnipotentiae et pietatis ejus. Haec autem est mensura excedens omnem humanam facultatem. Quare nunquam potest homo tantum diligere Deum, quantum diligi debet; nec tantum credere aut sperare in Ipsum , quantum debet ; unde multo minus potest ibi esse excessus; et sic bonum hujus virtutis non consistit in medio, sed eo est majus, quo magis accedit ad summum [4].

Virtutes *morales* vero consistunt in medio , nempe est modus eis constitutus; hic autem modus vult ut quod faciendum est, fiat secundum mensuram et regulam *rationis*, idest ubi oportet, quando oportet, quomodo oportet, et propter quod oportet : unde contra virtutes morales quis peccare potest vel per excessum vel per defectum.

[1] Virtutes theologicae non possunt plures esse quam tres; nam nullus actus theologicus afferri potest, qui ad unum ex tribus praedictis actibus vel fidei, vel spei , vel caritatis nequeat referri. Deus enim immediate attingi solum potest vel sub ratione *veri* , vel sub ratione *boni;* et si sub ratione boni, vel ut est bonus *nobis*, vel bonus *in se*. Sed quilibet actus intellectus circa Deum sub ratione *veri* refertur *ad fidem ;* quilibet actus voluntatis erga Deum sub ratione *boni*, et quidem nobis, reducitur *ad spem;* demum quilibet actus voluntatis erga Deum sub ratione *boni*, et quidem *in se*, pertinet *ad caritatem*.

[2] S. Th. *Suppl.* q. 99.

[3] *Scavini*, l. II, 799.

[4] S. Th. 1ª 2ae. q. 64, a. 1,

DE FIDE

Haec de fide dissertatio quatuor capitibus persolvitur: 1. *de fidei natura, objecto et subjecto;* 2. *de fidei necessitate, et de iis quae ab adultis explicite sciri et credi debent;* 3. *de praecepto eliciendi actus internos et externos fidei, et de communicatione cum haereticis et infidelibus;* 4. *de vitiis fidei oppositis. — Hanc de libris prohibitis appendix sequetur.*

CAPUT I.

De fidei natura, objecto et subjecto.

ART. I.

De fidei natura.

329.* — *Q.* Quid est fides?

R. Fides, prout a nobis accipitur, tum in actu, tum in habitu spectari potest.

Fides *actualis* est *assensus intellectus in revelata a Deo propter auctoritatem Dei revelantis.*

Fides *habitualis* vero definiri potest: *Virtus theologica a Deo infusa, inclinans nos ad firmiter assentiendum, ob divinam veracitatem, omnibus quae Deus revelavit et per Ecclesiam nobis credenda proponit*[1].

Dicitur: 1° Virtus *theologica*, quia directe Deum respicit, secus ac virtutes morales quae indirecte Eum respiciunt; 2° *a Deo infusa*, quia illam Deus in nobis infudit, dum gratiam sanctificantem nobis tribuit; 3° *inclinans nos ad firmiter assentiendum*, nam assensus fidei non potest esse cum errandi formidine, sed omnino firmus esse debet; 4° *ob divinam veracitatem*, cum infallibilis veritas, quae est ipse Deus, sit objectum formale fidei; 5° *omnibus quae Deus revelavit*, nam cum omnes fidei veritates ideo credi debeant, quia Deus, qui illas revelavit, verax est, consequitur quod ille, qui unam fidei veritatem rejiceret, auctoritatem Dei rejceret, ideoque totam fidem simul amitteret, quia tunc alias

[1] Conc. Vatic., sess. 3, c. 3, sic fidem definivit: *Virtus supernaturalis, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.* — Per verba *virtus supernaturalis* nobis declaratur fidei *habitus* qui superat naturae vires, et a Deo gratuito datur per infusionem gratiae sanctificantis; per verba, *qua, Dei aspirante et adjuvante gratia*, nobis declaratur fidei *actus*, qui per gratiam actualem exhibetur; per verba *ab eo revelata* objectum materiale fidei nobis declaratur, et per verba *credimus non propter*, etc. nobis declaratur objectum formale fidei.

quoque veritates crederet non jam auctoritate Dei, sed proprio judicio innixus; 6° *et per Ecclesiam nobis credenda proponit*, quia divina revelatio nobis non manifestatur nisi per Ecclesiam, quae eam proponit.

Ecclesiam autem non posse falli, nec fallere, evidens est per signa credibilitatis quae sunt prophetiae, miracula, martyrum constantia, etc. Quare ajebat S. Aug.: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret auctoritas* [1].

303. — *Q.* Fides quomodo dividitur?

R. Fides multipliciter dividitur:

1. Ratione *habitus*, et alia est *formata*, alia *informis*. — Fides *formata* seu viva est quae conjungitur cum caritate seu cum gratia habituali.—*Informis* vero seu mortua sic dicta, tum quia est in subjecto spiritualiter mortuo, tum quia non est meritoria in ordine ad vitam aeternam. Attamen haec Fides informis remanet vera in peccatoribus, et vere operatur, idest illuminat. Hinc Trid.: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul fidem semper amitti, vel fidem quae remanet non esse veram fidem, licet non sit viva; anath. sit* [2].

2. Ratione *actus*, et alia est *interna* vel *externa*, prout mente tantum concipitur, vel exterius profitetur; alia *practica* vel *mere speculativa*, prout in opera transit vel non.

3. Ratione *objecti*, et alia est *explicita*, alia *implicita*; alia *divino-catholica* et alia *simpliciter divina*.

Fides *explicita* est quae expresse creditur aliqua veritas, v. g. Deus est Unus et Trinus. *Implicita*, qua creditur aliqua veritas generaliter contenta in aliis veritatibus explicitis. — Duplici autem modo fidei veritas in alia implicite contineri potest: 1° *directe*, quando res ipsa in alia continetur; sic qui explicite credit Deum esse Creatorem omnium rerum, implicite credit esse Creatorem Angelorum, hominum etc.; 2° *indirecte*, quoties generale motivum, quo aliquid explicite creditur, implicat fidem aliarum veritatum ob idem motivum credendarum; sic qui credit Deum Unum et Trinum, quia Deus revelavit, et quia Ecclesia proponit, implicite credit quidquid Deus revelavit et Ecclesia ad credendum proponit [3].

Fides *divino-catholica* est qua creditur aliqua veritas in verbo Dei scripto vel tradito contenta, et ab Ecclesia sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata, credenda proposita [4].—Igitur ut aliqua veritas sit de fide catholica non sufficit ut sit a Deo revelata, sed *quoad nos* requiritur ut haec revelatio nobis sufficienter constet, nempe requiritur ut veritas ab Ecclesia sit nobis ad credendum proposita uti a Deo revelata. Duplici autem modo Ecclesia nobis veritates fidei ad credendum proponit. Primo *modo extraordinario*, nempe *solemni suo judicio*,

[1] S. Alph., L. II. 2.

[2] *Sess.* VI, c. 28.

[3] Veritas autem implicita in veritate explicite revelata duplici modo contineri potest, *formaliter*, idest quando cum ipsa identificatur, seu eumdem conceptum habet, et *virtualiter*, quando ex veritate revelata defluit, sed ab ea distinguitur, ita ut ex illa veritate revelata per verum ratiocinium deducatur.

[4] Conc. Vatic., Sess. 3, 3.

v. g. per Concilium Œcumenicum, vel per definitionem Pontificiam ex Cathedra : veritates vero quae hoc modo nobis ad credendum proponuntur, appellantur *Fidei dogmata definita*.—Eadem appellatione denotandae sunt etiam illae veritates quae in S. Scriptura immediate apparent contentae, v. g. Christi nativitas, passio, resurrectio, etc.; hae enim veritates per solemnem Ecclesiae propositionem innotescunt, non quidem per propositionem determinatam ac particularem, sed per illam generalem, qua totam Scripturam cum omnibus suis partibus divinitus inspiratam esse definivit, ac proinde fide *divino-catholica* credendam esse exhibuit.—Secundo *modo ordinario*, nempe *ordinario et universali magisterio* cum per suos pastores et doctores praedicando et docendo, universaliter affirmat quasdam veritates esse a Deo revelatas, et in deposito fidei contentas, etsi nullo speciali decreto sint definitae. Hujusmodi fidei veritates appellantur *Fidei dogmata definibilia*, quae non minus ac ipsa definita dogmata fide divino-catholica credenda sunt; non tamen sub poena haeresis et excommunicationis coram Ecclesia, sed solum sub poena infidelitatis coram Deo.

Fides autem *simpliciter divina* est qua creditur aliqua veritas non quidem ab Ecclesia proposita ut revelata, sed qua talis alio modo certo cognita, v. g. cum theologus in S. Scriptura aliquam veritatem evidenter reperit; quo in casu illa veritas credenda est ab eo cui immediate et certe innotescit [1].

ART. II.

De objecto et subjecto fidei

331. — *Q.* Quodnam objectum fidei ?

R. Objectum fidei duplex est : materiale et formale.

I. Objectum *materiale* fidei, *in se*, est quidquid Deus nobis revelavit; *quoad nos*, est id quod credere debemus; praecipuum est Deus nobis revelatus, et deinceterae veritates quae credendae sunt sive fide catholica, sive fide divina [2].

II. — Objectum *formale*, seu mo

[1] *Marc.* 421.

[2] Porro ad objectum materiale fidei pertinet etiam veritas implicite revelata, quando in alia veritate explicite revelata *formaliter* continetur, quod obtinet in sequentibus casibus : — 1.° Quando ejus propositio ita cum veritate explicite revelata conjungitur ut duae propositiones unicum sensum, mutatis verbis, exprimant; sic Deus declarans Christum esse hominem, eo ipso declarat esse animal rationale. — 2.° Quando ejus propositio partem essentialem enuntiat alicujus veritatis expresse revelatae ; sic Deus revelans Christum esse hominem, eo ipso revelavit ipsum anima humana donari. — 3.° Quando enuntiat aliquid ita stricte cum veritate revelata connexum, ut sine eo veritas revelata existere nequeat; sic Deus revelans angelos malos peccasse, eo ipso illorum existentiam et liberum arbitrium revelavit. — 4.° Quando conclusio e duabus praemissis explicite revelatis rigorose deducitur, quia, dato legitimo syllogismo, conclusio nil aliud dicit nisi quod praemissae dicunt, seu nisi quod expresse revelatum fuit; sic in S. Scriptura dicitur quod *Omnes Apostoli in die Pentecostes receperunt Sp. Sanctum; sed S. Petrus est Apostolus; ergo recepit Sp. Sanctum* — 5.° An vero ad objectum materiale fidei pertineat propositio particularis quae, mediante facto contingenti in universali continetur, seu conclusio syllogismi, cujus major est propositio certe revelata, minor vero est propositio particularis certa certitudine naturali, seu physica, ut in hoc syllogismo: *Omnes homines resurgent;*

tivum ob quod credere debemus, est ipsa *auctoritas Dei revelantis*[1].

332. — *Q.* Revelationes privatae sunt ne objectum fidei?

R. Revelationes privatae non sunt objectum fidei, quia etsi essent certae, tamen non sunt ab Ecclesia propositae uti revelationes divinae. At persona privata, si motiva evidentia credibilitatis habeat, ipsas fide divina credere debet[2].

In praxi autem si poenitens res supernaturales, v. g. revalationes, apparitiones, extases etc. enarret, Confessarius valde caute procedat maxime cum mulieribus; et haec teneat: — 1° Si extases deliquium esse potuerint, aut si revelationes etc., phantasiae adscribi valeant, tunc de iis non est curandum. — 2° Si vero res narratae nullo modo naturales esse possint, tunc cavendum ne sint malitiosae poenitentis ipsius fictiones, aut diaboli illusiones. Signa incohaerentiae sunt: facilitas ea enarrandi (multo magis si poenitens non solum confessario, sed aliis quoque ea enarraret); et turbatio ac reluctantia, si confessarius (prout sub initio facere debet) incuriam ostendat et dicat ea esse spernenda. — 3° Si autem nulla contradictio notetur, et poenitens simpliciter quidem, sed cum quadam verecundia res illas soli confessario patefaciat, et constanter humilis, obediens et tranquillus reperiatur, tunc de bono spiritu (li-

atqui ego sum homo; ergo resurgam. disput. Th.; sed plures probabilius affirmant. Quando vero propositio major et universalis est quidem revelata, sed propositio particularis et minor non est absolute certa, ut v. g. in hoc syllogismo: *Christus est praesens in quavis hostia consecrata; atqui haec hostia est consecrata; ergo Christus est praesens in hac hostia*, tunc nequit credi fide divina, quia minor propositio est particularis, et ob varias et occultas circumstantias, non est certa certitudine physica, unde non excludit omnem errandi formidinem. Nec dicendum hostiam, de cujus consecratione dari nequit actus fidei, conditionate tantum esse adorandam; quia adoratio est actus virtutis religionis, et omnes actus religionis, sicut et ceterarum virtutum moralium, absolute fieri debent, quoties judicium prudens fertur de veritate obiecti speculative spectati.

An autem veritas *virtualiter tantem* contenta in alia veritate revelata, quae nempe per verum ratiocinium, non autem per meram explanationem, eruatur, cuius propterea propositio, *conclusio theologica* dici solet, ad objectum materiale fidei pertineat, Th. probabilius negant quia illa propositio partim vi divinae revelationis, sed partim vi humani ratiocinii crederetur. Cf. *Theol. Clarom.* Tr. V, De fide, 12-16.

[1] Conc. Vatic. Const. de Fide, c. 3.— Hinc patet quod assensus propositioni, quae falso judicatur revelata, non est actus fidei, quia motivo formali caret, et insuper nequit Deus gratia sua hominem adjuvare ad emittendum actum assensus circa falsum; unde qui auctoritate v. g. ignari Parochi deceptus aliquid uti revelatum credit quod reapse non est, non peccat quidem, sed non elicit actum fidei; imo nec actum materialiter meritorium, quia circa falsum versatur. Attamen juxta communem sententiam talis actus erit formaliter proemio dignus, ob piam credentis dispositionem.

[2] Benedictus XIV, *De Canoniz. Sanct.* L. 3, c. 53, n. 15, loquens de revelationibus privatis a Sede Apostolica approbatis, v. g. S. Birgittae, ait: « Praedictis revelationibus, etsi approbatis, non deaere nec posse a nobis adhiberi assensum fidei catholicae, sed tantum fidei humanae, juxta regulas prudentiae, juxtaquas praedictae revelationes sunt probabiles, et pie credibiles.... Ex quibus proinde sequitur posse aliquem, salva et integra fide catholica, ab eis recedere, dummodo id fiat cum debita modestia non sine ratione, et citra contemptum..» Ergo non adest praeceptum his revelationibus assentiendi; attamen approbatio Ecclesiae exigit ut non rejiciantur sine motivo, et a fortiori non contemnantur.

cet forte poenitens in aliquos defectus adhuc incidat) jam non erit prudenter (saltem valde) dubitandum. Excipe si locutiones et revelationes imprudentias suaderent. Ita *Berardi* de direct. Anim. piarum. Cf. etiam S. Alph. [1].

333. — *Q.* Quodnam subjectum fidei?

R. Subjectum *proximum* est potentia animae in qua residet fides, et qua producitur actus fidei. At quaenam sit haec potentia non conveniunt Th.; sed tenenda videtur sententia quae asserit actum fidei immediate ab intellectu fieri sub imperio voluntatis. Nempe, perceptis ab intellectu motivis credibilitatis et obligatione credendi, voluntas, auxiliante gratia, imperat assensum qui statim ab intellectu, supernaturaliter adjuto, elicitur.

Subjectum *remotum* est persona in qua est et remanet fides. Porro, loquendo de subjecto remoto, fides quoad *viatores* est et remanet in omnibus *fidelibus* non solum justis, sed etiam peccatoribus, quia peccatum tollit gratiam, non fidem, dummodo non peccaverint contra fidem, ut dictum fuit n. 329. — E contra fides non remanet *in haeretico formali,* respectu etiam eorum articulorum, quos se credere profitetur, cum vel per unius articuli negationem, formale fidei motivum, nempe Dei veracitatem, omnino rejecerit. Hinc Paulus loquens de haereticis dicit quod *circa fidem naufragaverunt.* Dixi *formali,* fides enim in haeretico *materiali* semper remanet in habitu, nam non errat pertinaciter [2]. — Quoad eos autem qui sunt in termino, fides non est in *Angelis* et *Beatis,* quia Deum facie ad faciem vident; et in Ipso etiam veritates futuras, uti resurrectionem mortuorum, intuitive vident, ut communiter dicunt Th. — Nec est *in damnatis* et *daemoniis;* et enim fides est donum Dei supernaturale, omni autem dono supernaturali ipsi privati sunt. Verum quidem est quod daemones credunt et contremiscunt, ut dicit S. Jacobus, sed fide naturali et quodammodo coacta, orta ex expesientia tormentorum quibus in inferno sunt addicti, et ex evidentia signorum quae illuc penetrant. — E contra est et remanet in *animabus in purgatorio detentis,* quia nondum Dei visione fruuntur.

CAPUT II.

De fidei necessitate; et de iis quae explicite sciri et credi debent.

334. — *Q.* Fides ex praecepto divino quid jubet?

[1] S. Alph. *Homo Ap.* Append. 1. n. 22-24.

[2] Virtutes supernaturales amittuntur *directe* per actus substantialiter contrarios; sic fides per haeresim, spes per grave peccatum desperationis, caritas per quodlibet peccatum mortale; *indirecte* per amissionem alterius virtutis sine qua esse non possunt; sic. v. g. spes amittitur cum fide in qua fundatur. — Caritas in statu viae nequit esse sine fide et spe, neque spes sine fide; sed fides potest esse sine spe, fides vero et spes sine caritate; ratio quia fides generat spem, spes caritatem, sed generans est prius generato et potest esse sine eo, generatum vero non potest esse sine generante, unde fides potest esse sine spe; fides et spes sine caritate, non autem viceversa. Hinc, amissa per peccatum mortale caritate, non amittitur habitus fidei et spei, nisi quis directe peccet contra tales virtutes: sed talis habitus est informis, ideoque fides et spes sine caritate non sunt virtutes perfectae, sed informes; recuperata autem gratia redeunt perfectae et formatae.

R. Fides ex praecepto divino tria jubet: 1° cognoscere et scire veritates fidei; 2° ipsis veritatibus, cum sint sufficienter propositae, interne credere [1]; 3° ipsas veritates aliquando etiam exterius profiteri. — Primum et secundum omnes obligat; tertium Christi fideles tantum [2].

ART. I.

De fidei necessitate.

335. — *Q.* Fides est ne necessaria ad salutem ?

R. Praemitto: duplex distinguitur necessitas, medii scilicet et praecepti. Necessarium *necessitate medii* illud dicitur sine quo, etiam inculpabiliter ignorato vel omisso, finis seu salus aeterna obtineri nequit. Necessarium *necessitate praecepti* illud appellatur, quo inculpabiliter omisso, salus adhuc obtineri potest [3]. Hoc praemisso:

I. Certum est quod omnibus, etiam *infantibus*, ad salutem necessarius est necessitate medii *habitus* fidei; ratio, quia nemo salvari potest sine gratia sanctificante, quae a tali habitu inseparabilis est.

II. Certum est quod omnibus *adultis* est etiam necessarius *actus* fidei supernaturalis, tum necessitate *medii*, quia *sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum* [4]; quibus verbis Apostolus loquitur de fide supernaturali, ut e contextu patet, et quidem actuali, ut indicant illa verba *accedentem ad Deum;* tum necessitate *praecepti*, quia legitur in Jo.[5]: *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi.*

ART. II.

De iis quae ab adultis explicite sciri et credi debent.

336. — *Q.* Adulti quaenam explicite scire et credere debent *necessitate medii ?*

R. Certum est quod adulti *necessitate medii* explicite scire et credere debent: 1° quod Deus est; 2° quod est justus remunerator bonorum. Apostolus enim dicit: *Credere oportet accedentem ad Deum quia* (Deus) *est, et inquirentibus se remunerator sit.* Hinc Innoc. XI damnavit propos.: *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii; non autem explicita remuneratoris.* — Communissime autem docent, fidem explicitam in

[1] Haereticus, quamdiu suam sectam judicat esse credibiliorem, vel aeque credibilem, non tenetur credere, quia fides nondum est sufficienter proposita, ageretque imprudenter.

Quando iis qui in haeresi nutriti sunt, persuasum est a pueritia nos abjicere et persequi verbum Dei, esse idololatras, deceptores, ideoque tamquam pestem fugiendos, non possunt, stante hac persuasione, salva conscientia, nos audire, et laborant ignorantia invincibili, cum non dubitent esse in bona via.

Si talibus oriatur dubium de sua secta, tenentur ulterius inquirere, et a Deo petere lumen; quod si negligant, peccant contra fidem, cum non adhibeant media ad implendum praeceptum fidei. Quod si deinde nostra fides eis sufficienter proponatur, tenentur eam amplecti. *S. Aph.*, L. III, 9, 1, 2, 3.

[2] *D'Annibale*, L. II, n. 4,

[3] Interdum tamen quae uni necessaria sunt necessitate medii, alteri sunt necessaria necessitate solius praecepti, et contra: v. g. baptismus, confessio sacramentalis; etenim attritis necessitate medii necessaria sunt, contritis necessitate praecepti.

[4] Hebr., XI, 6.

[5] I. Jo., III, 23.

Deum bonos remunerantem, importare etiam fidem explicitam in Deum malos punientem.

337. — *Q.* Mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis J. C. post promulgationem Evangelii sunt ne explicite scienda et credenda necessitate medii?

R. Disput. Th. — *Prima sententia*, quam tenent Thomistae, quaeque S. Alph. videtur communior et probabilior, affirmat, quia licet ante promulgationem Evangelii sufficeret sola fides implicita, tamen post promulgationem, eo quod status gratiae sit perfectior, perfectior requiritur notitia, nempe fides explicita Trinitatis et Incarnationis J. C. — *Secunda sententia* vero, quae juxta S. Alph. satis etiam probabilis est, et juxta alios etiam probabilior, negat, quia si fides implicita sufficiebat in V. L. etiam in N. L. sufficere debet; secus conditio hominum qui nihil de Christo audierunt, non in melius, sed in deterius per promulgationem Evangelii mutata esset, quod dici nequit [1].

Sed quidquid sit de quaestione speculativa, *in praxi* certum est quod, dempto casu extremae necessitatis, non est absolutionis capax poenitens qui ea mysteria ignorat, nam Innoc. XI sequentem damnavit prop.: *Absolutionis capax est homo quamvis laboret ignorantia mysteriorum SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. J. C.*[2]; et hoc sive quia agitur de valore Sacramenti, pro quo semper sententia tutior tenenda est, sive quia poenitens Sacramentum Poenitentiae recipiendo, quod est communicatio meritorum Salvatoris, tenetur illis explicite credere, seu fidem exercere circa illa mysteria[3]. — Dixi: *dempto casu extremae necessitatis;* quia in hoc casu, v. g. in periculo mortis, licite absolvi potest qui haec mysteria ignorat, sed sub conditione, quia disputant Th. an absolutio valida sit.

Notant autem plures Theol.: — 1° Quod si quis adeo sit rudis, ut ea mysteria sub propria aliqua ratione percipere nequeat, tunc excusatur ratione impotentiae et comparatur infantibus ac fatuis. — 2° Quod aliud est credere, aliud scire haec mysteria, nempe rationem de eis reddere; unde isti Th. censent omnes adultos teneri necessitate medii hujusmodi mysteria credere, necessitate vero praecepti ea scire; a quo praecepto scientiae excusari mente obtusos, et concludunt: sufficere rudibus quod singulos articulos explicite credant dum eis proponuntur.

338. — *Q.* Poenitens, qui cum ignorantia praedictorum mysteriorum confessiones fecit, tenetur ne eas repetere?

[1] In locis catholicis ubi Dei cultus publice exercetur, ubi passim fit signum sanctae crucis in nomine SS. Trinitatis, ubi augustum vexillum Redemptoris nostri habetur in ecclesiis, domibus, arvis, saepe cum imagine Jesu Christi crucifixi adfixa modo aptiori ad attentionem sibi conciliandam, ubi quotannis celebratur memoria Natalis, Mortis et Resurrectionis J. C., ubi imago Mariae V. Jesum in ulnis deferentis aliaeque imagines diversas ejus vitae circumstantias repraesentantes frequentissime sub oculos cadunt, difficile admodum est magna Trinitatis et Incarnationis mysteria ita ignorari, ut accepta absolutio invalida fiat. Fieri etiam potest, ut quis ea cognoscat et credat, quin tamen exprimere valeat. *Gousset*, vol. 2, 573.

[2] Propositio ab Innoc. XI damnata solum in hoc sensu procedit, quod possit licite absolvi, qui culpabiliter ignorat talia mysteria, non tamen quod valide nequeat absolvi. Bened. XIV, Casus conscientiae. An. 1734. Mense Feb., Cas. I.

[3] S. Alph. Hom. Ap. T. IV, 3.

R. Si poenitens, quando ita confessus est, erat in *mala fide,* nempe illa mysteria ignorabat ex ignorantia graviter culpabili et hoc peccatum culpabiliter reticuit, vel culpabiliter non habuit propositum confitendi, tunc certe ipsas repetere tenetur.

Si vero tali ignorantia laborans confessus sit *bona fide*, tunc an praedictas confessiones repetere debeat, disput. Th. — Plures affirmant, quia antecedenter possidet obligatio faciendi confessiones, non tantum probabiliter, sed certo validas. Sed alii negant, quia obligatio confessiones repetendi adest solum quando moraliter certo constat eas fuisse invalidas; at in nostro casu illae confessiones sat probabiliter validae sunt; ergo[1].

339. — *Q.* Adulti quaenam explicite scire et credere debent *necessitate praecepti ?*

R. Adulti, *necessitate praecepti,* tenentur explicite scire et credere: 1° Symbolum Apostolorum, omnis enim fidelis, ratione sui status christiani, cognoscere et credere debet praecipuos saltem fidei articulos; 2° Orationem Dominicam, nam datur praeceptum orandi; Oratio autem Dominica praescripta est a Christo, unde Ecclesia in Missa dicit: *Oremus, praeceptis salutaribus moniti... audemus dicere: Pater noster, etc.;* 3° Praecepta Decalogi et Ecclesiae, omnes enim proprias obligationes scire debent; 4° Quae pertinent ad sacramenta tum Baptismi, quando probabilis occurrat ipsum administrandi necessitas, ut v. g. in parentibus[2], tum Poenitentiae et Eucharistiae, ad quae omnis utriusque sexus fidelis, saltem semel in anno, accedere debet; quoad reliqua vero, quando debent vel volunt ea suscipere.

Haec autem omnia quisque sub gravi scire tenetur, non quidem quoad formulas a catechismis traditas, sed saltem quoad substantiam et sensum; unde, secluso casu impotentiae vel ignorantiae invincibilis, peccant mortaliter qui culpabiliter ea ignorant, vel discere negligunt; parentes et superiores qui non curant ut filii et subditi illa calleant, parochi qui oves suas in iis diligenter non erudiunt, etc.[3].

Scire vero etiam memoriter quoad verba Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, Decalogum, Salutationem Angelicam, et modum formandae Crucis, per se vel non est sub peccato, vel sub levi tantum[4].

340 — *Q.* Quomodo se gerere debet confessarius cum poenitente mysteria fidei ignorante ?

R. — 1. Confessarius, quoties ex modo confitendi ipsius poenitentis, ex ejus statu aut conditione rationabile motivum habet dubitandi an poenitens cognoscat mysteria scienda *necessitate medii*, tenetur sub gravi illum interrogare et se certiorem reddere, ne Sacramentum exponat periculo nullitatis. Et si comperit poenitentem haec mysteria ignorare, illum non dimittat ut ab aliis edoceatur; nam nullus obtinebitur fructus, et ignorans remanebit, sed illum ipse edoceat. Ad hoc autem pro tempore sufficit ut ei obligationem ea discendi insinuet, ejusque ignorantiam suppleat ei proponendo

[1] S. Alph., L. II, 2; *Ballerini ad Gury*, I. 195.

[2] Cf. *De Lugo*, De Virt. Fid. disp, XIII, sectio V.

[3] S. Alph., L. II, 2.

[4] S. Alph., L. II, 3.

veritates credendas ut ad singulas actum fidei exerceat, v. g.: Credis ne quod Deus unus est essentia, et quod in uno Deo tres adsunt personae realiter inter se distinctae, Pater, Filius et Spiritus Sanctus? Poenitens respondebit: *Credo*. Credis ne quidquid Deus revelavit, et Sancta Romana Ecclesia credit? *Credo*. Doles ne de tua ignorantia et negligentia in veritatibus fidei addiscendis? *Doleo*. Proponis ne firmiter pro opportunitate diligenter discere quae scire debes? *Propono*. Si poenitens hos actus exerceat, sufficit pro instructione hic et nunc necessaria, et Confessarius illum utpote sufficienter dispositum absolvere potest.

2. Si poenitens ignorat quae scire debet ex *necessitate praecepti*, confessarius observet an poenitens illas fidei veritates ignoret ex culpabili et gravi negligentia in iis addiscendis; plures enim ex hoc capite graviter peccare solent. Quo facto, si tempus ferat, confessarius tenetur poenitentem ante absolutionem instruere saltem quoad substantiam. Quod si tempus non ferat, et adsit gravis causa illum absolvendi, tunc absolvi potest, dummodo poenitens doleat de hoc peccato, nempe de sua gravi negligentia in veritatibus fidei addiscendis, et firmiter proponat quam primum illas discere.

CAPUT III.

De praecepto eliciendi actus internos et externos fidei, et de communicatione cum haereticis, et infidelibus.

341. — *Q.* Fideles tenenturne elicere actus fidei?

R. Fideles certe tenentur ex praecepto divino elicere actus fidei tum *internos*, nempe assentiri illis veritatibus supra expositis (licet eas in confuso concipiant), ut patet ex verbis Christi: *Praedicate Evangelium... qui non crediderit, condemnabitur*[1]; et Pauli: *Corde creditur ad justitiam;* tum *externos*, ut patet ex sequentibus verbis: *Ore autem confessio fit ad salutem.*[2] Unde Innoc. XI hanc damnavit propos.: *Fides non censetur cadere sub praecepto speciali et secundum se.*

Ex praecepto autem *ecclesiastico* tenentur etiam quandoque externam fidei professionem emittere.

ART. I.

De praecepto divino eliciendi actus internos fidei.

342. — *Q.* Quandonam obligat praeceptum divinum eliciendi actus *internos* fidei[3]?

R. — I. Praeceptum divinum eliciendi actus *internos* fidei, uti *negativum*, nempe quatenus prohibet quominus negentur vel dubitetur de veritatibus fidei, obligat semper et pro semper.

II. Hoc praeceptum, uti *positivum*, obligat tantum tempore determinato, et hoc aliquando directe seu *per se*, vi nempe ipsius virtutis fidei, et aliquando indirecte seu *per accidens*, vi nempe alterius praecepti, quod sine actu fidei adimpleri nequeat.

Obligat *per se*: 1° Initio usus

[1] *Marc.*, XVI, 16.
[2] *Ad Rom.*, X, 10.
[3] Distinguendum est inter actum fidei, et formulam actus fidei. Praeceptum est de actu fidei, non de particulari ejus formula, licet hanc memoriter scire et hac uti valde conveniens sit maxime pro rudibus.

rationis (et pro adultis ad fidem conversis, initio vitae spiritualis), cum res credendae sunt sufficienter propositae ut a Deo revelatae. Dixi : *cum sunt sufficienter propositae* ; deficiente enim sufficienti propositione, deest obligatio fidei, quia fides est obsequium rationabile ; 2° Saepius in vita, saltem semel in anno, ut communiter docent Th.; 3° In quovis mortis periculo, ut cum communi sententia tenet S. Alph. contra nonnullos[1]. — Certum vero est quod non sufficit elicere actum fidei semel in vita, aut singulis quinquenniis, nam hae propositiones, ab Innocentio XI damnatae fuerunt.—Sed quidquid sit de quaestione speculativa inter Th., *in praxi* non erunt vexandi fideles an saepius actus fidei elicuerint; cum enim non requiratur ut actus fidei fiat *reflexe* et *explicite* cum intentione praecepto satisfaciendi, sed sufficiat ut *exercite* fiat, nempe ut actu fiat, licet ex alio fine, puta ad repellendas tentationes, patet quod omnes pietatis actus quos exercent, puta oratio, signum crucis, auditio Missae, susceptio Sacramentorum, etc., actum fidei continent ; unde huic praecepto fideles satisfaciunt, etsi pietatis officia non agant reflexe ex motivo fidei.

Obligat autem *per accidens*:— 1° quando eliciendi sunt actus aliarum virtutum, v. g. spei, caritatis, religionis, etc., quia isti actus, utpote supernaturales, exigunt actum fidei non formalem, sed saltem implicitum ; 2° quando urget gravis tentatio, quae sine actu fidei vinci nequit, nam quisque tenetur adhibere media ad peccatum vitandum necessaria ; 3° post lapsum in haeresim, aut post fidem negatam, quia tunc injuria Deo per fidei negationem illata, per actum fidei tantum reparari potest[2].

Quando vero quis actum fidei negligit cum haec obligat solum per accidens, tunc non committit duo peccata, unum contra praeceptum quod transgreditur, alterum contra praeceptum fidei, sed unum solum; quia tunc praeceptum fidei non obligat per se, et omissio medii pro observando aliquo praecepto, hujusque violatio unum sunt peccatum[3].

ART. II.

De praecepto divino eliciendi actus externos fidei.

343. — *Q.* Datur ne praeceptum divinum eliciendi actus externos fidei, et quandonam obligat ?

R. Duplex datur praeceptum divinum quoad actus externos fidei, unum *negativum*, alterum *positivum*.

I. Datur praeceptum *negativum*, quo prohibemur fidem etiam solum externe verbis, vel signis, vel factis negare, aut falsam fidem profiteri vel solum simulare. Christus enim dixit : *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in coelis est*[4]. Veram autem fidem *verbis* negaret, qui negaret se esse christianum vel papistam, si hoc pro catholico intelligatur, aut diceret se esse lutheranum, calvinistam, rationalistam, etc. Veram fidem *signis* negaret qui de-

[1] Hom. Ap. Tr. IV, 13.
[2] S. Ap., L. II, 5.
[3] *Ballerini*, Op. Th. V. 2, n. 40.
[4] *Matth.*, X, 33.

ferret signa non solum distinctiva, sed *protestativa* falsae sectae [1]. Veram fidem *factis* negaret, et falsam simularet qui opus exerceret, vel actionem poneret, quae ex sua natura, vel ex circumstantiis juxta communem hominum aestimationem, falsam religionem seu sectam significaret [2]. — Hoc autem praeceptum negativum obligat semper et ad semper, quia veram religionem etiam solum externe negare, aut falsam simulare est intrinsece malum.

II. Datur praeceptum *positivum* fidem externe profitendi; Apostolus enim dicit: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et hoc praeceptum positivum obligat duobus in casibus, nempe quando id exigit aut honor Dei, aut salus proximi. — Hinc si quis interrogetur a publica auctoritate, licet remotis arbitris, et interrogetur nominatim, et revera quoad fidem seu in odium religionis, non potest silere vel tergiversari, sed tenetur fidem confiteri; nam in hoc casu honor Dei illam confessionem exigit. Unde Innoc. XI hanc damnavit propos.: *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum, consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.* — Si

[1] Signa falsae sectae triplicis generis sunt: alia distinctiva gentis, sed non sectae; alia distinctiva sectae, sed non protestativa ejusdem sectae; alia demum protestativa sectae. Prima et secunda signa, accedente gravi et proportionata causa, licite adhiberi possunt; tertia nunquam, quia intrinsece mala.

[2] Veram fidem factis negaret: 1° Qui Sacramenta a ministro haeretico acciperet, nisi esset in periculo mortis; — vel qui matrimonium coram ministro haeretico contraheret, si hic assisteret non ut minister civilis, sed ut minister religionis. — 2° Qui functionibus *religiosis* acatholicorum *formaliter* interesset, uti esset genua flectere, osculari crucem a ministro acatholico porrectam, candelam in quibusdam caeremoniis in manibus tenere, etiamsi haec fierent causa solius honoris civilis, ut in die natalis Imperatoris, quia semper adesset communicatio in divinis cum haereticis. *Item* qui in haereticorum templis caneret hymnos, organa pulsaret, etiam lucri causa: uno verbo qui eorum ritibus religiosis participaret, vel *formaliter* assisteret. — 3° Qui solo respectu humano, irreligiosas repraesentationes, vel impios sermones contra fidem a sociis vel in conversatione auditos externe approbaret vel eis plausum faceret. — 4° Discipulus, qui impii professoris lectionem (in qua haereses adsint) ad modum persuasi repetat. Dico *ad modum persuasi*: si enim ex signis aut circumstantiis satis constet quod non ex propria persuasione, sed solum ex fine repetendi verba magistri haereses proferat, tunc fidem non negaret. Curarem tamen ut ille has haereses prorsus praeteriret, et de hoc magna obligatio, maxime si agatur de haeresi valde damnosa, adesse potest (*Berardi*, Praxis, 64). Ceterum iste discipulus, qui interrogatur ab impio professore, et timet ne excludatur si juxta fidei principia respondeat, nihil ex sese contra fidem dicat, et necesse non est ut contradicat gravibus interrogantis assertionibus; hisce enim non contradicere, non est eis adhaerere. — 5° Qui alios doceret catechismum haereticorum, vel legeret eorum Bibliam. — 6° Qui mitteret juvenes vel puellas ad scholas haereticorum et hominum impiorum, in quibus instructio irreligiosa impertitur; esset enim malum maximum et ordinarie irreparabile.

E contra non peccat contra fidem famulus qui dominum, vel ejus uxorem aut filiam, tutelae causa, ad haereticorum templa comitatur, quia dominum comitari ad famulatum pertinet, secluso semper tamen scandalo, vel periculo perversionis, vel participatione eorum ritibus.—Non liceret tamen ipsi Bibliam protestanticam perlegere, etsi juberetur a domino coecutienti vel infirmo. *Marc*, n. 433, 3.

vero interrogetur a privata quidem auctoritate, sed palam, uti interrogatus fuit Petrus, et interrogetur in odium fidei, ita ut ejus silentium vel tergiversatio ex adiunctis negationi fidei aequivaleat, tenetur etiam fidem confiteri; in hoc enim casu honor Dei et utilitas proximi id requirunt.— Si autem a privata auctoritate et privatim aliquis interrogetur, ordinarie et per se non tenetur ad fidem confitendam; sed respondere poterit: *Quid ad te?* immo interrogantem verbis ambiguis eludere potest. Dixi *ordinarie et per se*, nam per accidens ad confessionem fidei teneretur, si per ipsam interrogantem amoveret a periculo abnegandae fidei, alias ipsam negaturum.

344. — *Q.* Licet ne fidem dissimulare?

R. Observandum est quod maxima adest differentia inter simulare falsam fidem, et veram fidem dissimulare. — *Primum* nunquam licet ne ad vitandam quidem mortem, quia est intrinsece malum.— *Secundum* vero, nempe dissimulare veram fidem, licet quando ex una parte nullum adest praeceptum affirmativum ipsam confitendi, et ex altera justa adest causa fidem dissimulandi seu occultandi, v. g. si ex fidei professione religio magis blasphemaretur, vel perturbationes aut gravia damma orirentur [1].

345. — *Q.* Licet ne persecutionis tempore fugam capere?

R. Affirmative, nisi caritas vel justitia, ut esset in Parocho, aliter praeciperent. Hoc autem intercedit discrimen inter eum qui ex caritate et eum qui ex justitia remanere debet, quod prior fugere potest si adsint qui saluti proximi consulant; minime vero posterior, nisi in seipsum solum, vel principaliter persecutio saeviat, et adsint alii qui ovibus provideant.

Certis tamen casibus non solum licita, sed obligatoria est fuga: 1° si persona sit necessaria, vel admodum utilis bono publico; 2° si quis praevideat tyrannum morte sua magis irritari; 3° si timeat ne dolorum vim sustineat, quia secus esset tentare Deum, et periculo se exponere abnegandae fidei; 4° addunt alii, etiam quando praesentia personae necessaria non esset ad bonum Ecclesiae vel fidelium, quia sine causa se exponeret periculo abnegandae fidei, secluso semper scandali periculo; sed non omnes hoc admittunt [2].

346. — *Q.* Peccat ne contra fidem qui, transiens per loca haereticorum, carnes edit diebus vetitis?

R. Si esus carnium esset in odium vel contemptum fidei, vel ad profitendam haeresim, tunc edens peccaret contra fidem, si ederet sine contraria protestatione, secus vero si protestetur.

Si vero esus carnium non est in odium fidei, tunc si ex abstinentia adsit grave damnum, licite quis potest etiam ad dissimu-

[1] Redimere pecunia, ne de tua fide fiat inquisitio, licitum est, et saepe magna virtus discretionis est vitam ad Dei gloriam servare, ac fidem tegere modis licitis. S. Alph., L. II, 14, 7.

[2] An missionarii a Tyranno interrogati, an velint in suo regno remanere, data fide, quod legem evangelicam non promulgabunt, licite possint annuere, promittere, atque talem conditionem acceptare? C. S. O. anno 1674 resp.: *Non posse id promittere. Ballerini*, v. 2, n. 83.

landam fidem carnes diebus vetitis edere, quia praecepta Ecclesiae non obligant cum gravi incommodo [1].

ART. III.

De praecepto ecclesiastico externe confitendi fidem.

347. — *Q.* Quinam ex praecepto ecclesiastico tenentur externe confiteri fidem?

R. § I° Obligatione emittendi professionem fidei, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, teuentur: — 1° Coram praeside eiusve delegato, qui Oecumenico vel particulari Concilio aut Synodo dioecesanae intersunt cum voto seu consultivo seu deliberativo; praeses autem coram eodem Concilio vel Synodo; — 2° Coram sacri Collegii Decano, Cardinalibus primis in ordine presbyterorum et diaconorum, et S. R.E. Camerario, promoti ad cardinalitiam dignitatem; — 3° Coram delegato ab Apostolica Sede, promoti ad sedem episcopalem etiam non residentialem, vel ad regimen Abbatiae vel Praelaturae *Nullius*, Vicariatus Apostolici, Praefecturae; — 4° Coram Capitulo cathedrali, Vicarius Capitularis; — 5° Coram loci Ordinario eiusve delegato et corum Capitulo, qui ad dignitatem vel canonicatum promoti sunt; — 6° Coram loci Ordinario eiusve delegato, Vicarius Generalis, parochi et ii quibus provisum fuit de beneficiis quibusvis, etiam manualibus, curam animarum habentibus; rector, professores sacrae theologiae, iuris canonici, et philosophiae in Seminariis, initio cuiuslibet anni scholastici, vel saltem initio suscepti muneris; omnes promovendi ad ordinem subdiaconatus; librorum censores de quibus in **Can. 1393**; sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi; — 8° Coram Ordinario eiusve delegato Rector Universitatis vel Facultatis; coram Rectore vero Universitatis vel Facultatis eiusve delegato professores omnes in Universitate seu Facultate canonice erecta initio cuiusve anni scholastici vel saltem initio suscepti muneris; itemque qui, periculo facto, academicis gradibus donantur; — 9° Coram Capitulo vel Superiore qui eos nominavit eorumve delegato, Superiores in religionibus clericalibus: — § 2°, Qui, priore dimisso, aliud officium vel beneficium aut dignitatem etiam eiusdem speciei consequuntur, rursus debent fidei professionem emittere ad normam huius canonis. **Can. 1406.**

Obligationi fidei professionem emittendi non satisfacit qui eam per procuratorem vel coram laico emittit. **Can. 1407.**

ART. IV.

De comunicatione catholici cum haereticis et infidelibus.

348. — *Q.* Licet ne communicare cum haereticis, vel infidelibus?

R. Praemitto: triplex distinguitur communicatio, religiosa, civilis et mixta. — Communicatio *religiosa* seu in divinis versatur

[1] S. Alph., L. II, 15.

in rebus sacris seu ad religionem spectantibus. Haec autem communicatio in sacris non adest quando quis functionibus acatholicis materialiter tantum interest, sed quando ipsis *formaliter* participat et adhaeret. Communicatio *civilis* versatur in rebus spectantibus ad civile commercium et ad politicam societatem. Communicatio *mixta* vero versatur in iis quae obire solemus tum religionis, tum officii civilis causa, v. g in funeribus, sed quatenus officium mere civile exhibent. Hoc praemisso:

1. Communicatio *religiosa* cum haereticis (qui nempe aliquam sectam profitentur), cum apostatis, infidelibus, jure naturali, divino et ecclesiastico prohibita est; — ratio, quia esset simulatio, vel approbatio falsae fidei, seu falsae religionis. Unde *S. C. S. Off.* die 10 maji 1770 declaravit: *Absolute non licere nec per se nec per alios, fungi officio patrini in baptismis quae haereticorum filiis ab haereticis ministrantur* [1].

2. Communicatio *civilis* per se licita est; per accidens vero illicita, vel ratione specialis prohibitionis, vel ratione scandali, aut periculi, quod periculum maxime timendum est pro eo qui familiaritatem cum haereticis habet.

3. Communicatio *mixta* per se licita est, dummodo ex una parte nulla adsit participatio in ritu haeretico, et officium mere civile exhibeatur, et ex altera adsit justa causa, secluso semper scandalo et periculo; ratio quia talis adsistentia esset materialis tantum, non formalis, ideoque esset communicatio non religiosa, sed mere civilis.

349. — *Q.* Licet ne adire templa haereticorum?

R. Adire templa haereticorum, etiam merae curiositatis causa, per se non est peccatum, dummodo non adsit communicatio in sacris; — ratio, quia talis ingressus est actus per se indifferens, ideoque nonnisi a pravo fine vel ex circumstantiis efficitur malus. Ita S. Congregatio S. Off., 14 jan. 1818.

Dixi *per se,* nam talis ingressus peccatum est: 1° Si adsit specialis Ordinarii prohibitio [2]. 2° Si adsit periculum perversionis, vel periculum scandali, quod metiendum est etiam ex frequentia ingressus. 3° Si quis adeat animo assistendi sacris haereticorum functionibus. 4° Si, etiam absque tali animo, ingressus ipse in haereticorum templum inferat vel inferre videatur aliquam cum eisdem haereticis *in divinis* commu-

[1] S. C. de P. F. Missionariis ac Praelatis Orientis respondit: Communicationem *in divinis* Catholicorum cum Haereticis et Schismaticis non licere, quia *in praxi*, circumspectis omnibus facti circumstantiis, moraliter impossibile est quod in tali communicatione non adsit periculum perversionis in Fide Catholica, vel periculum approbationis in ritu haeretico, vel occasio scandali. Quae quidem circumstantiae, quemadmodum regulariter communicationi in divinis cum Haereticis *in praxi* connectuntur, ita et universim vetitae sunt jure naturali ac divino, in quo nulla potestas est, quae dispenset, nec ulla conniventia quae excuset. *Bucceroni*, Enchiridion Morale, pag. 9.

[2] Sic Emin. Card. Vic. gen. die 12 jul. 1878, in instruct ad Parochos Almae Urbis, sub gravi prohibet quominus quis haereticorum conciones audiat, vel, etiam sola curiositate ductus, scienter ingrediatur fana seu aulas haereticorum, dum hi conciones vel collationes habent.

nicationem, aut si talis ingressus haeresi favorem, aut aliis scandali occasionem praebeat [1]. 5° Si talis aditus indictus sit ab haeretico gubernio, tanquam protestatio ejusdem fidei ac religionis inter Catholicos et Acatholicos. 6° Si aditus *communiter* habeatur veluti *tessera* unius ejusdemque communionis Catholicorum et Acatholicorum [2].

350.—*Q.* Licet ne conciones

[1] Quare non licet adire concentus musicos haereticorum, si, loci occasione, concentus induunt cultus rationem, vel si horum proventus in haeresis utilitatem cedit, aut alias haeresi favetur. *Marc*, 433, 5.

[2] Instructio *Eminent. Card. Vic.* ad parochos Urbis, data die 12 julii 1878, has normas pro usu parochorum et confessariorum constituit, a S. Pontifice Leone XIII cum consilio collegii Cardinal. sanctas; quarum aliquas valere attendas, quaeso, pro loci circumstantiis, non pro omni loco eadem ratione:

1. « Strictissime idcirco prohibetur, quominus aliquis scienter, ex mera curiositate, ingrediatur aulas et templa protestantium tempore collationum, et graviter peccant omnes, qui ex mera curiositate audiunt conferentias protestantium, aut assistunt etiam pure materialiter caeremoniis acatholicis, et omnes artifices, qui etiam solius lucri causa cantant aut instrumenta musica pulsant in templis protestantium, et typographi, etiam subalterni, qui ne a suis heris dimittantur, collocant characteres ad imprimendos libros haereticos ».

2. « Neque eximuntur a peccato mortali architecti, conductores, opificum domini, qui curam et operam suscipiunt ad exstruendum et ornandum aliquod templum protestanticum. Quod ad ipsos vero murarios aliosque opifices subalternos pertinet, ii possunt a peccato excusari, modo desit scandalum neve quae facere jubentur fiant in contemptum religionis. Verum parochi et confessarii sedulam operam navare debent ad instruendos ejusmodi operarios, etiam ejusmodi cooperationem materialem illicitam evadere, quando ipsorum labor communiter habeatur pro signo profitendi falsam religionem, aut quando opus extruendum aliquid prae se ferat quo directe exhibeatur reprobatio cultus catholici aut approbatio pravi cultus haeretici, aut quando constat, ipsos illos operarios ad laborandum vocari vel cogi ab haereticis in odium catholicae religionis; neque unquam licitam esse *intentionem* haeretico cultui cooperandi ».

3. « Tandem eo magis rei sunt gravissimi criminis parentes, qui, vere crudeles in filiorum animas, eos ad scholas protestanticas mittunt, nedum cogant. Evidens est, ejusmodi parentes in eorum agendi modo reprobandos prorsus esse, atque omni modo possibili curandum esse, ut resipiscant; interim vero eos arcendos esse a Sacramentis, utpote indignos et incapaces, donec filios suos ab ejusmodi scholis revocaverint ».

4. « Ipsi etiam filii, re in se spectata talem scholam accedendo, certo gravis peccati rei sunt. Verum quando vere coguntur, confessarius considerare debet circumstantias personarum et rerum, atque cum iis agere debet juxta regulas probatorum auctorum pro talibus circumstantiis propositas ». Ita haec Instructio.

Notare tamen oportet non omnia, quae hic sub gravi urgentur, ubique locorum sub gravi urgenda esse, cum pro conditione Urbis quaedam professionem haeresis ejusve favorem exprimant, aut gravia pericula inducant, quae, mutatis circumstantiis, magis innoxia esse possunt. *Lemhkuhl.* I. 658 (1).

haereticorum audire, si Princeps omnibus hoc mandet sub poena?

R. Si Princeps hoc praecipiat non ut sectae favor praestetur, sed solum causa ordinis servandi, u: contingere potest v. g. in publicis navibus, tunc probabiliter licet, remoto scandalo et periculo[1].

Si vero hoc praecipiat praecise ut concio haereticorum audiatur, tunc, Paulus V ad Anglos respondit: *Non licere*, etsi Princeps protestetur se non exigere nisi obedientiam civilem, nam talis concio ex se apta est ad catholicos paulatim pervertendos.

351. — *Q.* Licet ne missionariis catholicis a schismaticis rogatis praedicare in eorum templis?

R. S. Congr. de Prop. Fide anno 1674 sic respondit: Vel invitantur ad effectum ut ibi praedicetur veritas catholica indefinite, et etiam contra errores eorumdem schismaticorum, et *affirmative*; vel tantum ut sermo fiat de virtutibus vel vitiis, quae communiter tam a catholicis, quam a schismaticis exerceri vel vitari deben, et *negative*.

352. — *Q.* Licet ne monialibus et capellano, addictis hospitiis ubi recipiuntur etiam acatholici, vocare ministrum haereticum si ab istis petatur ad religiosa auxilia recipienda?

R. S. C. S. Off. die 15 martii 1848 respondit: Juxta exposita, *non licere*; et adjunxit: *Passive se habeant;* vocare enim ministrum haereticum ut ritum suum administret, idem est ac ab illo petere quod ipse sine peccato (saltem objectivo) facere nequit, quod sane non licet. Verum ait cl. Lehmkuhl[2], indicare tantum esse hominem moribundum acatholicum, qui cupiat ejus praesentiam, etsi praevideatur ministrum ritus suos haereticos peracturum esse, est *cooperatio materialis,* quae ex causa gravissima licita foret.

353. — *Q.* Licet ne catholicis haereticorum templa aedificare?

R. — **1.** Certe non licet in sequentibus casibus: — 1° Si agatur de locis ubi haeretici publicum cultum non habent, vel si agatur de secta recenter exorta, quae adhuc est in formali rebellione contra Ecclesiam, quia tunc esset formalis cooperatio. — 2° Si opus quodcumque a catholicis praestitum communiter habeatur *pro signo protestativo* falsae religionis. — 3° Si in eorum facto adsit scandalum, vel periculum perversionis, vel aliquid contineatur quod per se directe ac unice exprimat reprobationem catholici cultus, et approbationem damnati cultus haereticorum. — 4° Si quis ad opus adigitur aut vocatur in contemptum catholicae religionis.

2. In locis vero ubi haeretici, vel aliae sectae jamdiu sunt in pacifica possessione libertatis cultus, tunc operarii *secundarii*, seclusis casibus supradictis, possunt ex mediocri causa laborare; puta si architecto vel domino jam locaverant operam suam ad tempus pro quibuslibet aedificiis erigendis, aut si aliud opus difficilius invenirent. In hoc casu relinquendi sunt in bona fide; semper tamen monendi sunt ne haereticorum cultui cooperari intendant. Ita S. C. S. O. die 14 jan. 1818.

Pro architecto tamen sola lucri cessatio non videtur causa sufficiens; sed multo gravior requiren-

quae, mutatis circumstantiis, magis innoxia esse possunt. *Lehmkuhl*, I, 658, (1).

[1] *Génicot*, I, 200, 2.
[2] Vol. I, n. 652.

da videtur, v. g. si alioquin timeret ne cum gravi suo damno plures a se, et a suae artis usu averteret. Nihilominus confessarius attendere debet in regionibus acatholicorum haec semper ex leviori causa sine scrupulo a catholicis suscipi et agi, neque scandalum inde oriri; quare prudentiae est, haec silentio praeterire. Quod etiam in aliis quibusdam rebus ante oculos haberi debet.

Idem fere valere videtur de solis aedibus Massonum, Murariorum, et similium aedificandis, cum sit res in se honesta, et satis remote, imo remotius quam haereticorum templa, cum malo usu conjuncta[1].

Ceterum, etsi quaedam non videantur esse per se gravia peccata, secluso semper omni periculo, scandalo, vel formali ritus acatholici participatione, possunt tamen gravia esse ratione circumstantiarum, vel specialis positivae prohibitionis. Sic in alma Urbe, ratione circumstantiarum et specialis prohibitionis, a mortali non excusantur architecti, conductores, fabrorum magistri, qui propriam conferunt operam atque laborant ad extruendum aliquod protestantium templum.

354. — *Q.* Licet ne conferre pecuniam ad templa, scholas, instituta haereticorum?[2]

R. — **1.** Conferre *sponte* pecuniam pro institutis *religiosis* alicujus sectae, a formali cooperatione excusari nequit, cum majus sit malum quam ejusmodi instituti aedes construere; qui enim pecuniam confert, causam ipsam per se formaliter protegit et fovet, dum qui aedes construit, materialiter tantum juvat.

2. Si autem ex aerario publico subsidia consueverunt dari confessionibus diversis pro rebus ad cultum religiosum spectantibus, deputati, etiam catholici, qui haec decernunt, excusari possunt ob gravem causam promovendi bonum commune, seu avertendi damnum a re catholica; dummodo declarent vel aliquo modo ostendant, se has pecunias concedere acatholicis non ut *asseclis sectae*, idest ad cultum acatholicum, sed quatenus *concivibus*, ut hi pro arbitrio suo bonos fines promovere possint. Cum tali restrictione et in iis adjunctis cooperatio evadit materialis tantum, et ex gravi causa publica a peccato immunis.

3. Quod si haereticorum institutum non est formaliter religiosum, et ex se tendit ad finem honestum, v. g. ad educationem, curam aegrotorum, pauperum, etc., tunc catholicus privatus ex gravi causa pecuniam conferre potest, modo finis pro quo petitur pecunia, non sit haeresis propagatio, et pecunia publice consideretur data ad finem honestum, non ad cultum religiosum. Attamen, convenit, quantum fieri potest, ut ab his quisquis se abstineat, ob non levia incommoda quae exinde oriri solent.

Quoniam vero Romae adjuncta prorsus alia fuerunt et sunt, facile intelligitur ibi ejusmodi pe-

[1] *Lehmkuhl*, I, 658.

[2] *An liceat catholicis pecuniam pro aedificando templo haereticorum contribuere*, S. Poenitentiaria anno 1822 respondit: *Affirmative*, sed tantum ad se suaque templa ab incommoda illa ac scandalosa cum protestantibus simultaneitate liberandum. Responsio igitur respicit *tantum illa loca*, in quibus catholici et acatholici ad suas functiones celebrandas eodem templo *promiscue utuntur*.

cuniarum collationem non posse procedere nisi ex interno falsae sectae favore aut liberalismi religiosi professione, aut saltem ex amoris in ejusmodi perversam doctrinam ostentatione; quae omnia intrinsecus mala esse patet. Hinc severa hujusmodi rei prohibitio in *Instructione* Car. Vic. ad parochos Urbis 12 jul. 1878.

355. — *Q.* Licet ne pulsare organa, vel canere in templo haeretico?

R. Si festivitas non est religiosa, sed profana, seu civilis, puta si fiat in honorem Principis acatholici praesentis, tunc licet, modo pulsatio organi, vel cantus non sit pars aut ornamentum ritus religiosi.

Si vero festivitas est religiosa, tunc omnino illicitum erit, quia esset veluti approbatio falsae sectae, ejusque formalis participatio.

356. — *Q.* Licet ne pulsare campanas ad annuntiandam haereticorum concionem?

R. Disput. Th. Nonnulli affirmant, quia putant hanc pulsationem esse tantum cooperationem materialem; nam ex natura rei pulsare campanas est signum seu nuntius alicujus rei; est igitur idem ac nuntium dare aliis mox haberi concionem acatholicam, quod materialis est cooperatio. Unde si quis ostendit se quodammodo coactum ad illud agendum v. g. metu extremae necessitatis, vel alterius gravis mali, simulque ostendit se illum ritum acatholicum detestari, excusandus videtur[1].—Communiter tamen negant, quia talis pulsatio sumitur pro invitatione ad haereticum cultum, ideoque si non ex se, saltem ex circumstantiis esset formalis cooperatio.

357. — *Q.* Quaenam pericula magis cavenda sunt ad fidem custodiendam?

R. Quum fides sit *humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis*[2], quaenam jactura amissione fidei potest esse major, aut quaenam abyssus profundior? Thesaurus itaque fidei cautissime custodiri debet; et in hac custodia deficere, faciliter mortale nefas est.

Cavendum est itaque ab impiis libris, ephemeridibus, sociis, conversationibus, nec non a quibusdam theatris et hospitiis, vulgo *caffè* et *club*. — Pericula adesse solent etiam in scholis et universitatibus, necnon in officinis. — Interdum adsunt etiam pericula domestica, nempe propter maritum, patrem aut fratres; vel propter herum, aut ministros aut famulos; vel demum propter personas extraneas fortuito aut consulto frequenter advenientes.

Supposita ergo gravitate periculi, videndum est imprimis utrum occasio sit voluntaria an necessaria. Si est voluntaria, tunc omnino relinquenda seu amovenda est; si vero est necessaria, tunc imminuenda est quantum fieri potest, et de caetero speciales cautelae adhiberi debent.

Sedulo notandum est, quod patresfamilias aliique superiores gravissimam habent obligationem custodiendi fidem, non solum quoad seipsos, sed etiam quoad filios aliosve subditos[3]; quod efficient: 1° *arcendo* occasiones a filiis, aut

[1] *Lehmkuhl*, I, 654.
[2] Trid. sess. VI, cap. VIII.
[3] In Dioec. Neapolitana excommunicatione Ordinario simpliciter reservata ligantur « *patres aut matres, vel alii superiores, qui filios suos, vel sibi sub-*

filios ab occasionibus et, quatenus hoc fieri nequeat; 2° *imminuendo et obtruncando* sermones impios quantum possibile erit; 3° *reparando* damnum mentibus filiorum ab impiis sermonibus illatum; 4° *praemuniendo et instruendo filios,* si forte necesse sit ut ipsi in aliqua ex hujusmodi occasionibus versentur [1].

—

iectos ad scholas, convictus vel coetus haereticorum mittunt. »—Casus IV, 2ae classis.

[1] *Berardi,* n. 69-71 *

* Parochus speciali modo vigilare debet super integritatem fidei catholicae; quapropter si inimicum hominem deprehendat falsas doctrinas in sua paroecia disseminantem, totis viribus huic scandalo omnium damnosissimo se opponat.

Si ille inimicus homo emissarius esset alicujus sectae ad errores disseminandos pretio conductus, Parochus illum personaliter non moneat, nam alium fructum non obtineret nisi irrisiones et contumelias. Isti emissarii omni sensu religioso et morali carent; Parochum uti praecipuum et acerrimum adversarium habent, et elati contra ipsum odium et contemptum ostentant, eo magis si aliquorum patrocinio et tutela gaudent. — Si spes adesset quod auctoritas civilis hoc scandalum impediret, Parochus ad ipsam recurrere teneretur; secus Episcopum de tali scandalo admoneat.

Pluribus in locis non sunt emissarii pretio conducti, sed homines impii et irreligiosi qui pravas doctrinas pravosque libros evulgant; et hi perniciosiores ipsis emissariis evadunt, quia et numero plures sunt, et facilius in familias se insinuant. Parochus igitur ad damna contra fidem impedienda haec media adhibeat: 1° Si monitio vel per se vel per alios facta aliquo modo profutura censeatur, illam tentet. 2° Interim attente observet quas veritates illi perversi homines speciatim oppugnent, et illas populo christiano clarius et abundantius in sacra praedicatione explicet, ita ut fideles contra venenosos errores validum antidotum habeant. 3° Medium efficacissimum erit saepius fidelibus memorare praeceptum S. Pauli: *Haereticum hominem devita* (Tit. III, 10), et illud S. Joannis: *Nolite recipere eum, nec* AVE *ei dixeritis* (2 Io. 10). Haec verba S. Scripturae hominibus impiis et irreligiosis nimis aspera et dura sonant, quae ideo, si fieri posset, delere vellent, utpote nimis contraria falsae et absolutae tolerantiae in rebus fidei, quam ipsi introducere student; quapropter Parochus illa monita S. Pauli et S. Joannis saepius inculcare debet, ut fideles illorum pravorum hominum societatem et insidias evitent.

Si Parochus haec media adhibebit, ex una parte fideles contra pericula in rebus fidei praemuniet, et ex altera pravos illos homines esse lupos rapaces ostendet; sicque omnes illorum conatus contra fidem irritos reddet.

Super omnia autem Parochus curet ne illi homines iniqui scholas aperiant, et juventutem in aliqua arte edoceant; schola enim et instructio non esset nisi praetextus et color ad perniciosas doctrinas disseminandas.

Quod si Parochus impedire nullimode posset quominus illi scholas aperiant et edoceant tunc patres matresque familias iterum iterumque admoneat de gravissimo divino praecepto omnia vitandi pericula contra fidem, ideoque de divina et gravissima prohibitione proprios filios non mittendi ad eorum scholas. Totis interim viribus curet ut in propria Paroecia adsint sive optimae scholae, sive optimi magistri qui una cum civili instructione etiam bonam doctrinam impertiantur.

Quoniam vero haeretici et irreligiosi pravos libros inter fideles distribuunt, Parochus etiam super hoc periculum invigilet; ideoque frequenter contra lectionem pravorum librorum e pulpito tonet atque fideles admoneat de divino et ecclesiastico praecepto pravos libros vel consignandi, vel saltem flammis tradendi; simulque curet ut boni libri inter fideles pervulgentur et legantur.

Denique Parochus, ut bonus Pastor, numquam obliviscatur munus suum praecipuum esse oves proprias tueri et pascere, ideoque inter fideles servare integritatem fidei, quae est *radix omnis justificationis;* amissa enim fide catholica, actum esset de aeterna salute fidelium. Cf. *Frassinetti.*

CAPUT IV.

De vitiis fidei oppositis.

358. — *Q.* Quaenam vitia fidei opponuntur ?

R. Vitia fidei opposita sunt : infidelitas et haeresis, quibus adjunguntur apostasia et schisma.

ART. I.

De infidelitate.

359. — *Q.* Quid est infidelitas, et quomodo dividitur ?

R. Infidelitas est *carentia fidei in homine non baptizato*, et triplex est : negativa, privativa, positiva seu contraria. — *Negativa* est carentia fidei in eo cui fides nullomodo annuntiata fuit, vel non sufficienter. — *Privativa* est carentia fidei in eo, qui vel mysteria fidei non vult audire, vel iis sufficienter propositis non vult assentiri, quin tamen contraria asserat. — *Positiva* seu *contraria* est carentia fidei in eo qui fidei sibi propositae resistit, vel negando veritatem fidei, vel aliquid fidei contrarium asserendo [1].

Praecipuae species infidelitatis *positivae* sunt : Paganismus, Judaismus, Mahumetismus, quibus adjungi possunt Atheismus, Pantheismus et Rationalismus, qui nostris temporibus tam late grassatur.

360. — *Q.* Infidelitas est ne peccatum ?

R. — I. Infidelitas *negativa* non est peccatum, sed tantum poena peccati ; ratio, quia non potest esse peccatum ubi adest ignorantia invincibilis ; unde damnata fuit haec propos. Baji : *Infidelitas pure negativa in iis, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.*

II. Infidelitas *privativa* peccatum est ex genere suo mortale ; ratio, quia hujusmodi infidelis voluntarie omittit quod potest et tenetur credere sub gravi, unde de eo dictum est : *Qui non credit, jam judicatus est* [2].

III. Infidelitas *positiva* peccatum est et quidem gravius infidelitate privativa ; - ratio, quia continet gravem injuriam et contemptum divinae veritatis, seu auctoritatis Dei revelantis.

361. — *Q.* Ritus infidelium possunt ne licite permitti ?

R. Ritus infidelium nunquam approbari vel foveri possunt ; eos tamen aliquando tolerare licet quando per eorum prohibitionem majora mala inducerentur, aut majora bona impedirentur. Sed aliud est tolerare, quod cum justa causa licet, aliud vero sectas omnes et cultus seu religiones omnes eodem loco positive habere, et religioni catholicae in omnibus coaequare, quod verae religioni injuriosum est, et in eo qui catholicam religionem veram esse noverit, gravissimum peccatum.

362. — *Q.* Est ne licita communicatio civilis cum judaeis ?

R. Quamvis communicatio civilis cum infidelibus per se non sit prohibita, haec tamen communicatio cum judaeis, quibusdam in casibus, est ab Ecclesia specialiter interdicta, sive ad tuendam Religionis christianae dignitatem, sive ad vitanda perversionis pericula et scandala.

[1] S. Alph., L. II, 17.

[2] Jo., III, 18.

Hinc christianis vetitum est habitare cum hebraeis, eorum conviviis interesse, aut communi balneo uti, eorum azymis vesci, iisdem famulari, et mulieribus christianis vetitum est lactare eorum infantes etiam in propria domo. Secluso tamen scandalo vel periculo perversionis, non esset mortale cum judaeis in praedictis communicare; imo nec veniale si fiat ex rationabili causa. Ceterum ex consuetudine multis in locis, et forte etiam apud nos, huic legi, quatenus est positiva, derogatum est[1].

ART. II.

De haeresi, apostasia et schismate.

363.—*Q.* Quid est haeresis? *R.* Haeresis *lato sensu* sumitur pro quolibet errore contra fidem; *stricto sensu* vero definiri solet: *Error voluntarius et pertinax contra aliquam veritatem fidei catholicae in homine baptizato et christianismum profitente.* — Dicitur: 1° *error voluntarius et pertinax*, quia ad haeresim requiritur error ex parte intellectus et pertinacia ex parte voluntatis. Dicitur: 2° *contra aliquam veritatem fidei catholicae*, nempe *ab Ecclesia ad credendum propositam*. Quare non sufficit ut aliqua propositio sit ab Ecclesia damnata, sed requiritur ut sit damnata ut haeretica; nec sufficit ut aliqua assertio existimetur haeretica, sed necesse est ut vere sit haeretica, aliter haeresis esset affectiva, sed non effectiva[2]. Hinc haereticus non esset, qui negaret veritatem ab Ecclesia propositam ad credendum de fide ecclesiastica, non de fide divina, ut v. g. qui negaret aliquem sanctum esse, quem Summus Pontifex albo sanctorum recensuit; vel animas purgantium igne torqueri; nec qui negaret conclusionem theologicam quando praemissae, ex quibus deducta est, una ratione, altera fide constent, quod planum est[3]. Dicitur: 3° *in homine baptizato*; hinc catechume-

[1] *Marc*, 448.

[2] Ecclesia interdum *nota* seu *censura* theologica inurit propositiones aliquas, non quasi haereticas, sed vel: 1° quasi *haeresi proximas*; vel 2° *falsas, erroneas*; vel 3° *scandalosas* aut *offensivas piarum aurium. Illas* et *istas* tenere, *has* proferre coram aliis, propter scandalum, grave est.

Ad haec recepta sententia est, nec eum a lethali excusari, qui sciens prudens tenet sententias (in his quae ad fidem vel mores pertinent), quas Th. fere unanimi consensu, erroneas vel haeresi proximas, impias, temerarias, etc. judicant: quia *imprudentissimum est in doctrina sacra sic opinari, et qui sic opinatur exponit se periculo gravius errandi*. D' Annibale, II, 3 (4).

Quoad propositiones a Pio IX in *Syllabo* damnatas, observari oportet quod: 1° Nonnullae ex hisce propositionibus errorem continent contra aliquod fidei dogma, vel contra aliquam veritatem ut a Deo revelatam ab aliqua pontificia declaratione propositam; unde qui voluntarie et pertinaciter alicui ex hisce propositionibus adhaereret, haereticus esset, et poenas contra haereticos incurreret. — 2° Quoad alias propositiones, qui ipsis adhaereret vel eas defenderet, notam temeritatis certe non effugeret, et certe graviter peccaret contra obedientiam et auctoritatem Ecclesiae; excommunicationem tamen non incurreret, quia propositiones in *Syllabo* contentae non fuerunt damnatae sub poena excommunicationis. Verum quidem est quod ex Const. *Apost. Sedis* adest excommunicatio Rom. Pontif. reservata in docentes et defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas, sed intelligitur damnatas *sub poena excommunicationis latae sententiae.*

[3] Dixi: *ex quibus deducta est*; nam si conclusio continetur in praemissis, quasi pars in toto, ipsam revelatam

nus, qui negaret veritatem catholicam sibi sufficienter propositam, esset quidem infidelis, non vero haereticus. Dicitur: 4° *christianismum profitente,* nam, si quis non unam tantum veritatem, sed totam fidem abjiceret, non haereticus sed apostata foret.

Hinc ex praedicta definitione patet quod est haereticus tantum *materialis:* 1° qui de fide catholica nihil cognoscit, et de sua nunquam dubitavit; 2° qui negat aliquam veritatem, quam nescit esse veritatem catholicam seu de fide, etsi ex ignorantia etiam culpabili et crassa sententiam suam mordicus tueatur, quia deest *error* intellectus; 3° qui ex ignorantia etiam affectata aliquid credit fidei contrarium, si paratus est judicium suum submittere Ecclesiae judicio, quia non adesset *pertinacia* voluntatis [1].

E contra est *formalis* haereticus: 1° qui ex pertinacia vel Ecclesiae contemptu veritatem cognoscere studiose negligit; 2° qui intellectum a veritate sufficienter proposita ex industria avertit, ut suae sectae vel opinioni adhaereat; 3° qui, agnita veritate, Ecclesiae contradicere perseverat. Hi sunt tres praecipui pertinaciae gradus, quorum primus fundatur in veritate studiose neglecta; secundus in veritate sufficienter proposita, sed contempta; tertius in veritate agnita, sed malitiose oppugnata [2].

364. — *Q.* Quomodo distinguitur haeresis?

R. Haeresis triplici modo distinguitur: 1° Dicitur *formalis*, si error contra fidem est voluntarius et pertinax, secus *materialis* vocatur, uti est in haereticis qui dicuntur *bonae fidei* 2° Dicitur *interna,* si in corde tantum latet; *mere externa*, si non habetur in corde, sed tantum exterue; *externata*, si utroque modo habetur. 3° Tandem dicitur *occulta*, si nemini aut paucis tantum sit nota; *manifesta* vero vel *notoria*, si nota est multis, ita ut celari amplius nequeat.

365. — *Q.* Est ne haereticus *formalis* qui dubitat de aliqua fidei veritate?

R. Si *positive* dubitat, nempe judicat illam fidei veritatem esse dubiam, vel judicat motiva contraria fidei incertam reddere veritatem, tunc est haereticus *formalis;* nam voluntarie errat contra fidei veritatem judicando dubia esse et incerta quae Deus revelavit; hinc illud: *Dubius in fide infidelis est.* Hoc dubio laborant, atque ideo haeretici sunt, qui adeunt concionatorem haereticum, creduturi *si persuaserit;* qui ajunt se paratos esse credere quod ab Ecclesia definitum est, v. g. R. P. infallibilem esse, si rationibus demonstratum fuerit [3].

Si vero dubitat tantum *negative*, idest suspendit judicium, et vult alia cogitare, ex. gr. *ne mentem fatiget*, etc., tunc non est haereticus formalis, quia nullum eliceret judicium fidei contrarium; modo tamen non adeo judicium

per se, atque ideo de fide esse, palam est. *D'Annibale*, Comment. in Const. *Apost. Sedis*, 30 (10).

[1] Impii qui in viis publicis, vel in coetibus negant veritates revelatas, v. g. divinam providentiam, inferni aeternitatem, plerumque habendi non sunt uti haeretici, vel quia ob ignorantiam excusantur a pertinacia, vel quia sunt veri apostatae, cum non unam veritatem revelatam, sed totam revelationem negent.

[2] *Marc*, 441.

[3] *D'Annibale* II, 6, (3).

suspendat, ut virtualiter judicet non liquere de certitudine objecti[1].

366. — *Q.* Haeresis quodnam peccatum est?

R. — I. Haeresis *formalis* est peccatum gravissimum ex toto genere suo; ratio, quia est contemptus auctoritatis Dei revelantis, unde Deum directe et immediate aggreditur. — Insuper haeretici *dogmatizantes*, seu qui haeresim ex professo docent, praeter peccatum contra fidem, etiam peccatum committunt perniciosissimi scandali.

II. Haeresis *materialis*, si procedit ex ignorantia *invincibili*, non est peccatum; ratio, quia ignorantia invincibilis tollit voluntarium; ergo et peccatum. — Si vero procedit ex ignorantia *vincibili* seu culpabili, tunc peccatum est, et quidem pro ratione culpae hujusmodi ignorantiae.

367. — *Q.* Disputatio *formalis* cum haereticis est ne licita?

R. Si disputatio est *publica*, seu coram pluribus ex condicto, fieri nequit sine Pontificis venia, vel saltem Ordinarii si periculum sit in mora (S. C.C. die 8 mart. 1625).

Si vero *privata*, idest coram paucis, prohibita est *laicis* sine venia Episcodi, cujus est judicare de peritia disputantis, et de utilitate disputationis. *Clericis* vero permittitur si sint valde periti, et adsit spes boni fructus [2].

In praxi tamen *regulariter* convenit ab hisce disputationibus se abstinere, quia saepius in illis veritas non auditur sed opprimitur, et aliunde haereticus facilius caritate et bonis verbis quam disputatione ad veritatem reducitur.

368. — *Q.* Quid est apostasia, et quotuplex?

R. Apostasia latine *discessio*, seu *desertio*, prout hic sumitur est *discessio a bono quod quis solemniter professus est.* Et triplex est: 1° *a fide*, et est recessus totalis a fide catholica; et haec, verius, non est peccatum ab haeresi specie distinctum, cum sit contra eamdem virtutem; haereticus enim a fide recedit ex parte, apostata ex toto; 2° *a religione*, et est recessus criminosus ab ordine religioso, cum animo non revertendi; 3° *ab ordine*, quando clericus in sacris constitutus ad statum laicalem transit, dimisso habitu clericali [3].

369. — *Q.* Quid est schisma et quale peccatum?

R. Schisma est *voluntaria baptizati separatio ab unitate Ecclesiae.* Aliud est *non purum*, quod haeresi conjunctum est, et invenitur in iis qui aliquem fidei articulum negant. Hujus generis est schisma Graecorum, qui negant primatum Summi Pontificis, etc [4]. — Aliud est *purum*, quod ab haeresi sejunctum est, et invenitur

[1] S. Alph., L. II, 19, 2.

[2] *Marc*, 449.

[3] Qui inter catholicos degentes nunquam missam audiunt, nunquam praecepto paschali satisfaciunt, die veneris carnem semper manducant, etc., sine dubio per hunc totalem et stabilem recessum ab actibus catholici cultus, *suspectos* saltem se ostendunt de incredulitate, licet absolute increduli dici nequeant. — Hoc autem a fortiori dicendum esset, si nonnisi cum incredulis amicitiam haberent, si nonnisi libros impios legerent, si sacras Imagines a suis aedibus expellerent, si exercitium catholici cultus uxori et filiis interdicerent. *Berardi*, 64.

[4] Hi schismatici sunt excommunicati ipso facto, quia schisma cum in facto consistat, haeresim exterius ipso facto manifestant. *D'Annibale*, I, 110.

in iis qui, licet credant omnes fidei articulos, nec non Summum Pontificem esse visibile Ecclesiae caput, tamen separant se ab eo, denegantes ei obedientiam non ex odio in ipsum vel in aliquam ejus personae qualitatem (ex hoc enim non essent schismatici), sed quia eum, ut est caput Ecclesiae, recognoscere nolunt. — Istis schismaticis accensentur *intrusi*, idest qui contra fas, et Ecclesiae jura, aliena officia et beneficia ecclesiastica invadunt freti potentia saeculari [1].

Schisma, licet *purum*, est speciale peccatum et quidem gravissimum contra caritatem, quia unitatem Ecclesiae laedit.

370. — *Q.* Quid dicendum de liberalismo?

R. Liberalismus multiplici varietate accipitur, praesertim ab iis, qui catholici manere volunt; sed proprio sensu et quoad doctrinam spectatus, liberalismus est systema politico-religiosum quod plenam independentiam Status ab Ecclesia seu Religione profitetur; ita ut Status se regat nullo habito respectu ad Ecclesiam, quasi haec non existeret. Quare nullam admittit Ecclesiae auctoritatem in Statum, ne in iis quidem quae ad illius finem pertinent, uti matrimonium, bona ecclesiastica, etc. Hoc perniciosum systema infallibili sua auctoritate reprobavit Pius PP. IX in Encyclica *Quanta cura* (8 dec. 1864). — Unde:

1° Haereticus est qui plene amplectitur liberalismi doctrinam, seu ejus suprema capita; nempe plenam independentiam Status ab Ecclesia, vel (quod pejus est) subjectionem Ecclesiae auctoritati Status. — 2° Idem dicendum est de iis liberalibus qui pertinaciter tenent doctrinas quasdam particulares quae etiam fidei adversantur, v. g.: Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium. Saepe vero ab haeresi excusantur catholici qui hos errores tuentur propter ignorantiam, quae tamen plerumque culpabilis est. — 3° E contra non esset haereticus, sed graviter contra obedientiam Ecclesiae debitam peccaret, qui non teneret doctrinam fundamentalem liberalismi, sed tantum aliquem errorem secundarium, ab Ecclesia quidem damnatum, minime tamen fidei divinae contrarium.

Si qui ergo liberales vocantur, vel has politicas partes sequuntur, et aliunde boni catholici officia adimplere videntur, prudenter erit investigandum num in doctrina vel agendi ratione aliquid mali admittant: facilius autem in hoc argumento aliqua bona fides admitti potest [2].

ART. III.

De poenis in schismaticos, apostatas et haereticos.

371. — *Q.* Quaenam poena in apostatos, haereticos et schismaticos?

R. Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici aut schismatici: 1° Incurrunt ipso facto excommunicationem (speciali modo Sedi Apostolicae reservatam); 2° Nisi moniti resipuerint, priventur beneficio, dignitate, pensione, officio aliove

[1] *D'Annibale*, I. 109 (4).

[2] *Génicot*, I, 205.

mnuere, si quod in Ecclesia habeant, infames declarentur, et clerici, iterata monitione, deponantur; 3° Si sectae acatholicae nomen dederint vel publice adhaeserint, ipso facto infames sunt, et clerici, monitione incassum praemissa, degradentur. **Can. 2314.**

Suspectus de haeresi, qui monitus causam suspicionis non removeat, actibus legitimis prohibeatur, et clericus praeterea, repetita inutiliter monitione, suspendatur a divinis, quod si intra sex menses a contracta poena completos suspectus de haeresi sese non emendaverit, habeatur tanquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius. **Can. 2315.**

Qui quoque modo haeresis propagationem sponte et scienter iuvat, aut qui communicat in divinis cum haereticis contra praescriptum can. 1258 suspectus de haeresi est. **Can. 2316.**

Igitur excommunicationi subjiciuntur :

1. *Apostatae* a fide, nempe qui *repudiata fide catholica,* transierunt ad aliquam infidelitatis speciem, v. g. ad judaismum, mahumetismum ; vel qui, *repudiata divina revelatione*, increduli evaserunt, uti sunt *Liberi Cogitatores*, qui prius Catholici, modo profitentur se nullam habere religionem ; vel qui prius Catholici, nunc profitentur se esse Rationalistas, Materialistas ; vel qui exercent artem spiritismi, magnetismi, etc. si talis ars provenit a pertinaci errore intellectus saltem contra aliquem fidei articulum, vel provenit a repudio catholicae fidei.

2. *Haeretici* cujuscumque nominis vel sectae. Sed ad poenam incurrendam requiritur: 1° ut haeresis sit *formalis*, nimirum conjuncta cum errore intellectus et pertinacia voluntatis ; 2° ut haeresis sit verbis aut signis ita *externata*, ut ab aliis percipi possit. Dixi: *percipi possit*, non enim opus est ut revera alius percipiat, animadvertat [1] ; 3° ut haeresis sit externata animo non enarrandi, sed *profitendi* haeresim, ita ut actio externa (dictum vel factum) veram haeresim significet.

3. Qui quoquo modo haeresis propagationem sponte et scienter iuvat. Hinc poenam incurrit: qui formaliter profitetur se esse haereticorum asseclam, quamquam ad eorum sectas formaliter non pertineat; haec enim actio externa haereticis credendi est graviter peccaminosa, et poenae subiecta: qui haeresim formaliter verbis aut scriptis defendit, etsi interne aliud sentiat; quia talis actio haeresis propagationi favorem praestat; qui haereticis favorem praestat, vel eos non puniendo, quando ex officio debet, vel eos positive adiuvando ut facilius haeresim doceant, atque diffundant [2].

[1] Quamobrem si v. g. aliquid haereticum quis scripserit characteribus a se confictis, sibique soli notis, haeresis externata non intelligitur. *D'Annibale*, I, 146 (19).

[2] *D'Annibale*, Comment. 32.

Casus. — Thomas — 1° Ad vitandas pravorum sociorum molestias, se externe gerit ut unum ex ipsis, seu ut liberum Cogitatorem; imo ipsorum doctrinis applaudit. — 2° In paupertatem prolapsus dona a ministris haereticis libenter acceptat et eorum interest comitiis, licet in corde suo ipsa detestetur. — 3° Curiositatis causa haereticorum templa ingreditur quin tamen consensum vel approbationem manifestet. — *Quid dicendum de Thoma ?*

R. Ad 1.um — Thomas haereticus non est, quia interne credit ; in eo tamen

373. — *Q.* Quaénam poenae in nomen dantes sectae massonicae?

R. Nomen dantes sectae massonicae, aliisve eiusdem generis associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates civiles machinantur, contrahunt ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam. **Can. 2335.**

Associationes autem, eiusdem generis sectae massonicae habentur: Societas *carbonaria*: societas *Fenianorum;* societates *internationalisticae*, *nihilisticae*, *anarchicae* societates *crematoriae*, hae enim societatis massonicae filiae sunt. Ad censuram incurrendam necesse est quod qui nomen societati dederit conscius fuerit, sive finis eiusdem societatis, sive praesentis censurae.

Utrum hisce societatibus accensendae sint societates *socialisticae*, *communisticae*, quae certe prohibitae sunt et quidem sub gravi, disput. Th. Itaque in praxi confessarius non debet poenitentem in his societatibus recipiscentem ut excommunicatum tractare. Idem dicendum de quibusdam societatibus recentibus, certe massonismum olentibus, ut sunt *Lega di insegnamento, Società Dante Alighieri*, *Camera del lavoro*, et similes.

374. — *Q.* Adest ne obligatio denuntiandi haereticos, vel de haeresi suspecto?

R. Praemitto: Duplex adest denuntiatio: *fraterna* una, quae rei emendationem respicit: *judicialis* altera, quae respicit ejus coërcitionem. Hoc posito:

1. Ex lege generali caritatis, denuntiatio fraterna obligat semper ac spes adsit quod profutura sit; uti esset de clerico in sacris, vel de religioso cum voto castitatis matrimonium contrahente, aut de sacerdote pluries in die, vel non ieiuno, celebrante, hi enim suspecti saltem sunt de haeresi, et adest spes quod monitio profutura sit. Hinc Codex iuris canonici can. 2336, § 2. haec habet: Clerici et religiosi nomen dantes sectae massonicae aliisve similibus associationibus denun-

quod externe se gerit ut Liberum Cogitatorem graviter peccat contra praeceptum fidei negativum, quod prohibet falsam sectam etiam externe tantum profiteri aut simulare, quod praeceptum uti negativum obligat semper et pro semper.

Videtur tamen quod poenam excommunicationis non incurrat, sive quia non sponte, sed ad vitandas pravorum sociorum molestias, vel causa lucri ita se gerit; sive quia haeresis propagationem non favet formaliter, nempe animo haereticis favendi, sed tantum materialiter, nempe ex alio motivo, ad vitandas molestias, vel ex causa lucri.

Ad 2.um — Si dona a ministris haereticis accepit uti eleemosynam gratis datam, et acceptare et retinere potest. Si autem acceptat uti pretium sui interventus functionibus religiosis acceptare nequit, quia ejus interventus auctoritatem confert praedicationi haereticali, et pravo suo exemplo alios induceret ad illos conventus; quod esset quaedam cooperatio, saltem materialis, ad haeresim propagandam, unde illa dona essent pretium iniquitatis. - Quoad vero ejus interventum haereticorum comitiis, videndum: si functionibus religiosis *formaliter* assistit et ipsis participat, uti si munus patrini exercet in baptismo, vel coenae religiosae participat, tunc et graviter peccat contra fidem, et poenam incurrit, uti haereticis credens, vel haereticorum fautor. Si vero tantum *materialiter* assistit, tunc peccat pro ratione periculi vel scandali.

Ad 3.um — Solus ingressus in templa haereticorum, etiam sola curiositatis causa, *per se* et *absolute loquendo*, non est peccatum; *per accidens* tamen peccare potest pro ratione scandali aut periculi.

tiari debent Sacrae Congregationi S. Officii.

2. Ex lege vero ecclesiastica olim obligatio denuntiandi haereticos vel de haeresi suspectos, erat sub poena excommunicationis; nunc vero remanet obligatio denuntiandi clericos, vel religiosos, ut nuper dictum est, sed non amplius sub poena excommunicationis.

375. — *Q.* Quandonam cessat talis obligatio denuntiationis?

R. Haec obligatio cessat: I° quando crimen quis scit ex secreto commisso quod bonum publicum exigit ut servetur; 2° quando quis denuntiationem facere nequit quin seipsum prodat, vel facere nequit sine gravi incommodo; at si damnum esset publicum, grave incommodum privatum non excusaret; 3° quando nulla spes punitionis vel emendationis effulgeat, ad opus enim inutile nemo tenetur. — At si adsit spes quod Episcopus haereticum punire, vel saltem saluti gregis per opportuna remedia providere possit, v. g. si ageretur de ecclesiastico, tunc obligatio certe urget.

376. — *Q.* Quisnam potest haereticos absolvere?

R. — 1. Si haereticus est talis solum interne, vel quia poenam ignorabat, tunc quilibet confessarius potest eum absolvere, quia poenam non incurrit.

2. Si haereticus, sive notorius sit sive occultus, in censuram incurrerit, et ejus delictum ad forum judiciale deductum non fuerit, tunc Episcopus auctoritate ordinaria nequit illum absolvere, sed solus Papa potest eum absolvere, vel ab ipso delegatus, quia excommunicatio est speciali modo Sedi Apostolicae reservata. Quare si catholicus private in haeresi vel in aliqua secta ita occulte vixisset, ut ipsius haeresis paucis solum innotuisset, ad obtinendam absolutionem opus est facultate a Papa obtenta.

3. Si vero delictum apostasiae, haeresis vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, etiam per per voluntariam confessionem, idem Ordinarius, non vero vicarius generalis sine mandato speciali, resipiscentem, praevia abiuratione iuridice peracta aliisque servatis de jure servandis, sua auctoritate ordinaria in foro exteriore absolvere potest; ita vero absolutus, potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae. Abiuratio vero habetur iuridice peracta cum fit coram ipso Ordinario loci vel eius delegato et saltem duobus testibus. **Can. 2314, §. 2.**

377. — *Q.* Quomodo se gerere debet confessarius cum poenitente haeretico, vel sectae massonicae adscripto?

R. Quoad poenitentem *haereticum*, Confessarius has regulas teneat:

1. Poenitentem magna caritate excipiat, sed interim prudenter caveat ne statim ejus verbis credat; nonnulli enim fidem catholicam amplecti simulant, ut sic eleemosynam et subsidia temporalia a sacerdote carpant; unde prudenter attendere debet utrum sincere an simulate poenitens loquatur.

2. Comperto quod poenitens sincero animo accedit, Confessarius attendat an poenitens sit tantum *materialiter* haeredicus; et in hoc casu sufficit ut rite eum instruat.

3. Quod si est haereticus *for-*

malis, Confessarius ipsum instruat circa veritates necessarias, ipsumque doctrinam catholicam doceat; sed vanas quaestiones devitet.

4. Si poenitens censuram incurrerit, nec sit in urgenti necessitate absolutionis, ut dictum fuit n. 286, Confessarius debitam facultatem illum absolvendi petat a S. Poenitentiaria vel ab Ordinario, qui regulariter a S. Poenitentiaria facultatem habet haereticos absolvendi in foro non solum interno, sed etiam externo.

5. Quod si poenitens fuit haereticus publicus vel publicus dogmatizans, tunc cum errores abjurare teneatur, Confessarius ab Ordinario facultatem petere debet accipiendi sive hanc abjurationem, sive fidei professionem, et insuper petat instructionem, formulam, ceteraque hic et nunc necessaria.

6. Quod si talis haereticus notorius est in articulo mortis, et ad fidem redire voluerit, nec tempus ferat ad Episcopum recurrere, Confessarius exigere debet ab haeretico professionem fidei coram duobus testibus, saltem quoad ea quae sunt explicite credenda de necessitate medii et praecepti; qui conversionis actus statim in publico instrumento describendus est, et in episcopali curia deponendus, ut sic omnes adversariorum cavillationes praecaveantur. His peractis, Confessarius eum per actus fidei, spei, caritatis, doloris, etc. rite disponat, et peracta confessione, eum ab excommunicatione et a peccatis absolvat, ac demum SS. Viatico et Extrema Unctione muniat.

Quoad poenitentem *sectae massonicae* adscriptum, praeter relatas regulas, casu quo sit etiam haereticus, Confessarius advertat ipsum non solum se poenitere debere eo quod tali sectae nomen dederit, sed etiam teneri quamcumque relationem cum tali secta ejusque sociis obtruncare; libros, statuta, signa etc., ad sectam spectantia legitimo superiori resignare (Decr. C. S. Off. 5 jul. 1873); occultos coryphaeos ac duces hujus sectae denuntiare, et scandalum, si quod dederit, meliori quo potest modo, reparare.

Si autem talis poenitens sit in periculo mortis constitutus, Confessarius prudenter curet ut ille modo tuto disponat de propria sepultura ritu omnino catholico facienda, crematione absolute prohibita.

377. — *Q.* Quaenam poenae in eos qui pertinaciter docent vel defendunt doctrinam damnatam ab Apostolica Sede, vel a Concilio Generali?

R. Pertinaciter docentes vel defendentes sive publice sive privatim doctrinam, quae ab apostolica Sede vel a Concilio Generali damnata quidem fuit, sed non uti formaliter haeretica, arceantur a ministerio praedicandi verbum Dei audiendive sacramentales confessiones, et a quolibet docendi manere, salvis aliis poenis quas sententia damnationis forte statuerit, vel quas Ordinarius, post monitionem, necessarias ad reparandum scandalum duxerint. **Can. 2317.**

APPENDIX

DE LIBRIS PROHIBITIS

ART. I.

De pravorum librorum prohibitione.

378. — *Q.* Lectio pravorum librorum a quonam jure prohibita est?

R. Haec lectio prohibita esse potest sive a *jure naturali*, sive a *jure positivo*. Quare 1° ubi constat aliquem librum proximum periculum perversionis creare circa fidem vel bonos mores, statim exurgit obligatio legis naturalis hujusmodi librum removendi, quia lex naturalis prohibet ne quis se periculo injiciat gravis damni spiritualis. Hinc interrogata S. C. Inquisitionis anno 1832: *An fideles, salva conscientia, legere possint ephemerides vel libros qui censuram Ordinarii non subierunt*, respondit: *Recurrant ad confessarium.* — 2° Ecclesia sapienter edidit leges, quibus prohibet pravos libros, ne fideles inscitia vel temeritate sua incurrerent damna fidei vel morum, quae ex pravorum librorum lectione facile oriuntur.

379. — *Q.* Ecclesia polletne auctoritate prohibendi libros?

R. Ecclesia auctoritate pollet prohibendi libros religioni et bonis moribus adversos.

Constat: 1° *ex S. Scriptura.* Christus Ecclesiae potestatem dedit fideles regendi et pascendi: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*[1]. *Pascite qui in vobis est gregem Dei*[2]. Porro munus pastoris est non solum bonos cibos gregi suppeditare, sed etiam illum a cibis prohibere qui noxii esse possunt; at libri pravi venenum continent: ergo munus Ecclesiae est libros noxios e manibus fidelium removere.

Constat: 2° *ex perpetua Ecclesiae praxi.* In actibus Apostolorum legimus quod, praedicante Paulo, *multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros et combusserunt coram omnibus, et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium* (XIX, 19). — S. August. vero testatur ut certum quod omnes sectarii, cum in Ecclesia recipiebantur, ad pedes Apostolorum suos codices afferebant ut cremarentur. — Hinc Conc. Nicaenum 1um libros Arii damnavit, eosque comburendos esse decrevit. — Hinc SS. Patres et Summi Pontifices, ut ex historia patet, pravorum librorum lectionem jugiter prohibuerunt, ipsosque libros, exemplo Apostolorum, comburendos praeceperunt. Ergo.

Constat: 3° *ex ratione.* Et sane omnis societas bene ordinata jus habet et onus suis civibus prohibendi quidquid bono ipsius

[1] Jo. XXI, 15 e 17.

[2] I Petr. V, 2.

societatis damnosum foret. At vero Ecclesiae societati nil magis damnosum quam pravi libri, ut experientia patet; ergo [1]. Cum autem solius Ecclesiae sit *cognoscere* errores qui religioni et bonis moribus contrarii sunt, etiam ipsius Ecclesiae est interdicere libros qui religioni et bonis moribus adversantur [2].

380. — *Q.* Quibusnam competit auctoritas prohibendi libros?

R. — I. Auctoritas prohibendi libros noxios competit Papae pro toto orbe. Papa autem, qui ad hoc ordinarie utitur opera Congregationis sancti Officii [3]. — Magister sancti Palatii etiam potest libros prohibere, sed tantum pro Urbe.

II. Episcopi et Inquisitores in proprio territorio potestatem habent prohibendi, etiam sub censura, sive pravos libros, sive folia quotidiana; hoc enim essentialiter pertinet ad munus ipsis a Christo concreditum: *Pascite qui in nobis est gregem Dei* [4]. — Pius IX vero, in Epistola per S. Cong. Indicis die 24 aug. 1864 emissa, universis Episcopis mandat, ut non solum jure proprio, sed etiam tanquam Sedis Apostolicae delegati, ad librorum, libellorum et ephemeridum prohibitionem procedere valeant. Idem edicitur in Const. *Officiorum*, Leonis XIII (1896), n. 29, et adiungitur: « Ad Apostolicum vero judicium ea deferantur quae profundius examen exigant, vel in quibus, ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur » [5].

III. Quinam vero libri hodie omnibus fidelibus in toto orbe prohibiti sint, desumendum est ex tenore Constit. *Officiorum ac munerum*, quam Leo XIII promulgavit die 25 jan 1896. — Porro

[1] Pravi libri, pravaeque ephemerides, en pestis omnium maxime dira et immanis, quae non unam tantum regionem aut aetatem inficit, sed ad universa loca et tempora diffunditur, omniaque innumeris replet stragibus. Quis autem dicere posset horrenda mala quae Religioni et moribus ex pravis libris et foliis velut ex lethali fonte exorta sunt, et quidem usque ad finem mundi propaganda et multiplicanda?... Satagant igitur et animo mactent ministri Dei, concionatores scilicet et confessarii, ut totis viribus huic torrenti iniquitatis se opponant, et pereuntes animas e faucibus infernalis abyssi eripiant. *Gury*, 240.

[2] Recte docent Doctores quod Ecclesiae judicium seu censura circa libros, in quibus agitur de fidei et moralis christianae quaestionibus, est omnino infallibile. S. Alph., Append. III, c. II, n. 1 *.

[3] Congregatio S. Officii, ut plurimum, libros damnat qui sunt contra fidem vel bonos mores; et ideo ejus prohibitio iugiter stat. — Nunc vero eadem Congregatio damnat libros non tantum quia in se mali, sed etiam quia ratione temporis, vel aliarum circumstantiarum periculosi sunt; et tunc haec prohibitio potius *disciplinam* respicit, quae quidem, mutatis temporibus, hominibus et circumstantiis, et ipsa mutari potest. Hac ratione intelligitur quomodo opera Galilaei, et quoddam opusculum Bellarmini et Segneri, olim in Indice posita, hodie inde expuncta sint. At quamdiu illa prohibita sunt, nullo modo licet excipere, aut prohibitionis vim enervare, conclamando illa esse importuna, non perniciosa; esto quod forsitan in posterum sint permittenda, nunc tamen certo illa sunt reprobanda. *Scavini*, 845, 4.

[4] I Petr., V. 2.

[5] *Marc.* 453.

* Quod in nota 2 dicitur a Doctoribus, intelligi debet de judicio Ecclesiae *docrinali* seu *dogmatico*, et *irreformabili* seu *definitivo*, quale fuit ex. gr. judicium quo proscripta fuerunt opera Jansenii. Minime vero intelligi debet de judicio etiam *auctoritativo*, sed vel *disciplinari* tantum, seu mere prohibitivo, vel doctrinali quidem, sed non *definitivo*; cujusmodi sunt plura decreta disciplinaria Indicis, vel etiam decreta

ex hac Const. patet duplicem librorum seriem in praesenti disciplina proscriptam esse, nempe : 1.° libros qui in novo Indice. ex auctoritate ejusdem Pontificis confecto, referuntur ; 2.° varias librorum classes, quae per decreta generalia, in ipsa Constit. emanata, prohibitae declarantur. — Praeter hanc duplicem librorum seriem, nulli alii libri hodie in universa Ecclesia prohibentur ; nam Leo XIII in ipsa Constit. *Officiorum* declaravit : « Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis *Regulis* sacrosanctae Tridentinae Synodi jusso editis, *Observationibus*, *Instructione*, *Decretis*, *Monitis*, et quovis alio decessorum Nostrorum hac de re statuto, jussuque, una excepta Constit. Bened. XIV *Sollicita et provida* (qua methodus praescribitur in examine et proscriptione librorum servanda), quam sicut adhuc viguit, ita et in posterum vigere integram volumus ». (Haec Const. *Officiorum*. habetur in sequenti Appendice).

381. — *Q.* Ex prohibitione librorum quaenam obligationes oriuntur ?

R. Sicuti in antiquo, ita et in novo jure, quando aliquis liber prohibetur, sub gravi obligatione quatuor vetantur, nempe: lectio, retentio, impressio et defensio illius libri, nisi forte expressam facultatem quis legendi vel retinendi obtinuerit. — Aliter vero dicendum quando requiritur tantum praevia revisio et approbatio ad aliquem librum edendum; tunc enim peccat quidem qui hujusmodi librum sine debita approbatione typis mandat, sed liber *per se* non censetur prohibitus.

382. — *Q.* In lectione librorum prohibitorum daturne parvitas materiae ?

R. In lectione librorum prohibitorum datur parvitas materiae. Ad cognoscendum autem quaenam sit parvitas materiae, inspici debet praesertim finis prohibitionis, et periculum perversionis. Hinc, e. g. si quis in libro haeretici haeresim propugnantis legat doctrinam quae directe est contra fidem, poterit graviter peccare etiamsi paucas lineas legat, quia in ipsis potest esse periculum perversionis ; si vero liber esset principaliter de materia indifferenti, legendo etiam paginam (et juxta alios, uti *De Varceno*, etiam duas paginas vel tres) excusari potest a mortali, si nullum ibi legat errorem [1].

383. — *Q.* Licet ne legere librum a quo error fuit deletus?

R. Disput. Th.: alii affirmant, et alii negant ; communiter vero sic distinguunt: Si liber prohibitus fuit vel in odium auctoris, vel quia tractat ex professo de religione, tunc non licet, quia non cessat prohibitio ; secus licet, modo tamen pars quae prohibitioni causam dedit, ita detracta vel deleta fuerit, ut amplius legi nequeat [2].

384. — *Q.* Quid de libris romanensium (*romanzi*) ?

R. Si isti libri sunt graviter obscoeni, graviter peccant : 1.° qui eos componunt, multis enim praebent occasionem ruinae spiritualis; 2.° librarii qui eos in officina sua detinent, exponunt, et

doctrinalia Cong. Romanarum, nondum in *forma specifica* a Papa approbata nec fidelibus ad credendum proposita.

[1] *D'Annibale* III, 141.
[2] S. Alph. L. VII, 284.

quibuscumque occurrentibus vendunt; 3.° *regulariter* etiam ii qui hos libros legunt, etsi lectio fiat ex levitate, curiositate, vel recreationis causa, quia graviter incitat ad obscoena. Dixi: *regulariter*, quia nolumus definire mortaliter peccare, qui ex sola curiositate hos libros legunt, si (ob aetatem provectam, complexionem frigidam, aut consuetudinem de rebus venereis tractandi) grave periculum non incurrunt [1]. Excipe nisi ex iis sint qui prohibentur ex Constit. *Officiorum*, (n. 9).

Si certe isti libri non sunt graviter obscoeni, tunc, secluso speciali periculo vel scandalo, mortaliter non peccant qui eos legunt.

In praxi tamen observandum est quod juvenes utriusque sexus, qui hos libros etsi non graviter obscoenos saepius legerent, raro excusari possent a peccato gravi, sive ob proximum peccati periculum, sive etiam quia ex tali lectione, uti experientia constat, plura alia mala et quidem gravia obveniunt, nempe studiorum vel laboris neglectus, taedium pietatis et orationis, Sacramentorum desertio, etc. [2].

385. — *Q.* Licet ne prava diaria legere; vel iis se sociare; in hospitio (vulgo *caffè trattorie*, etc.) retinere; aut quibuscumque occurrentibus vendere?

R. Praemitto: Diaria seu ephemerides, duplicis generis sunt. — Alia quae *ex professo* sunt irreligiosa vel obscoena; quaeque ideo a jure naturali prohibita sunt, et saepius etiam a jure ecclesiastico (V. Const. *Officiorum*, n. 21) [3]. Alia vero quae *ex professo* tractant de commercio, et de rebus politicis, etsi interdum aliquid minus rectum quoad religionem et mores contineant. Hoc posito:

1. Diaria *primi generis*, ordinarie loquendo, est peccatum mortale legere, etiam aliqua vice tantum, absque vera et urgenti necessitate; — ratio, quia talis lectio, licet non assidua, regulariter praebet proximum periculum perversionis. Nec licet iis se sociare, vel ea retinere, aut vendere.

[1] *Scavini*, 851.

[2] Hujusmodi *romanenses*, etsi non sint universe damnati a jure ecclesiastico, tamen jure naturali saepe sunt per se vetiti propter grave damnum quod legentibus inferunt; in ipsis enim virus quanto minus patet, tanto magis nocet.... Porro isti non apertae impudicitiae scatent, sed animum ad profanos amores mirabiliter incendendo, illum obtenebrant, a Deo alienant, et vehementer ad malum inclinant; ita ut, occasione oblata, homo facile in infandas libidines ruat, et pertinacius in ipsis deinde perseveret. Et insuper hic notandum quod saepius patresfamilias rei sunt de hoc damno, quia ipsi tenentur eripere hos improbos libellos e manibus filiorum; et si non faciunt, intelligant se non posse a culpa excusari; et minime deinde querantur, si filii utilia studia negligant et despiciant, quia delectabili illi romanensium lectioni assuefacti, alios proficuos libros legere postea fastidiunt et horrent; et sic remanent rudes, et vitiosi evadunt. S. Alph., L. I, Append. III.

[3] Inter diaria, quae ab auctoritate ecclesiastica uti prohibita haberi debent, veniunt: 1.° Diaria quae manifeste prodeunt e societatibus protestantium, vel ab aliis sectis haereticorum, etsi aliquando haeresim non contineant; 2.° Diaria quae saepsius aliquod dogma catholicum impugnant, uti infallibilitatem pontificiam, Immaculatam Conceptionem B. M. V, purgatorii existentiam, et similia; quae dogmata, utpote notissima, impossibile est quod a scriptoribus illorum diariorum ignorentur; 3.° Diaria scripta a liberis cogitatoribus, qui omne supernaturale respuunt, nec divinam Ecclesiae auctoritatem admittunt; isti enim scriptores non solum ut haeretici habendi sunt, sed, quod pejus, ut apostatae a fide.

Domini autem hospitiorum (vulgo *caffè, trattorie, bazar*, etc.) haec diaria, quae directe et ordinarie sunt religioni aut moribus adversa, non possunt legenda exponere, etiamsi propter hoc hospites ad hospitium confluere desinerent; agitur enim de gravissimo damno spirituali et quidem publico ; unde non licet , quacumque de causa, eorum diffusioni cooperari.

Imo si quis se sociaret diariis haereticorum quae haeresim propugnant, et quidem non ex motivo avaritiae aut causa respectus humani, sed animo haereticis favorem praestandi ut haeresim diffundant, tunc praeter grave peccatum incurreret etiam excommunicationem latam in haereticorum fautores [1].

2. Diaria vero *secundi generis*, etsi interdum aliquid minus rectum quoad religionem et mores contineant , licitum est legere , retinere, ac quibuscumque occurrentibus vendere, quia exinde periculum perversionis non est ex se proximum, nec cooperatio dici potest formaliter mala [2]. — Confessarius tamen curet pro viribus ut poenitentes ab ipsorum lectione avertat : imo si eorum lectio alicui in particulari esset graviter damnosa, absolute eum ab illa avertere tenetur, quia in illo casu particulari haec lectio prohibita esset a jure naturali [3].

[1] Quoad *diaria irreligiosa*, nulli parcendum labori ut populus ab eorum lectione arceatur ; per haec enim hisce maxime temporibus lugemus totius societatis subversionem, religionis contemptum, suicidia, proditiones, et tot animarum ruinam. Hic igitur toti esse debent parochi et confessarii in denegando absolutionem iis qui habitualiter impias et irreligiosas ephemerides legunt. Neque facile relinqui possunt in bona fide, tum ob concursum quem illarum diffusioni praestant, tum ob scandalum quod praebent, tum ob certum perversionis periculum quod incurrunt. *Scavini*, 850.

[2] *Berardi*, 240; *Ciolli*, Direttorio : c. VI, § 34.

[3] Casus — Eduardus confitetur : 1° quod ad vitandas sociorum molestias se pravis diariis sociavit, sed ipse ea non legit; 2° vel in iis chronicas , notitias diei, et res ad commercium spectantes tantum legit; 3° vel una cum bonis etiam prava diaria legit , ut sic melius et securius cognoscat veritatem rerum quae sua interesse possunt.
— *Quid dicendum ?*

R. Si illa diaria sunt *primi generis*, quae nempe directe et ordinarie sunt religioni et moribus adversa, Eduardus graviter peccavit se illis sociando, nec excusat ratio vitandi molestias etiam graves sociorum ; quia, cum illa diaria sint intrinsece mala , et gravissimum damnum spirituale et publicum afferant , nunquam licet , quacumque de causa, illorum diffussioni cooperari. — Nec licet in iis aliquid legere, quia Ecclesia prohibet in iis legere etiam narrationes , decreta , litteras , etc., quae omnia etiam in chronicis diariorum continentur. — Nec licet ea legere ad melius et securius veritatem cognoscendam, vel ex quavis alia causa, aut praetextu , quia talis lectio prohibita est a jure et naturali, et ecclesiastico.

Si vero illa diaria sunt *secundi generis*, Eduardus non esset damnandus saltem de gravi, si se illis sociavit ad vitandas graves sociorum molestias ; vel si in iis tantum legit chronicas, notitias die et res ad commercium spectantes ; vel aliquid legit ut sic melius et securius veritatem cognoscat rerum, quae sua interesse possunt, dummodo tamen ex una parte adsit justa et proportionata causa , et ex altera absit omne scandalum et omne periculum perversionis ; quae omnia non ex judicio ipsius Eduardi, sed pii et prudentis Confessarii judicari debent.

Ceterum , Confessarius si , inspectis omnibus circumstantiis, aetate, instructione, bonitate poenitentis et causa legendi, alicui permitti posse putat lectionem ephemeridum *secundi generis*, ipsum tamen moneat ne has ephemerides domi fillis, domesticis, etc., legendas relinquat.

386. — *Q.* Domini hospitiorum possunt ne diaria *secundi generis* retinere?

R. — 1. Domini hospitiorum si absque gravi incommodo has ephemerides excludere possunt, prout facile accidit in parvis oppidis ubi unum dumtaxat ex hujusmodi hospitiis adest, ad hoc tenentur; quia illae ephemerides, plus minusve infectae, sensim sine sensu magnum malum producerent.

2. Si vero agatur de urbibus aut magnis oppidis, domini hospitiorum non erunt culpandi si ephemerides illas retineant, quia sine fructu adventores eas requirentes vel desiderantes amitterent; et aliunde quisque sibi cavere potest [1].

387. — *Q.* Licet ne: 1° scripta bona de scientia tractantia mittere ut inserantur in pravis diariis, vel: 2° in hisce pravis diariis res emendas, vendendas, locandas, etc. annuntiare?

R. Ad 1um: Non licet; haec enim agendi ratio esset veluti cooperatio ad impii diarii diffusionem, nec non proximam seductionis occasionem aliis praeberet, cum lectores ex occasione talia scripta legendi, ad alia in eodem Folio legenda alliciantur, nitimur enim in vetitum. (V. Constit. *Officiorum*, n. 22). Aliunde nimium dedecet, optimum cibum in immunda paropside porrigi [2].

Ad 2um: Etsi in pravis diariis annuntiare res emendas, vendendas, locandas, etc., ex se peccatum dici nequeat, tamen si a multis ita ageretur, causa esset cur tale diarium latius propagaretur, et securius sustineretur. Quare etiam illa materialis cooperatio non statim licita dici potest; sed ponderandae sunt circumstantiae, tum damni quod quis sibi timet ex omissione illius annuntiationis, tum spei sic diminuendi influxum illius diarii: quae spes cum levis sit (nisi multi catholici secum de hac re conveniant), singulos separatim sumptos non obligat cum gravi incommodo. Imo aliquando pro circumstantiis quaelibet rationabilis causa excusat, si annuntiatio fiat non solum in diariis pravis, sed etiam in bonis. Laborandum itaque est ut hujusmodi conventio mutua fiat, qua favor catholicorum omni modo pravis diariis subtrahatur, et in Folia bona excitanda et sustinenda convertatur [3].

388. — *Q.* Confessarius tenetur ne poenitentem monere qui pravos libros, vel pravas ephemerides legit?

R. Confessarius talem poenitentem certe monere tenetur:

1. Si est in mala aut dubia fide, puta si interrogat an legere possit, quia eo ipso quod interrogat, non est amplius in bona fide.

2. Si poenitens est in bona fide, illum etiam monere tenetur, si monitio statim vel paulo post profutura censeatur.

3. Si vero poenitens est quidem in bona fide, sed monitio non censetur profutura, tunc videndum utrum poenitens ex tali lectione versetur in proximo periculo graviter peccandi, necne. Si versatur in proximo periculo graviter peccandi, quod periculum

[1] *Berardi*, 240, VI.
[2] *Scavini*, IV, 192.
[3] *Lehmkulhl*, I, 665.

semper est praesumendum si ephemerides vel libros legit fidei vel moribus adversos, tunc Confessarius illum monere tenetur, etsi monitio profutura non sit, quia talis lectio, cum sit saluti animae damnosa, vetita est non solum a lege ecclesiastica, sed etiam a lege naturali, et in poenitente mala aut dubia fides praesumi potest; et monitio si non est profutura in praesenti, spes tamen adest quod profutura sit in futuro.—E contra si poenitens ex tali lectione non versatur in proximo periculo graviter peccandi, et bona fides praesumi potest, et monitio non censetur profutura, tunc monitio differri debet, quia de duobus malis, ait S. Alph. [1], minus est permittendum ut majus vitetur; unde in concursu peccati materialis et formalis, magis praecavendum est formale, quod solum punit Deus, cum ex solo peccato formali reputet se offensum.

ART. II.

De facultate legendi libros prohibitos.

389.—*Q.* A quonam obtinenda est licentia libros prohibitos legendi?

R. — 1. Si prohibitio alicujus pravi libri provenit *ex jure naturali*, nemo est qui a tali prohibitione dispensare valeat. Unde bene advertit S. Alph. quod, etsi quis licentiam obtinuerit libros prohibitos legendi, eos tamen legere non potest, si cognoscit hujus modi lectionem esse damnosam vel proxime periculosam. Imo et dum alicui facultas fit libros prohibitos legendi, subinde clausula additur: *ut ea in re consilium et judicium confessarii adhibeatur.*

2. Si vero prohibitio provenit solum *ex jure ecclesiastico*, tunc quilibet potest ad S. Officii Congreg. recurrere pro obtinenda hujusmodi licentia; sed regulariter proprii Episcopi attestationes requiruntur, et causam hujusce petitionis indicare oportet.

Qui autem licentiam libros prohibitos legendi a S. Officii Cong. obtinuit, quivis sit laicus vel presbyter, non post legere nec retinere diaria quae forte a proprio Episcopo nominatim prohibita sint; nam S. Sedes ea non permittit quae Episcopi in sua Dioecesi proscribunt, nisi id expresse declaraverit. (Const. *Officiorum*, n. 26).—Ceterum de facultate legendi et retinendi libros prohibitos speciatim dicetur in sequenti Appendice, Const. *Officiorum*, Cap. IX.

390.—*Q.* Licet ne sine licentia libros prohibitos legere: 1.° si absit periculum perversionis; 2.° si adsit necessitas legendi?

R. Ad 1.um Communissima sententia negat; imo, ait S. Alph., omnino erit negandum, quia etsi finis legis cessaret in particulari, non cessat tamen in communi, qui est ut vitetur periculum hallucinationis. (V. *De Legibus*, 151).

Ad 2.um Juxta plures Th. non videtur improbabile ex justa epikeja excusari virum pium et doctum legentem librum haereticum, si necessario tali indigeat lectione ad convincendum aliquem haereticum ex suo proprio, puta inveniendo contradictiones, concessiones, fallacias et similia: dummodo urgeat necessitas, nec pateat recursus ad S. Sedem, vel saltem ad proprium Episcopum. Licet enim

[1] S. Alph., L. VI, 610.

ordinarie a Papa vel a S. Cong. Officii impetranda sit licentia libros prohibitos legendi, potest etiam Episcopus illam impertire pro singulis tantum libris atque in casibus urgentibus. **Can. 1402.**

391. — *Q.* Quid agere debet qui libros prohibitos suos, vel non suos, sine licentia retinet?

R. Libros prohibitos sine licentia retinenti olim praeceptum erat illos tradere quam primum Inquisitori vel Episcopo. At nunc videtur quod sufficiat illos destruere, nam Bened. XIV, cum aliquos libros damnasset, praecepit aut consignandos aut cremandos. Sed in casu particulari quod novus liber edatur qui pravus sit, et a Superiore nondum cognoscatur, eidem consignandus est, ut saluti fidelium prospiciat.

Qui autem retinet libros prohibitos non suos, nequit illos domino restituere, ne detur ei occasio peccandi; excipe si denegare nequeat sine gravi incommodo, aut si inde rixae, blasphemiae obvenirent, quo in casu restituere potest, quia nemo alterius malum impedire tenetur cum gravi suo incommodo.

391 bis. — *Q.* Ad quosnam libros edendos, vel etiam sacras imagines edendas requiritur licentia Ordinarii?

R. Licentia Ordinarii requiritur ad edendos libros qui tractant de Theologia sive sacra sive naturali, uti ethica vel de Mistica, vel de Historia ecclesiastica, vel sunt libri directi ad pietatem fovendam. — Item requiritur licentia ad edendas imagines sacras quovis modo imprimendas sive preces adiunctas habeant, sive sine illis edantur **Can. 1385.**

Hanc licentiam dare possunt loci Ordinarius proprius auctoris, vel Ordinarius loci in quo libri et imagines imprimuntur, vel Ordinarius loci in quo publici iuris fiunt. Licentia ab uno Ordinario denegata et ab altero concessa non valet, nisi hic Ordinarius certior factus sit de licentia a primo denegata. Religiosi veniam sui Superioris maioris impetrare debent. Haec licentia requiritur etiam pro novis editionibus et in aliam linguam versionibus. Auctores vero vel Editores qui sine debita licentia tales libros vel imagines evulgaverint gravi peccato non vacant, nisi forte agatur de libello parvi momenti.

Insuper pro religiosis requiritur licentia proprii Superioris maioris et pro clericis saecularibus licentia suorum Ordinariorum etiam ad edendos libros qui de rebus profanas agant, ad conscribenda diaria, folia, vel libellos periodicos. **Can. 1386.**

Art. III.

De poenis statutis in transgressores prohibitionis librorum.

392. — *Q.* Quaenam poena viget circa libros prohibitos?

R. In excommunicationem Sedi Apostolicae *speciali modo* reservatam ipso facto incurrunt, opere publicis iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum, schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant. — Itemque eosdem libros aliosque per Apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes, aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes. **Can. 2318.**

Igitur incurrunt excommunica-

tionem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam :

1° Editores librorum praedictorum apostatarum, etc., vel librorum per apostolicas litteras nominatim prohibitos.

Editores sunt qui expensis propriis vel alicuius societatis, vel gratis praedictos libros curant imprimi et publicari; possunt esse ipse auctor, vel typographus, vel tertia persona, si est societas, non videretur incassum cedere excommunicatio, quae proinde singulos afficeret [1]. — Non veniunt vero sub hac censura nec dominus typographiae si ipse non est editor, et multo minus opifices inferiores.

Ad poenam incurrendam requiritur ut liber sit publici iuris factus, nempe omnibus prostat sive pretio sive gratis, ideoque ab omnibus acquiri et legi possit, unde quandiu liber non est in publicam lucem emissus editor poenam evadit, licet jam typis totus cusus sit, nec lector poenam incurrit si manuscriptum aut opus totum typis cusum legit. — Requiritur insuper ut sit liber; unde non veniunt diaria, nec epistola, nec concio scorsim impressa, haec enim stricte loquendo non veniunt sub nomine libri. Attamen publicationes periodicae in fasciculos ligatae libris accensentur (S. O. 13. Ian. 1892). — Insuper requiritur ut sit liber apostatarum, haereticorum, schismaticorum, unde non libri iudaei, vel infidelis, vel fautoris haereticorum, vel haereticorum post ejurationem haeresi. An vero sufficiat ut liber sit cuiusvis apostatae, haeretici, etc. plures affirmant dummodo haereticus sit talis ex doctrina manifesta. Sed cl. D'Annibale negat et tenet quod requiritur ut liber sit alicuius apostatae aut haeretici vel ex secta, vel damnati ob haeresim, nam si S. Sedes voluisset cuiusvis apostatae vel haeretici libros prohibere satis fuisset condemnare libros apostasiam, haeresim propugnantes [2].— Tandem requiritur ut praedicti libri non solum apostasiam, haeresim, schisma contineant, sed propugnent, et non solum obiter et pertransiens, sed serie propugnent.

Praedictam excommunicationem incurrunt qui libros per Apostolicas litteras, (e. g. per Bullam, Brevem etc.) prohibitos edunt, defendunt, vel scienter legunt, vel retinent.

2° Defendentes praedictos libros praedictam excommunicationem incurrunt. Defendentes sunt qui doctrinam libri propugnant, vel impediunt quominus libri destruantur, vel Episcopis aut Inquisitoribus tradantur. At poenam non incurrunt si ingenium auctoris tantum laudant, dummodo tamen laus in approbationem libri non redundet.

3° Legentes scienter sine debita licentia praedictos libros praedictam poenam incurrunt, sed requiritur ut quis *legat*, unde poenam non incurrit qui lectionem tantum audit, licet alterum ad legendum iuducat; ut legat in materia notabili et sufficienti ad mortale; quaenam vero sit materia notabilis stricte determinari nequit (v. dicta n. 382); ut legat *scienter*, nempe sciat librum esse

[1] Pighi, 50.

[2] Comment. Ed. IV. n. 40.

prohibitum et quidem sub-censura; unde ignorantia sive facti, sive iuris etiam crassa et supina a poena excusat, non vero ignorantia affectata.

4° Retinentes; nempe qui praedictos libros retinet sive apud se, sive apud alium retinet ut suos et quidem per notabile tempus, licet sine animo legendi; sive qui retinet nomine alterius ut in mutuo, vel in deposito, quia de facto retinent. E contra poenam evadit qui retinet uno tantum vel altero die; vel si longiore tempre retinet, hoc facit ut pro opportunitate illum Superiori tradat, vel alteri licentiam habenti, vel deponit apud licentiam habentem cum pacto expresso non repetendi, ita ut alter librum reddere non teneatur nisi post obtentam licentiam.

Q. Quaenam alia poena circa libros?

R. Auctores et editores qui sine debita licentia sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam. **Can. 2318.**

ALTERA APPENDIX

DECRETA GENERALIA

De prohibitione et censura librorum.

(Const. *Officiorum* Leonis PP. XIII, anno 1896, VIII kal. Febr.).

Cum adjuncta rerum ac hominum sensim mutasset dies, factum est quod regulae generales Indicis librorum prohibitorum, praesenti statu societatis humanae, maxime vero rei litterariae inspecto, partim sat inutiles, partim observatu maxime difficiles vel etiam impossibiles evaserint. — His igitur incommodis occurrere volens Sum. Pontifex Leo P. P. XIII, necessarium duxit, atque decrevit *eas Regulas, incolumi earum natura, efficere aliquanto mitiores, ita plane ut iis obtemperare, modo quis malo ingenio non sit, grave arduumque esse non possit.* (Const. *Officiorum*). Itaque matura deliberatione, adhibitisque S. R. E. Cardinalibus e S. Consilio libris no andis, edere statuit *Decreta generalia*, quae hic infra habentur.

TITULUS I.

De prohibitione librorum.

CAPUT I.

De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum aliorumque scriptorum libris.

1. « Libri omnes, quos ante annum MDC aut Summi Pontifices, aut Concilia Oecumenica damnarunt, et qui in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt; iis exceptis qui per haec decreta generalia permittuntur »[1].

2. « Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum, et quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur ».

Igitur prohibiti sunt libri non

[1] Illa verba: *eodem modo damnati habeantur*, referenda sunt tantum ad judicium, quo propositiones, aut libri proscripti damnati fuerunt, ipsamque damnationem important; minime vero intelligenda de poenis, si quae illis adjectae fuerint. (v. *Acta S. S.*, T. 30, p. 164-167). At vero, Auctorum illorum, quorum *opera omnia* prohibita fuerunt, ea nunc permissa censenda sunt, quae vel de religione expresse non tractant, vel si tractent, nihil tamen contra fidem continent. (v. *Acta S. S.*, T. 33, p. 307).

solum apostatarum, haereticorum, qui nempe aliquam sectam profitentur, etc., sed *quorumcumque* scriptorum qui fundamenta religionis evertunt, v. g. impugnando motiva credibilitatis, uti prophetias, miracula, S. Scripturam, Ecclesiam catholicam, Rom. Pontificem, divinitatem J. C.; *utcumque* impugnent, sive scriptis, sive impiis imaginibus *(caricature)*, etc.

3. « Item prohibentur acatholicorum libri qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri ».—Unde si quis scit librum immunem esse a quocumque errore contra fidem catholicam, ipsum licite legere potest.

4. « Libri eorumdem auctorum qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, jure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint ».

NOTA : Dictum est *jure ecclesiastico*, nam jure naturali prohibiti sunt iis quibus eorum lectio perniciosa evaderet.

CAPUT II.

De editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae.

5. « Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum S. Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque promulgatae, etsi fideliter et integrae editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis Theologicis vel biblicis dant operam [1], dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur ».

Omnibus igitur permittuntur editiones non vulgares catholicorum ; *acatholicorum* vero iis tantum, sive professoribus sive alumnis sive aliis quibusvis, qui studiis theologicis vel biblicis vacant, dummodo *dogmata* (non tantum veritates theologicae) in prolegomenis etc. non impugnentur.

6. « Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum, sive latina sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae».

CAPUT III.

De versionibus vernaculis Sacrae Scripturae.

7. « Cum experimento manifestum sit, si S. Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri ; Versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae aut editae sub vigilantia Episcoporum, cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque

[1] Quaesitum fuit : 1° Utrum sub nomine eorum qui studiis theologicis vel biblicis dant operam veniant etiam alumni, qui theologiae et linguae hebraicae ac graecae in scholis Seminariorum vacant? — 2° Utrum possit Episcopus permittere ut in scholis alumni, sub ductu professoris, textus hebraicos et graecos ab acatholicis editos legant et vertant, dummodo non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus talium librorum catholicae fidei dogmata? — S. C. S. Off. die 21 jun. 1898 respondit: Ad 1^m *Affirmative.* Ad 2^m *Negative*, nisi specialem a S. Sede facultatem obtinuerit.

ex doctis catholicisque scriptoribus ».

Igitur versiones *vulgares* Sacrorum Bibliorum a S. Sede approbatas, vel ab Episcopo loci sub praescripta conditione, hodie unicuique fidelium legere licet, nec jam ulla erit *obligatio* petendi consilium a parocho vel confessario, sicut olim praescribebatur. Si vero editae fuerint sine debita approbatione *omnino prohibentur,* sive catholicorum sive acatholicorum sint.

8. « Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas a Rom. Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur ».

« Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur, iis servatis, quae supra (n. 5) statuta sunt ».

Hinc omnino prohibentur versiones vulgares editae *ab acatholicis ;* permittuntur tamen et quidem solummodo iis qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, modo (ut in n. 5) in prolegomenis aut adnotationibus non impugnentur fidei dogmata. Speciatim vero prohibentur Biblia lingua vulgari edita, et per societates biblicas diffusa, uti v. g. Biblia Diodati, quae, cum ex professo de religione tractent (n. 3), nec legi nec retineri possunt sine speciali licentia S. Sedis.

—

CAPUT IV.

De libris obscenis.

9. « Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei sed et morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur ».

Libri qui *ex professo,* non obiter, res obscenas tractant, narrant, aut docent, ii sunt qui continent novellas, romanenses obscenos, vel modum turpitudines committendi docent. Ceteri qui aliquid continent circa amorem platonicum, vel circa quasdem infidelitates conjugales et similia, si non a jure ecclesiastico, a jure tamen naturali, prohibentur ratione periculi.

10. « Libri auctorum, sive antiquorum sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat: nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt ».

Libri igitur classici qui, sive ex professo sive non, res lascivas tractant, etc. (dummodo in Indice non sint speciatim positi) permittuntur solum iis qui necessitatem, aut justam causam ex officio aut magisterio habent, semper tamen remoto ex lege naturali omni periculo.

CAPUT V.

De quibusdam specialis argumenti libris.

11. « Damnantur libri, in quibus Deo, aut B. Virgini Mariae,

vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae ejusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis judicio, subjacent ea opera, in quibus inspirationis S. Scripturae conceptus pervertitur, aut ejus extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt ».

Ideo prohibentur: 1° Libri cujusvis auctoris qui *detrahunt,* nempe male loquuntur de Deo, de B. V. M. etc. 2° Libri in quibus conceptus inspirationis S. Scripturae *pervertitur*, v. g. inspirationem divinam reducendo ad meram divinam adsistentiam, vel ad directionem concomitantem Spiritus S., si necessitas postulet, vel ad subsequentem approbationem Ecclesiae; — aut *coarctatur,* nempe inspiratio divina negatur quoad hanc vel illam partem, cum de fide sit quod omnis Scriptura est divinitus inspirata. 3° Libri qui *data opera* seu ex professo probris afficiunt non peculiarem personam, v. g. alicujus Episcopi, vel presbyteri, vel religiosi, sed Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum.

12. « Nefas esto libros edere, legere aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque hujusmodi generis superstitiones docentur, vel commendantur ».

Sub hac prohibitione non veniunt libri qui has superstitiones simpliciter narrant.

13. « Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur ».

Proscribuntur igitur libri et etiam *scripta* quae narrant *novas* apparitiones, etc. vel inducunt devotiones *novas,* nempe omnino diversas a devotionibus antiquis et ab Ecclesia approbatis. — Hic nota quod libri, qui de religione et de re morali tractant, debent ex Tit. II, cap. III censurae ecclesiasticae subjici, at haec praescriptio respicit auctores et editores, non lectores. E contra praesens proscriptio respicit etiam lectores, detentores.

14. « Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis vel aliis ejusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur ».

Prohibentur igitur: 1° Libri cujusvis auctoris, qui *ex professo* vel *obiter, licitum* tradunt duellum, etc. 2° Libri qui contendunt sectas massonicas etc. esse *utiles.* 3° Libri qui errores a Sede Apost. proscriptos *defendunt.*

CAPUT VI.

De sacris Imaginibus et Indulgentiis.

15. « Imagines quomodocumque impressae D. N. J. C., B. M. V., Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero, sive preces habeant adnexas sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur ».

Haec praescriptio respicit eos qui *novas* imagines publicant, non vero qui eas retinent, nisi sint ab Ecclesiae sensu et decretis difformes.

16. « Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a S. Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae jam fuerint de manibus fidelium auferantur ».

17. « Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia »[1]

CAPUT VII.

De libris liturgicis et precatoriis.

18. « In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis Romani, aliorumque librorum liturgicorum a S. Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat; si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur ».

19. « Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis. Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de B. V. quae in sacra Aede Lauretana decantari solent, et Litanias SS. Nominis Jesu jam a S. Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii »[2]. Hisce Litaniis addi debent Litaniae SS. Cordis Jesu, quas Leo XIII decr. Urbis et Orbis die 2 Apr. 1899 indulgentiis 300 dierum auxit, atque tum publice, tum privatim recitari et decantari permisit.

20. « Libros aut libellos precum, devotionis, vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque hujusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet; secus prohibiti habeantur ».

Ante hanc Const. *Officiorum*, quoad praedictos libros requirebatur quidem licentia legitimae auctoritatis sed solum pro auctore et editore; nunc vero si publicentur sine legitima licentia omnibus prohibentur. At non sunt censenda prohibita scripta hujusmodi, quae ante editam hanc Const. sine licentia prodierunt. Idem dic de iis quae cadunt sub a. a. 13, 18; ratio, quia nullibi tribuitur huic legi vim in praeteritum[3].

CAPUT VIII.

De diariis, foliis et libellis periodicis.

21. « Diaria, folia, et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt,

[1] Quaesitum fuit: Utrum in Decr. n. 17 verba haec: *non publicentur absque competentis auctoritatis licentia*, ita sint intelligenda ut in posterum Indulgentiarum libri, folia, etc. omnes ad solos locorum Ordinarios pro impetranda licentia sint referendi.—An vero subjiciendi sint censurae aut S. Congr. Indulgentiarum, aut Ordinarii loci secundum normas ante novam Constitutionem *Officiorum* stabilitas? — S. Indicis Congr. respondit: Ad 1^m Partem *Negative*. Ad 2^m Partem *Affirmative;* die 7 aug. 1897.

[2] S. C. Rituum recitare prohibuit in publicis Ecclesiis, in publicis Oratoriis et processionibus Litanias a S. Sede non approbatas.

[3] *Génicot*, I, 453, 4°.

non solum naturali, sed etiam ecclesiastico jure proscripti habeantur ».

« Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de hujsmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere »

Proscribuntur igitur diaria, etc. quae *data opera* seu ex professo religionem vel bonos mores impetunt; huc veniunt quae *habitualiter* articulos continent contra Ecclesiam Catholicam, Rom. Pontificem, etc.

22. « Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in hujusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente justa et rationabili causa, publicet ».

CAPUT IX.

De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.

23. « Libros sive specialibus, sive hisce generalibus decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates ».

24. « Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices S. Indicis Congregationem praeposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema S. Officii Congregatio, tum S. Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subjectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam S. Palatii Apost. Magistro ».

Praedictis igitur competit facultas ordinaria, delegata vero concedi potest etiam aliis, v. g. Episcopis, Praelatis Regularium.

25. « Episcopi aliique Praelati jurisdictione quasi episcopali pollentes pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex justa et rationabili causa concedant ».

26. « Omnes qui facultatem Apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi iis in apostolico indulto expressa fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri hujusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant ».

CAPUT X.

De denuntiatione pravorum librorum.

27. «Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis aut Apostolicae Sedi denuntiare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinae laude florentium ».

28. « Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causae exponantur ob quas liber censura di-

gnus existimatur. Iis autem ad quos denuntiatio defertur, sanctum erit denuntiantium nomina secreta servare ».

29. «Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum judicium ea deferant opera vel scripta, quae subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur ».

TITULUS II.

De censura librorum.

CAPUT I.

De Praelatis librorum censurae praepositis.

30. « Penes quos potestas sit Sacrorum Bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere, ex iis liquet, quae supra (n. 7) statuta sunt ».

31. « Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere; quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id numquam fiet, nisi obtenta prius sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis ».

32. « Quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis praepositae, publicari nequeunt ».

33. « Idem dicendum de collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum: hae nimirum Collectiones edi nequeunt, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscujusque Congregationis praescriptis ».

NOTA: Hic agitur de Collectionibus; ergo non de Diariis, vel Periodicis quae unum vel alterum decretum publicant.

34. « Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent ».

35. « Approbatio librorum, quorum censura praesentium Decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici juris fiunt ».

Exceptis igitur libris in praecedentibus articulis recensitis, aliorum librorum approbatio pertinet ad Ordinarium, sive Episcopus sit, sive Praelatus *nullius*, sive Vicarius Capitularis. Haec approbatio non spectat ad Ordinarium loci ubi imprimuntur, sed loci ubi publicantur.

36. « Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subjacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur ».

37. « Si auctor Romae degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur ».

CAPUT II.

De censorum officio in praevio librorum examine.

38. « Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam sectaturos et fidelis populi utilitatem ».

39. « De variis opinionibus atque sententiis (juxta Benedicti XIV praeceptum) animo a praejudiciis omnibus vacuo, judicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant, studia partium seponant. Ecclesiae sanctae dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice prae oculis habeant ».

Praecedenti articulo datae sunt regulae pro electione censorum; praesenti vero dantur regulae ipsis censoribus ut rite proprio officio fungantur.

40. « Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat ».

CAPUT III.

De libris praeviae censurae subjiciendis.

41. « Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subjicere libros, qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Jus Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve hujusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit ».

42. « Viri e clero seculari ne libros quidem qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant ».

« Iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant ».

Libri, qui de religione ex professo tractant, prius censurae ecclesiasticae subjici debent; qui vero tractant de artibus scientiisque mere naturalibus huic censurae non sunt subjecti. Sed viri de clero seculari qui hujusmodi libros publicant, prius tenentur Ordinarium consulere de libro quem publicare desiderant. Qui vero optant officium sumere moderatoris seu directoris alicujus diarii vel periodici, prius veniam

Ordinarii obtinere debent; quae venia non requiritur pro officio tantum scriptoris seu collaboratoris.

CAPUT IV.

De Typographis et Editoribus librorum.

43. « Nullus liber censurae ecclesiasticae subjectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, justas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit ».

44. « Noverint Typographi et Editores librorum, novas ejusdem operis approbati editiones novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, ejus in aliud idioma versioni non suffragari ».

45. « Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma ».

46. « Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant: ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congr. veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti ».

Librum de obscenis ex professo tractantem, vendere non licet, imo nec commodare, nec retinere. Quoad ceteros libros prohibitos, ut eos quis vendere possit, requiritur venia per medium Ordinarii obtenta a S. Indicis Congregatione; et insuper ut non vendat nisi illis quos prudenter, v. g. a qualitate personae aut ex aliis circumstantiis, existimare possit legitime petere.

CAPUT V.

De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis. *vide pag. 208. n. 392.*

47. « Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas Literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam ».

48. « Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earumdem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam ».

49. « Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his Decretis Generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coërceantur ».

Censurae in his articulis latae eaedem sunt, ac illae quae habentur in Const. *Apost. Sedis*: de quibus proinde v. supra dicta n. 392, 393.

DE SPE

CAPUT UNICUM.

De spei natura, objecto, subjecto, necessitate, et de vitiis oppositis.

394. — *Q.* Quid est spes, et quomodo dividitur?

R. Spes, prout hic sumitur, definitur: *Virtus theologica divinitus infusa, per quam certa cum fiducia futuram beatitudinem, et media ad eam assequendam, a Deo ex ejus potentia, bonitate et fidelitate expectamus.* Dicitur: 1° *virtus per quam certa cum fiducia... expectamus,* spes enim prout innititur Dei auxilio certa est [1]; at quia salus aeterna pendet etiam a nostra cooperatione, ideo spes ex hac parte certa non est. Dicitur: 2° *futuram beatitudinem et media, etc.,* quae verba objectum materiale spei tum primarium, tum secundarium innuunt; 3° *ex ejus potentia,* etc., quibus verbis objectum formale spei innuitur.

Spes alia est *habitualis*, alia *actualis,* prout in habitu consistit, vel actu elicitur; alia est *formata*, alia *informis*, prout est vel non cum caritate conjuncta, ut dictum est de Fide.

395. — *Q.* Quodnam objectum spei?

R. Objectum spei duplex est, materiale et formale.

Objectum *materiale* est id quod sperare debemus; et aliud est primarium, nempe aeterna beatitudo, quae est ipse Deus fruendus; aliud secundarium, nempe gratia divina ad beatitudinem aeternam consequendam necessaria, et opera nostra bona divino auxilio exequenda [2].

[1] Quamvis nemo possit, sine speciali revelatione, *infallibiliter* certus esse se vitam aeternam adepturum, sicut docet Trid.; nihilominus tanto firmiorem persuasionem, et saepe *moralem certitudinem*, quisque habere potest, quanto magis tum Dei specialem circa ipsum providentiam ac spiritualia beneficia tanquam signa praedestinationis advertit, tum nullius peccati mortalis, in quo animus haereat, sibi conscius, firmius propositum Deo in posterum serviendi experitur. Unde inferri potest, *timorem* quem secum necessario fert spes aeternae beatitudinis, talem esse debere, quo refugimus aeternum supplicium quod propriis viribus nos vitare non posse scimus. *Marc*, 458.

[2] Objectum spei *materiale secundarium* sunt omnia quae ad ultimum finem assequendum necessaria sunt et conferunt; unde omnia bona, sive spiritualia sive corporalia, sive aeterna sive temporanea, quatenus ad finem nostrum ultimum ejusque praeparationem conferunt, objectum spei secundarium esse possunt. Si qua vero bona naturalia a Deo obtinere speramus, sine ordine saltem implicito ad beatitudinem, hujusmodi spes ad virtutem theologicam non spectat, uti patet. Objectum denique spei *adaequatum* sunt omnia a Deo nobis promissa. *Aertnys*, L. III, n. 20.

Objectum vero *formale,* est motivum propter quod sperare debemus, nempe misericordia et omnipotentia divina, et divina fidelitas circa promissionem nos salvandi propter merita Christi [1].

396. — *Q.* Quodnam subjectum spei ?

R. Subiectum spei est omnis qui est spei capax. Porro spes est et remanet *in omnibus fidelibus etiam peccatoribus,* dummodo ipsam non amittant per duo peccata spei opposita, nempe per desperationem aut praesumptionem. — An sit *in animabus purgantibus,* sententia communis affirmat; non est vero *in beatis,* quia beatitudine jam gaudent ; nec in *damnatis,* nam, mortuo impio, *nulla erit ultra spes* [2] ; nec *in haereticis,* cum fide supernaturali careant, quae est fundamentum spei.

397. — *Q.* Spes est ne necessaria ad salutem ; et quandonam obligat ?

R. — I. Spes *habitualis* omnibus etiam *infantibus* necessaria est necessitate medii ad salutem, ut dictum est de fide, n. 335.

II. Spes *actualis* omnibus adultis est necessaria tum necessitate *medii,* quia homo tendere debet in Deum tamquam suum ultimum finem, quod fieri nequit absque spe; tum necessitate *praecepti,* quia ex vi praecepti divini tenemur aliquando actus spei elicere.

Praeceptum spei obligat aliquando per se, aliquando per accidens, ut dictum est de fide, n. 342.

398. — *Q.* Quaenam sunt vitia spei opposita, et quodnam peccatum sunt ?

R. Vitia spei opposita sunt desperatio, per defectum, et praesumptio, per excessum. — *Desperatio* est diffidentia assequendi beatitudinem per media ad illam a Deo ordinata, aut haec media a Deo obtinendi. — *Praesumptio* vero est temeraria fiducia beatitudinem assequendi aliter quam Deus statuit ; quod duplici modo contingere potest, vel quia spem quis ponit in solis propriis viribus et meritis, vel quia spem ponit in sola divina gratia, absque propria cooperatione.

I. Praesumptio est peccatum mortale ex genere suo *non toto,* unde parvitatem materiae admittit.

II. Desperatio vero est peccatum mortale ex *toto* genere suo; unde non admittit parvitatem materiae : potest tamen esse leve ex imperfectione actus.

399. — *Q.* Quid praecipue notandum quoad desperationem ?

R. Quoad *desperationem* duo sunt notanda : 1° Quod desperatio non est peccatum mortale, nisi sit voluntaria et deliberata, unde ab omni, vel saltem a gravi culpa excusantur desperationis motus indeliberati, vel non plene deliberati, orti saepius ex nimio timore, vel ex debilitate mentis, vel daemonis tentatione, quod prudens Confessarius advertere debet. — 2° Si quis desperet ex eo quod putat Deum parcere non posse, vel de facto nolle, vel sua peccata esse irremissibilia, vel suam malitiam bonitatem Dei superare, etc., praeter mortale peccatum desperationis, etiam peccatum contra fidem committit ; nam omnes istae propositiones uti fidei contrariae condemnatae sunt.

[1] S. Alph., L. II, 21; Hom. Ap., T. IV, 6, 7.

[2] Prov., XI, 7.

In praxi autem Confessarius aliquando reperit animas etiam pias, quae ob scrupulos, vel ob humores melancholicos, tentationibus desperationis fere continuis exagitantur, et illis desperationis motibus se consentire putant. Prudens Confessarius ordinarie earum verbis non credat; nam signum certum quod illae realiter non desperant est quod Sacramenta frequentant et pie vivunt, quod non facerent si realiter desperarent. Istae animae consolatione quam maxime indigent; secus, si Confessarius se earum verbis credere ostenderet, tunc ipsae vere arbitrarentur se illis tentationibus consensisse, proindeque magis ac magis in barathrum desperationis prolaberentur: curet ergo has animas ad magnam spem in bonitatem et misericordiam infinitam Dei erigere.

[1] S. Alph., L. II, 20, 21.

400. — *Q.* Quisnam peccat praesumptione?

R. Praesumptione peccat: 1° Qui peccata committit dicens quod Deus tam facile remittit decem quam quinque peccata, vel qui ad peccandum inducitur ob motivum quia Deus est misericors; non autem qui ex passione peccat, sperans eodem tempore remissionem peccati. — 2° Qui conversionem differt usque ad finem vitae, si *motivum* dilationis est quia sperat in articulo mortis veniam se obtenturum. Si vero spes veniam in illo puncto obtinendi solum *concomitanter* se habet, tunc peccat non contra spem, sed contra caritatem erga seipsum, ratione periculi, cui se exponit, perditionis. — 3° Qui cupit perpetuo in hoc mundo vivere, peccat contra spem, quia sistit in vita temporali tamquam in ultimo fine[1].

DE CARITATE

Hujus disputationis quatuor erunt capita : 1. *de caritate erga Deum ;* 2. *de caritate erga seipsum et proximum in genere, et erga inimicos in specie ;* 3. *de praecepto affirmativo caritatis, seu de correctione fraterna, de eleemosyna, et de ordine in caritate servando ;* 4. *de praecepto negativo, seu de vitiis caritati oppositis, nempe de odio, vindicta, imprecatione, scandalo et cooperatione ad peccatum.*

CAPUT I.

De caritate erga Deum.

401. — *Q.* Quid est caritas, et quomodo dividitur ?

R. Caritas, ut est virtus theologica, definiri solet : *Virtus divinitus infusa, qua Deum diligimus propter se et super omnia, et proximum sicut nos ipsos propter Deum.* Dicitur: 1° *virtus divinitus infusa*, quia a Deo animabus nostris infunditur, juxta illud Apostoli: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis* [1]. Dicitur : 2° *qua Deum diligimus propter se*, seu ob ejus perfectiones; 3° *super omnia*, idest super omnes res creatas ; 4° *et proximum* etc.,quae vox comprehendit tum nos, tum omnes creaturas rationales aeternae gloriae capaces.

Caritas multipliciter dividitur: Alia est *habitualis*, alia *actualis;* alia est *affectiva*, quae in solo corde residet; alia *effectiva*, quae in actus exteriores erumpit; alia *appretiativa*,qua Deus omnibus creaturis praefertur ; alia *intensiva*, quae praeter amorem Dei super omnia, quosdam fervoris gradus habet ; alia est *perfecta* (amor *benevolentiae*), et alia *imperfecta* (amor *concupiscentiae*).

402.—*Q.* Quaenam est caritas perfecta, et quae imperfecta ?

R. Caritas perfecta est qua Deus primario diligitur propter se, quia bonitas infinita, secundario propter nos,quia beatitudo nostra est.

Caritas imperfecta vero est qua Deus diligitur quidem etiam propter se, sed primario seu potius propter nos prout est nobis bonus et beneficus [2]. Unde caritas perfecta, seu amor benevolentiae non excludit amorem concupiscentiae, et amor concupiscentiae sejungi non debet ab amore benevolentiae,

[1] Rom., V. 5.

[2] Amor perfectus est quo aliquis secundum se amatur. . . . . Imperfectus amor est quo quis amat aliquid, non secundum ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat. S. Th. 2a 2ae, q. 17, a. 18.

si enim sejungeretur, esset obiectum spei, non caritatis [1]. Ergo isti duo amores ita conjungi et ordinari debent ut amor benevolentiae sit primarius, et concupiscentiae secundarius, quatenus eo ipso quod Deum amamus qua est Bonitas infinita et origo et fons omnium bonorum, necessario trahamur ad eum simul amandum uti fontem nostrae beatitudinis, quae est ipsius Dei visio beatifica et possessio sempiterna [2].

403.—*Q.* Quodnam objectum caritatis ?

R. Objectum caritatis duplex est, materiale et formale.

Objectum *materiale*, quod nempe amare tenemur, primarium est Deus, secundarium nos et proximus.

Objectum vero *formale*, seu motivum propter quod amare tenemur, est ipse Deus quatenus est Bonitas infinita. Ergo, cum proximus diligi debeat propter Deum, caritas erga Deum et erga proximum sunt ejusdem speciei, quia unum et idem motivum habent [3].

404.—*Q.* Quaenam necessitas caritatis ?

R.—I. Caritas *habitualis* omnibus hominibus tam adultis, quam parvulis, necessaria est necessitate *medii* ad salutem; ratio quia sine ejus infusione nec peccatum re-

[1] Quidam Sancti amabant Deum adeo unice propter ejus infinitam bonitatem, ut dicerent, v. g. se esse paratos ad Deum amandum quamvis Paradiso eos privaret, et quamvis in infernum eos conjiceret; et hoc modo quodlibet motivum propriae utilitatis penitus excludebant. Sed attendendum quod haec exclusio non est necessaria, et caritas perfecta, imo perfectissima stare potest quamvis ei admisceatur motivum propriae utilitatis, dummodo motiva nobiliora praedominent. Imo S. Th. et S. Franc. Salesius dicebant impossibile esse amare Deum solum qua est bonitas infinita, et non etiam qua est bonum nostrum. Si Deus non esset hominis bonum, non esset ei ratio diligendi. Ita S. Th. 2a 2ae, q. 26, a. 13. — Et Salesius subjunxit : Illum existimaremus, sed non amaremus. Tr. De amore Dei, p. 2, L. 4, c. 10. Ceterum, licet valde diffusa sit opinio de magna difficultate eliciendi actum caritatis perfectae, haec tamen falsa est, et a Jansenismo originem aut saltem magnum fomentum habuit. Hinc si ego dicam: Mi Deus, quam bonus es, quam beneficus, quam pius, quam clemens, quam misericors ! Heu, quanta passus es pro me ! Te itaque ex toto corde diligo, etc., si ego, inquam, ita dicerem quamvis recogitarem quod Deus non solum in se, sed etiam pro me est bonus, beneficus etc., sine dubio actum perfectae caritatis emitterem. — *Berardi*, Praxis, 82.

[2] Michaël Molinos Hispanus, saeculo XVII inter caeteros errores docuit quod qui Deum diligit, non debet unquam secum ipso cogitare nec de praemio nec de punitione, imo nec ullum habere desiderium propriae sanctitatis aut salutis ; sed totum se soli divinae voluntati conformare, et ipsi de omni re sua curam relinquere ; hoc sistema *Quietismus* vel *Pseudomysticismus* nuncupatur.—Franciscus Fènelon licet amorem concupiscentiae non diceret cum Michaël e Molinos esse malum et damnandum, tradidit tamen caritatem Dei, ut sit perfecta, pervenire debere ad eum perfectionis gradum, ut excludat omne motivum proprii boni, ita ut nec timor poenarum, nec desiderium remunerationis ullam partem in ea habeat ; et hoc systema, quia ad *Quietismum* accedit, *Semiquietismus* dictum fuit ; utrumque autem systema a S. Sede damnatum fuit.

[3] S. Th., 2a2ae, q. 25, a. 1. Desiderium possidendi Deum est actus caritatis, quia caritas tendit in Deum tanquam in ultimum nostrum finem ; imo est actus caritatis aliis perfectior, nam possessio Dei est caritas consummata. — An vero sit actus caritatis diligere divinam bonitatem tanquam nobis convenientem, distinguendum est : si respicimus bonum nostrum ut terminus gloriae Dei, affirmant Th.; si vero respicimus bonum nostrum ut terminus talis actus, disput. Th.; alii cum S. Alph. negant, quia esset amor concupiscentiae sed alii cum Cl. Ballerini affirmant.

mittitur, nec homo justificari potest.

II. Caritas *actualis* vero adultis est etiam necessaria necessitate *praecepti*. Constat ex verbis Christi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc. Hoc est maximum et primum mandatum* [1].

III. Praeceptum caritatis in Deum non est de caritate *sensibili* et *intensiva*, quia haec non est semper in nostra potestate, et aliunde intensio est proprietas accidentalis non vero substantialis, sed est de caritate *appretiativa*[2].

IV. Odium formale Dei, sive abominationis sive inimicitiae, est speciale peccatum contra caritatem Dei, et est omnium peccatorum gravissimum; - ratio, quia est major aversio a Deo.

405. — *Q.* Quandonam obligat praeceptum caritatis in Deum?

R. Praeceptum caritatis in Deum qua *negativum*, quod prohibet quominus aliquid Deo praeferatur, obligat semper et pro semper; qua vero est *affirmativum*, quo jubemur Deum super omnia diligere, obligat actualiter aliquando per se, aliquando per accidens.

Per se obligat: 1° Initio usus rationis, cum satis cognoscitur Bonitas infinita Dei; 2° in periculo mortis, ut communiter et probabilissime docent Th. [3]; 3° saepius in vita, quod alii volunt semel in hebdomada, alii semel in anno, et alii cum S. Alph. semel in mense, cum difficulter observare possit legem divinam qui frequenter suum erga Deum amorem actibus positivis non exercet [4].

Ad satisfaciendum vero huic praecepto caritatis in Deum necesse non est ut actus caritatis fiat reflexe et explicite, seu cum intentione praecepto satisfaciendi; nec necesse est ut fiat ex motivo caritatis; sed sufficit ut fiat, licet ex alio fine, v. g. ad recipienda Sacramenta, ad vincendam tentationem, etc. Quare huic praecepto fideles, qui christiane vivunt, facile satisfaciunt, v. g. per actus conformitatis divinae voluntati, per recitationem devotam orationis dominicae: *santificetur*, etc., *adveniat*, etc., *fiat voluntas tua*, etc. Fideles igitur qui christiane vivunt non debent esse anxii de hac obligatione. Attamen ipsis suadendum est ut saepe explicitos actus caritatis eliciant in vita ad majorem cum Deo conjunctionem, atque ut animus paratior fiat ad similes actus in morte facilius eliciendos [5].

Per accidens autem obligat: 1° quando adest periculum labendi in

[1] Matth., XXII, 37 et 38.

[2] Hinc contra hoc praeceptum non facit, si quis patrem, aut matrem, aut aliam creaturam *intensiori* amore diligat, quam Deum, dummodo Deum *appretiative* (actu voluntatis) super omnia diligat. Nam etsi deceat, et ad majorem caritatis perfectionem spectet, ut summum Bonum etiam intensiori amore, quam bona creata, amemus, id tamen praeceptum non est. *Marc*, 471.—*Aertnys*, L. II, 31.

[3] Praeceptum caritatis in Deum obligat in periculo mortis, si confessarii copia desit; si is non desit, utrum tunc obliget, ambigitur: affirmantium sententia S. Alphonso probabilissima est; - ratio, quia in eo discrimine rerum tutissima quaeque sunt adhibenda; quis autem scire potest an confessioni sive ex parte sui, sive ex parte confessarii defuerit aliquid? Ceterum si nullum hujusmodi prudens dubium occurrit, perdurum videtur letalis damnare morituram, qui hunc caritatis actum omittit. Nec expedit de hac obligatione eum certiorem facere. *D'Annibale*, II, 13 (11).

[4] S. Alph. Hom. ap. Tr., IV, 13.

[5] *Gury*, I, 219.

mortale, si non eliciatur actus caritatis; 2° cum urget praeceptum contritionis; v. g. si adest necessitas celebrandi, aut communicandi, et desit copia confessarii, contritio enim perfecta actum caritatis necessario includit [1].

406. — *Q.* Quaenam sunt praecipua signa quibus dignosci possit an caritas Dei in nobis sit?

R. Haec praecipua signa quatuor sunt, nimirum: 1° summa cura Deo placendi, ac proinde summa cura declinandi a malo; 2° constantia in observatione mandatorum Dei et fuga peccati; 3° frequens et libens mentis elevatio ad Deum; 4° sincerus amor proximi.

CAPUT II.

De caritate erga seipsum; erga proximum in genere; de ordine in caritate servando; et de caritate erga inimicos in specie.

ART. I.

De caritate erga seipsum.

407. — *Q.* Adest ne praeceptum diligendi se ipsum?

Q. Quisque semetipsum propter Deum diligere tenetur; Christus enim dixit: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum;* ergo quisque se ipsum recte diligere debet, ut secundum similitudinem hujus dilectionis proximum diligat.

Ut autem homo recte se ipsum diligat ordinem naturalem servare debet. Porro hic ordo postulat ut mens subjiciatur Deo, corpus animae et sensus rationi. Qui hunc ordinem invertit, seipsum non diligit, sed odit.

In praxi tamen peccata hominis erga se ipsum vix distinguuntur a transgressione aliorum praeceptorum, quae cum illis relationem habent.

408. — *Q.* Peccat ne contra caritatem erga se ipsum qui mortem sibi optat ob paupertatem, dolores, etc.?

R. Videndum ex quo fine et quo modo quis mortem sibi optet. 1.° Si hoc facit ex motivo caritatis in Deum, et cum Ap. Paulo dicit: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?... Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo!...* certe nullum adest peccatum. 2.° Si hoc facit ex magno iracundiae furore, et ex corde et advertenter sibi mortem imprecatur, certer graviter peccat. Dixi *ex corde et advertenter*, quia ut plurimum hujusmodi imprecationes vel ore tenus, vel sine advertentia proferuntur. 3.° Si hoc autem facit ex aliqua impatientia in sustinendis miseriis hujus mundi, tunc disput. Th. Alii dicunt peccare graviter, quia non licet sibi malum majus optare ad vitanda mala minoris momenti. Sed alii non improbabiliter negant graviter peccare, casu quo vita adeo molesta sit ut habeatur durior ipsa morte, juxta illud Eccle. XXX, 17: *Melior est mors quam vita amara.* — Mulierculae autem quae ob minimas molestias mortem sibi optant, *in praxi*, ex defectu advertentiae et deliberationis vel non peccant, vel nonnisi venialiter [2].

ART. II.

De caritate erga proximum in genere.

409. *Q.* — Adest ne praeceptum diligendi proximum?

R. Praemitto: nomine proximi veniunt omnes creaturae aeternae beatitudinis capaces, uti angeli,

[1] S. Alph., L. II, 23.

[2] S. Alph., L. II, 30; L. V, 22.

beati, animae in purgatorio detentae, et maxime homines viatores sive justi sive peccatores, sive amici sive inimici. Hoc praemisso:

I. Datur praeceptum diligendi proximum sive actu interno et formali, sive opere externo. Christus enim dicit: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* [1]. *Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* [2]. Tenemur ergo proximum diligere sive caritate *interna* seu *affectiva*, quae in corde habetur, sive caritate *externa* seu *effectiva*, quae in operibus reposita est. Quare Innoc. XI sequentes damnavit propos.: *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali. — Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

II. Ad satisfaciendum vero huic praecepto sufficit amor generalis, qui neminem excludit et omnes complectitur; ideoque sufficit oratio quae pro omnibus fit recitando v. g. orationem dominicam, in qua et internum et externum actum habes [3].

410. — *Q.* Quandonam obligat praeceptum caritatis in proximum?

R. Praeceptum caritatis in proximum prout est *negativum*, quo prohibemur proximo malum velle aut inferre, obligat omni tempore seu semper et pro semper.

Prout vero est *affirmativum*, obligat semper sed non pro semper, seu obligat tempore determinato.

Ad cognoscendum autem hoc tempus determinatum, distinguenda est caritas affectiva ab effectiva. — Si agatur de caritate *affectiva*, quae in corde fovetur, hoc praeceptum obligat actualiter aliquando *per se*, ut dictum est de caritate Dei, aliquando *per accidens*, nimirum: 1° quando gravis odii tentatio vinci nequit, nisi per actum caritatis; 2° quando tenemur reconciliari inimico; 3° quando proximus est in gravi necessitate spirituali vel temporali; tunc enim tenemur moveri speciali motu dilectionis in illum.

Si vero agatur de caritate *effectiva*, quae in operibus consistit, hoc praeceptum obligat quando proximum laborat necessitate sive spirituali, sive temporali, si ea nobis innotescit, ut dicetur inferius.

— —

[1] *Matth.*, XXII, 39.

Modus autem dilectionis tangitur, cum dicitur: *Sicut te ipsum*, quod non est intelligendum quantum ad hoc quod aliquis proximum sibi aequaliter diligat, sed similiter sibi, et hoc *tripliciter: primo* quidem ex parte finis, ut scilicet aliquis diligat proximum propter Deum, sicut se ipsum propter Deum diligere debet, ut sic sit dilectio proximi *sancta; secundo* ex parte regulae dilectionis, ut scilicet aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis, sicut et suae voluntati satisfacere debet homo solum in bonis, ut sic dilectio proximi sit *justa; tertio* ex parte rationis dilectionis, ut scilicet non diligat aliquis proximum propter propriam utilitatem, vel delectationem, sed ea ratione, quod velit proximo bonum, sicut vult bonum sibi ipsi, ut sic dilectio proximi sit *vera;* nam cum quis diligit proximum propter suam utilitatem, vel delectationem, non vere diligit proximum, sed seipsum. S. Th. 2.ª 2.ae q. 44, a. 7.

Igitur caritas erga proximum ut legitima sit, oportet ut sit sancta *ex suo motivo*, seu ut proximus diligatur propter Deum et in ordine ad Deum; ut sit justa *ex suo obiecto*, seu ut proximus diligatur in bono et non in malo; et recta *ex suo fine*, seu ut proximus diligatur propter ejus bonum, et non propter bonum nostrum.

[2] *Joan.*, XV, 12.

[3] *Ballerini ad Gury*, I, 220 (*a*).

ART. III.

De ordine in caritate servando.

411. — *Q.* Tenemur ne certum ordinem servare in caritate exercenda ?

R. Caritas, sive interna sive externa, seu subventio, certe ordinata esse debet; ratio, quia et personae diligendae magis vel minus perfectae sunt, aut magis vel minus nobis conjunctae, et bona ipsis desideranda vel procuranda magis vel minus existimanda aut necessaria sunt: porro caritas participat de virtute justitiae quae jus suum cuique tribuit. — Ut autem caritatis ordinem reperire possimus, ad tria nobis attendendum est : 1° ad personam quae diligitur ; 2° ad bonum quod in illa diligitur, vel ei procuratur ; 3° ad necessitatem cui subvenire debemus : unde triplex est ordo caritatis.

I. Quoad *personas*, ordo institui potest vel inter nos et proximum, vel inter proximum ipsum, quoad diversas personas [1].

2. *Bona* quae diliguntur triplicis generis sunt : *spiritualia* seu supernaturalia, uti gratia, virtus; *naturalia intrinseca* animae vel corpori, uti scientia, sanitas; *extrinseca*, uti fama, honor, divitiae. Porro bona spiritualia temporalibus aut naturalibus praestant ; naturalia intrinseca praestant extrinsecis : attamen non quodlibet bonum vel minimum superioris ordinis praefertur cuilibet bono ordinis inferioris.

3. *Necessitas*, seu indigentia bonorum qua quis laborare potest, sive spiritualis sive temporalis, triplex est : alia est *extrema*, et est quando proximus versatur in evidenti periculo damnationis , vel mortis, vel alterius mali morti fere aequalis, a quo periculo, moraliter loquendo, se liberare nequit, nisi auxilium ei prompte præbeatur.—Alia est *gravis*, et est quando proximo imminet periculum mali gravis, v. g. peccati, vel gravis infirmitatis, infamiæ, vel decidendi a proprio statu juste acquisito, et a quo periculo proximus sine magna difficultate se liberare non valet. — Alia est *communis*, et est quando proximus est in necessitate ordinaria, uti sunt v. g. in ordine spirituali ordinarii peccatores, et in ordine temporali mendici ; a qua necessitate proximus sine magna difficultate se liberare potest [2].

412. — *Q.* Quinam ordo servandus est inter nos et proximum?

R. — I. In eodem genere bonorum et pari necessitate, per se unusquisque tenetur, post Deum, seipsum magis diligere quam proximum, quia dilectio sui ipsius est exemplum et regula dilectionis proximi : regula autem est potior regulato [3].

II. In diverso genere bonorum vel necessitatis quandoque possumus, vel etiam tenemur, bonum proximi praeferre bono proprio.— Hinc triplex comparatio institui

[1] Hic nullus ponitur ordo inter Deum et nos, vel proximum, tum quia hic agitur de caritate erga proximum, tum quia Deus est super quemlibet ordinem, et ipse est potius principium et regula omnis ordinis ; unde Deus est super omnia diligendus.

[2] Sub nomine pauperum non veniunt qui laborare nolunt ; isti enim non sunt veri pauperes, sed otiosi; unde illis subvenire non utile sed nocivum esset.

[3] S. Th. 2.ª 2.ae, q. 26, a. 4.

potest : 1° Inter animam nostram et animam proximi ; 2° inter vitam nostram et vitam proximi; 3° inter vitam nostram et animam proximi.

In *prima* comparatione non tenemur, nec possumus animam proximi nostrae praeferre. Unde ab Innoc. XI damnata fuit haec propositio : *Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccati pro bono spirituali vel temporali proximi vel nostro* [1].

Quare nunquam licebit ne venialiter quidem peccare pro salute spirituali proximi: attamen potest quis aliquando privare seipsum bonis spiritualibus, quae sunt tantum de consilio, propter bonum proximi, sive spirituale sive temporale.

In *secunda* comparatione, seu inter vitam nostram et vitam proximi, non tenemur vitam proximi nostrae praeferre, excepto forte unico casu si agatur de persona bono publico valde necessaria. Sed, quamvis non tenemur, possumus tamen illam praeferre amore virtutis. Unde privatus potest se exponere certo vitae periculo ad conservandam vitam alterius privati, modo fiat ex motivo christianae virtutis, et adsit spes illum salvandi.

Nota : Quod hic dictum est, applicari debet etiam quoad comparationem aliorum bonorum ejusdem generis.

In *tertia* comparatione, seu inter vitam nostram et animam proximi, triplex est distinguenda proximi necessitas : extrema, gravis, communis.

1. Si proximus est in necessitate spirituali *extrema*, omnes ei succurrere tenentur etiam cum periculo vitae, modo sit necessitas certa, certa spes succurrendi, nullus adsit qui eum sublevet neque gravius inde malum immineat [2],-ratio, quia vita aeterna proximi est bonum excellentius vita nostra temporali ; et cum aliunde debeamus *pro fratribus animas ponere* [3], id saltem in hac summa necessitate verificari debet.—Hinc, positis hisce conditionibus, quisque tenetur etiam cum periculo vitae baptizare infantem moribundum qui ab alio non erit baptizaturus ; defendere vitam existentis certo in mortali et in somno occidendi vel in ebrietate ; moribundum absolvere qui habituatus sit in peccatis lethalibus, et simul adeo rudis ut per se nesciat elicere actum perfectae contritionis ; docere moribundum quae necessaria sunt necessitate medii ad salutem, etc.

2. Si proximus est in necessitate *gravi,* non adest per se obligatio ei succurrendi cum vitae periculo, aut cum gravi alio incommodo, tenemur tamen cum aliquo incommodo ; - ratio, quia proximus absolute potest ab ea necessitate se liberare. Dixi *per se*, nam *per accidens* tenemur etiam cum vitae periculo: 1° ratione *officii*, seu quando quis ex officio tenetur, uti Parochus ; 2° ratione *delicti,* seu quan-

[1] Dicitur *directe*, nam indirecte licet, quando nempe ex una parte adest justa causa ut te tali periculo exponas, et ex altera lapsus non est moraliter certus quia in hoc casu non temere quis auxilio Dei confidit, et sic adhibitis mediis quae semper adhiberi debent ad praecavendum lapsum, prudenter se tutum a periculo credit; secus si desit justa causa, etiamsi velit media adhibere, quia tunc auxilium Dei sibi pollicери non debet.

[2] Puta si te moriente, ea de causa plurium aliorum salus periclitetur.

[3] I. *Joan.*, III, 16.

do quis ex propria culpa proximum in illam gravem necessitatem conjecerit, puta si quis haeresim docuisset; 3° si necessitas sit *publica*, in gravi enim necessitate publica, puta saeviente cholera morbo, vix fieri potest ut aliquis non versetur in necessitate extrema[1].

3. Si proximus vero est in necessitate *communi*, nemo tenetur cum vitae periculo vel gravi incommodo eum liberare, sed solum omnes qui commode possunt;-ratio, quia proximus facile ab ea se liberare potest, et alias esset onus gravissimum.

413. — *Q.* Quinam ordo servandus est inter proximum ipsum?

R. Quoad *tertium* ordinem, seu inter proximum ipsum, plura distinguenda sunt: 1° gravitas necessitatis, extrema an gravis; 2° qualitas necessitatis, spiritualis an temporalis; 3° qualitas et dignitas personae. Hoc posito:

Necessitas extrema et spiritualis evidenter est praeferenda necessitati gravi et temporali. Ceteris paribus, in necessitate *extrema* parentes sunt primi, tum quia parentes habent rationem principii, quod est bonum eminentius et Deo similius, tum quia unusquisque plus accepit a parentibus, quam ab aliis[2]. In necessitate vero *gravi* vel *communi* primus est conjux, quia est una caro cum marito, ideoque ei conjunctior; postea filii, parentes, fratres, sorores et ceteri ordinatim.

NOTA: 1° Talis ordo per se non obligat sub gravi, saltem nisi valde remotus propinquo praeferatur;-ratio est quia unius excessus super alterum non est notabilis.— 2° Persona publica publico bono necessaria, ut esset Princeps, Pastor, praeferenda est cuicumque personae privatae;-ratio quia vices Communitatis gerit, cujus bonum praeponendum est bono privato.—3° Inversio ordinis quoad *necessitatem*, si de gravi vel extrema necessitate agatur, grave peccatum continet, quia caritatem in re gravi laeditur.

[1] *D'Annibale*, II, 82, (5).
[2] S. Th. 2ª 2ae, q. 26, a. IX.

ART. VI.

De caritate erga inimicos in specie.

414.— *Q.* Adest ne speciale praeceptum diligendi inimicum, et quid jubet hoc praeceptum?

R.—I. Adest certe speciale praeceptum diligendi inimicum; Christus enim dixit: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos*[3]. — Diligere autem debemus inimicos nostros non quia sunt mali et inimici (nam hoc esset diligere malum), sed 1° quia sunt fratres nostri, qui nobiscum ad coelestem beatitudinem pervenire possunt; 2° quia et ipsi sunt filii Dei, et intuitu Dei eos diligere debemus, multo magis quia Deus ipse exigit ut eos amemus.

II. Hoc praeceptum prout est *negativum* prohibet ne inimicum unquam odio habeamus, (odio *inimicitiae* ut dicetur inferius), et hoc praeceptum negativum obligat semper et pro semper.

III. Hoc praeceptum prout est *positivum* jubet ut inimicum diligamus amore omnibus hominibus *communi*, ideoque ipsum non excludamus a *generalitate dilectionis*, ut dicit S. Th.[4], seu a communibus caritatis demonstrationibus, v.g. ab oratione pro omnibus facta.

[3] *Matth.*, V, 44,.
[4] 2ª 2ae, q. XXV, a. 8.

At non praecipit ut ipsum diligamus illo amore *speciali,* quo diligimus consanguineos, amicos, etc., nec ut familiaritatem cum ipso ineamus, vel speciales amoris aut observantiae demonstrationes ei praebeamus. — Antipathia ergo, propter quam nonnulli a speciali amicitia cum quibusdam personis ineunda abhorrent (nisi ulterius progrediatur), caritatis legem non offendit [1].

Haec tamen dicta sunt *inspecto rigore praecepti;* non autem *inspecto consilio.* Consilium enim est ut in caritate, et quidem etiam cum jurium nostrorum jactura, abundemus: *Caritas non quaerit quae sua sunt.*

415.— *Q.* Quaenam tenemur inimico condonare?

R. Inimicus, seu qui nos injuste laesit, vel injusto odio prosequitur, potest nobis inferre vel solam *offensam*, seu displicentiam, indignationem, aversionem, vel etiam *injuriam*, seu laesionem alicujus juris. Porro inimico condonare tenemur meram offensam, seu displicentiam ab ipso nobis illatam, juxta praeceptum Christi: *Dimittite et dimittemini* [2].

Verum non tenemur ei condonare injuriam, seu damna quae nobis in bonis fortunae vel famae injuste intulit, unde quisque potest sive pro se, sive pro suis, exigere reparationem damnorum; cuique enim fas est jus suum prosequi.

416.— *Q.* Licet ne alteri optare malum?

R. Nunquam licet alteri optare malum quatenus ejus malum, quia esset res in se mala; nec licet alteri optare mortem ob aliquod nostrum temporale emolumentum, quia esset contra ordinem caritatis, ut constat ex duabus proposit. ab Innoc. X damnatis [3].

E contra licet alteri optare malum poenae, sive propter majus bonum spirituale ipsius v. g. ut a peccatis desistat, sive propter bonum reipublicae vel alterius quem plus diligere tenemur, dummodo servetur ordo caritatis, nempe, malum quod vitatur praeponderet, vel saltem coaequet malum optatum, nec injuste sit inferendum. — Quod autem alteri optare non licet, v. g. mortem, de eo, etsi forte ei naturaliter acciderit, nec delectari licet [4].

417.— *Q.* Licet ne justam punitionem inimico optare, vel etiam petere?

R. — **1.** Si intentio feratur principaliter in malum inimici, certe non licet, quia esset delectari de ejus malo uti malo.

2. Si vero intentio feratur principaliter ad aliquod bonum obtinendum, v. g. ad bonum publicum et exemplum aliorum, ad ipsius peccantis correctionem, tunc, servatis aliis circumstantiis, licet, quia esset juxta ordinem caritatis. Haec tamen sententia, ait S.

[1] *Berardi,* Praxis, n. 194.
[2] *Luc.,* VI, 37.
[3] Propos. damnatae: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci effectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum. —Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum obventura est pinguis haereditas.*— Non damnandus tamen qui gaudet de effectu secuto, nempe de haereditate obtenta ex morte alterius, si non gaudet de causa seu de morte, licet materia sit periculosa. S. Alph., L. V, 21.
[4] S. Alph., L. V, 22; *D'Annibale,* II, 86.

Alph. [1], *speculative* loquendo, vera est, sed *in praxi* ego nunquam ausus sum absolvere aliquem istorum, qui dicebant se inimicis pepercisse, sed voluisse ut justitia suum haberet cursum, animadvertendo in scelestos; nam numquam mihi suadere potui quod hujusmodi, qui aliquando veniunt peccatis onerati, ita bonum commune et justitiam diligant, non quidem in alios delinquentes, sed dumtaxat in suum offensorem, ut omni vindictae labe sint defaecati; unde in ipsis facillimum est, ut eorum erga justitiam amor sit coloratus praetextus ad tegendam propriae vindictae cupiditatem [2]. — Ceterum Th. admittunt bene posse aliquem prosequi coram judice satisfactionem injuriarum, si alias tota sua familia passura sit [3].

418. — *Q.* Tenemur ne signa caritatis inimico praebere?

R. Praemitto: signa alia sunt communia, alia particularia.—Signa *communia* sunt quae ab omnibus praestantur inter eos qui eadem conditione devinciuntur, uti inter propinquos, condiscipulos, concives, etc.; vel quae praestantur omnibus, uti salutantem resalutare, interroganti respondere, in communibus orationibus aut eleemosynis includere, etc.—Signa *particularia* sunt quae peculiaribus personis dantur, uti prior salutare, hospitio vel convivio excipere, ad familiare colloquium admittere, etc. Hoc posito:

1. Signa *communia* certe inimico praestare debemus; - ratio, quia eorum denegatio signum esset odii et vindictae: unde graviter peccaret qui haec signa communia, si *gravis momenti* sint, omitteret. Excipe si ea denegaret non ex odio, sed ex causa rationabili, puta si hoc faceret ad justam indignationem ostendendam, vel ad inimici correctionem et emendationem, vel ad aliud grave incommodum sibi praecavendum; modo absint odium et scandalum [4].

2. Signa *particularia* vero inimico exibere generatim non tenemur; - ratio quia eorum denegatio signum non esset nec odii, nec vindictae. Dixi *generatim*, nam certe tenemur in quatuor sequen-

[1] S. Alph. Hom. ap. T. IV, 17.

[2] Cl. *Frassinetti* (Tr. IV, nota 27 ad n. 68) dicit doctrinam S. Thomae esse doctrinae S. Alph. manifeste contrariam, ideoque hanc mitigandam esse. At observare licet quod doctrina S. Thomae nullatenus contraria est regulae illi practicae quam tradit S. Alph. En verba S. Th.: « dicendum quod vindicatio fit per aliquod poenale malum inflictum peccanti. Est ergo in vindicatione considerandus vindicantis animus. Si enim ejus intentio feratur principaliter in malum illius de quo vindictam sumit, et ibi quiescat, et omnino illicitum, quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod caritati repugnat, qua omnes homines diligere debemus. . . . Si vero intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per poenam peccantis (puta ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem ejus et quietem aliorum, et ad justitiae conservationem et Dei honorem), potest esse vindicta licita, aliis debitis circumstantiis servatis». 2.ª 2.ae, q. CVIII, a. 1.

Tenenda est ergo doctrina S. Alph. quae est secundum principia certa in Theologia et Philosophia; quaeque propterea non est *mitiganda*, sed tantum *prudenter applicanda*.

[3] S. Alph., L. II, 29; Hom. ap. T. IV, 17.

[4] Etsi tenemur dare signa externa remissionis, non tenemur tamen dare *statim* postquam offensio sit illata, quia videtur supra humanam fragilitatem laesum cogere statim ad reconciliationem faciendam nondum sedata perturbatione; unde expectandum tempus opportunum, et interim sufficit quod offensus deponat odium. S. Alph. L. II, 29.

tibus casibus : *a*) si adsit timor scandali ex omissione ; *b*) si id requirat salus inimici, nempe si speciale signum inimicum nostrum lucraturum sit, alioquin in odio et inimicitia permansurum ; *c*) si id requirat necessitas spiritualis vel temporalis inimici ; *d*) demum si inimicus signa specialia prior daret ; - ratio, quia in hisce casibus neglectus specialium signorum esset exterior odii declaratio [1].

419.—*Q.* Tenemur ne inimicum salutare, vel resalutare ?

R. — **1.** Si a salutatione malum potius quam bonum prudenter timeatur, v. g. si inimicus non esset salutationem redditurus, vel si ex salutatione prudenter timeatur quod inimicus novam rixam initurus sit, tunc non tenemur eum salutare, quia salutatio esset nociva, et alia reconciliationis media quaeri debent.

2. Si salutatio, inspectis personarum circumstantiis, sit signum *particulare* amicitiae, tunc hoc signum salutationis licite omittere possumus, si illam specialem amicitiam interrumpere velimus, maxime si id expediat, aut oporteat.

3. Si salutatio est signum *commune* amicitiae, nec a salutatione aliquid mali timeri possit, tunc inimicum salutare tenemur in sequentibus casibus : *a*) si ille sit superior; *b*) si antea eum salutare solebamus, et nunc eum non amplius salutare, inspectis omnibus circumstantiis, signum esset odii; *c*) si salutatio necessaria sit ad lucrandum fratrem, animum nempe illius tibi et Deo reconciliandum; vel necessaria sit ad cavendum scandalum, ne scilicet inimicus ad iram atque odium magis concitetur, maxime si agitur de Sacerdotibus, vel Religiosis in eodem monasterio. — Seclusis his casibus, ad salutationem non tenemur, quia ejus omissio non est per se signum odii.

Quale autem peccatum sit omittere allocutionem cum inimico vel ejus salutationem, etiam quando allocutio vel salutatio debita sit, plures Th. dicunt quod regulariter non est peccatum mortale, nam opponitur affabilitati, quae non est tantae obligationis, modo omissio non fiat ex gravi odio, vel cum gravi injuria inimici, vel cum gravi scandalo proximi, quod tamen raro fit et prudentis arbitrio decerni debet. Unde dicit Cl. Ballerini quod haec obligatio allocutionis vel salutationis, si haud modicam difficultatem praeseferat, non videtur valde urgenda [2].

4. Quoad *resalutationem* vero certe tenemur, quia alias esset inimicum contemnere, et in hostilitate velle perseverare ; excipe, juxta plures, si inimicus, post injuriam factam, condignam satisfactionem secundum qualitatem culpae et possibilitatem suam non exhibeat, vel si offensus esset superior, parens etc., modo isti non ex odio, sed solum ex justo dolore acceptae injuriae resalutationem suspendant non ad longum sed ad breve tempus, et modo ex brevi tempore injuriam acceperint. Sic parentes possunt recusare colloquium vel aspectum propriae filiae, quae, ipsis invitis, matrimonium contraxit cum juvene inaequalis conditionis; modo tamen hoc sit ad breve tempus, nam si esset ad longum tempus, vel in perpetuum, graviter peccarent [3].

[1] S. Alph., L. II, 28, 2.
[2] *Ballerini ad Gury*, I, 225 (*b*).
[3] S. Alph. L. II, 28.

420. — *Q.* Quisnam tenetur prior veniam petere ?

R. Videndum utrum injuria aequalis sit in gravitate aut tempore, an inaequalis.

Si *aequalis*, utrique incumbit obligatio reconciliationem inchoandi, data occasione vel opportunitate, juxta morem patriae, vel juxta alias circumstantias.

Si vero *inaequalis*, tunc tenetur qui prior praecessit, vel excessit in injuria. Etiam superior, si est offensor, tenetur veniam petere, exhibendo v. g. aliquod speciale signum amoris.

Data congrua satisfactione, offensus tenetur eam acceptare, nisi bonum publicum, vel innocentis, vel dignitas personae offensae aliter exigat.

421.—*Q.* Quomodo peccat qui inimico signa veniae denegat ?

R. Ad cognoscendum quomodo peccet, qui inimico signa veniae denegat iis in casibus quibus haec signa dare tenetur, duo consideranda sunt: 1° intentio, qua haec signa denegat ; 2° significatio externa, nimirum offensa quam dat inimico.

Quoad *intentionem*, si ea signa denegat ex odio gravi, vel quia inimicum summe contemnit, et indignum putat sua salutatione et colloquio, est peccatum mortale, quia graviter caritati adversatur. Si autem denegat ex odio *inimicitiae*, nempe ut illum affligat, ex genere suo est etiam mortale, leve tamen fieri potest ex levitate afflictionis.

Quoad vero *significationem*, culpa metienda est a gravitate vel levitate scandali et offensae [1].

—

[1] Si poenitens se accuset de odio, vel si confessarius ex aliqua interrogatione noverit poenitentem odium habere, in primis observet utrum solam displicentiam habeat, an verum odium et quidem inimicitiae, quo in casu Confessarius prudenter cum eo se gerat.—Permittat, si opus sit, ut poenitens breviter cor suum aperiat, propriumque dolorem aliquo modo effundat. Si confessarius detegerit inimicum ex parte excusari posse, prudenter et suaviter facta aut verba inimici, vel saltem ejus intentionem excuset; quod si hoc fieri nequit, utpote poenitens omnino innocens, tunc non sumat defensionem inimici ne poenitentem injuste et inaniter exasperet, sed potius aperte fateatur inimicum errasse, et ipsum poenitentem omni commiseratione dignum esse.—Interim confessarius, ut prudens de poenitentis conscientia judicium efformare possit, quaerat ab ipso tempus a quo odium gerit; num et quodnam malum ei optaverit; num de eo cum injusto detrimento famae commurmuraverit; num aliquid fecerit aut dixerit ad vindictam sumendam ; num debita caritatis signa et officia inimico denegaverit.—Hisce pro integritate confessionis cognitis, curet fortiter et suaviter, et, ut ita dicam, sensim sine sensu ut poenitentem ad veniam inducat. Illum edoceat quid praeceptum caritatis negativum prohibeat, et quid praecipiat affirmativum, ne forte putet praeceptum diligendi inimicos irrationabilia et impossibilia praecipere.—Ut autem poenitens se determinet ad veniam inimico concedendam , non proponat ei motiva humana quae nihil, vel fere nihil prosunt, sed motiva divina et supernaturalia, nempe illum adhortetur ut dimittat ob amorem Dei, et B. M. V.; quia Deus sic jubet; quia vindicta soli Deo spectat ; quia si ipsi inimico ex corde dimittit , etiam Deus certissime ipsi omnia peccata licet gravissima dimittet , juxta verba Christi : *Dimitte nobis debita nostra, sicut etc.* Ipsi prae oculis ponat exemplum Jesu Christi in cruce pro inimicis orantis, exemplum S. Stephani orantis pro Saulo, exemplum S. Jo. Gualberti, etc. ; et si poenitens, uti sperare licet, hisce exortationibus tactus odium deponit et veniam spondet, Confessarius ipsi congaudeat, eumque de remissione a Deo propriorum peccatorum certiorem factum, libenter absolvat.

Confessarius sit valde cautus cum poe-

CAPUT III.

De praecepto affirmativo caritatis.

422. — *Q.* Quaenam sunt praecipua caritatis opera proximo exhibenda?

R. Caritas in sterili tantum cordis affectu consistere nequit, juxta illud Ioan.: *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate* [1].

Praecipua autem opera caritatis proximo exhibenda ea sunt quae communiter vocantur *opera misericordiae*, et alia spiritualia sunt, alia temporalia, prout ad spiritualem ordinem, vel temporalem referuntur.

Hic speciatim dicemus: 1° de correptione fraterna; 3° de eleemosyna.

ART. I.

De correctione fraterna.

423.—*Q.* Quid est correctio fraterna, et est ne de praecepto?

R. Praemitto: correctio delinquentis triplex esse potest: *judicialis*, quae fit auctoritate judicis ad bonum societatis; *paterna*, quae fit a patre, vel a superiore uti tali, seu uti auctoritatem habente; *fraterna*, quae a solo motivo caritatis procedit, et fit solum in favorem delinquentis et ad illius correctionem. Hoc praemisso:

Correctio fraterna definiri potest: *Admonitio qua quis ex caritate proximum a peccato vel a proximo periculo peccati revocare nititur.*

Porro correctio fraterna per se

nitentibus odium habentibus; ipsi enim plures speciosas sed fallaces rationes in medium adducunt ad proprium odium occultandum. Dicunt v. g. se inimico ex corde dimittere; omnia in manus Dei remittere; nullum malum inimico optare; quinimo etiam pro ipso orare. Sed cautus Confessarius attente perpendat utrum haec verba vera sint nec ne. Quoties *ore* quidem veniam dare fatentur, *factis* autem negant! Nam, nulla justa causa excusati, nec inimicum, ut antea, salutant, imo nec ejus salutationi respondent; ipsum amplius nec videre, nec alloqui volunt; si obviam sibi venit, ipsum inurbane declinant, et his similia; quae omnia clare ostendunt odium latere in cordibus eorum. Has circumspectiones adhibeat prudens confessarius, praesertim si agatur de mulieribus, quia in ipsis, regulariter loquendo, odium callidius est, et scelestius, et tenacius.

Verum quidem est quod aliquando adest justa causa signa communia caritatis denegandi, vel potius ad tempus differendi; et si poenitens asserat se odium non habere, et praedicta signa denegare ne inimicus ulterius insolescat, vel ut suam injustitiam cognoscat, Confessarius rem coram Deo ponderet, et si poenitens in suo jure est, ei permittat ut ad tempus illa signa differat, modo non adsit odium, neque scandalum, et poenitens illa signa tempore opportuno praebere sincere promittat. Hisce in rebus, licet perfectiora optanda sint, tamen a discreto Confessario non sunt *exigenda* nisi quae caritas stricte jubet.

Postremum, si poenitens in suo odio obstinatus, nullo modo induci potest ad veniam inimico concedendam, Confessarius in his angustiis animo ne deficiat, sed fiducialiter corde se vertat ad Dominum, sic obsecrans: *Dona mihi, bone Jesu, hanc animam, quam pretioso Sanguine tuo redemisti.* Dein ipsi fortiter quidem sed una simul suaviter clare dicat: ne Deum quidem ipsi tot tantaque sua peccata dimittere; praeclusam esse viam salutis aeternae; odium suum saepius inane esse; et ipsam vindictam, quam forte molitur, in damnum et cruciatum potius animi sui quam inimici converti. Quod si poenitens, his non obstantibus, obstinatus in odio suo remanet, Confessarius eum inabsolutum dimittat, non indignationem, sed pietatem pro infelici statu ejus conscientiae ostendens, et interim pro ejus conversione et ipse oret, eumque orationibus aliorum commendet. Cf. *Ciolli*, Direttorio.

[1] I. *Joan.*, III, 18.

certe est de praecepto gravi tum jure *naturali,* quo membra unius corporis se mutuo juvare tenentur, tum jure *divino positivo*, Christus enim dixit: *Si peccaverit in te frater tuus..., corripe eum* [1].—Ut autem correctio fraterna obliget sub gravi, quatuor requiruntur conditiones: materia sufficiens; materia certa; necessitas correctionis; et spes emendationis.

1. *Materia sufficiens :* haec est peccatum *mortale* quod proximus commissurus est, vel etiam jam commissum, si nondum est per poenitentiam deletum, vel si proximus adhuc affectum ad ipsum habet.—Quoad peccatum *veniale* conveniunt Th. ipsum quoque esse materiam correctionis, si ratione materiae, vel personae, vel alterius circumstantiae continet probabile periculum mortalis [2]. — Hinc, quoad Ordines religiosos, si per peccata venialia aut dissolvi, aut etiam valde minui vigor disciplinae videatur, gravis esse poterit obligatio correctionis non solum in praelatis, sed etiam in privatis, cum utrique ad gravissimum hoc malum religionis avertendum ex caritate teneantur [3].

2. *Materia certa.* Quare si peccatum non est certum, non adest obligatio correctionis, nisi in casu damni publici, vel nisi sit superior qui corripere debet, cum is ex officio teneatur peccata subditorum inquirere, licet potius tunc expediat ut correctionem faciat in communi [4].

3. *Necessitas correctionis* sive ex parte *corripiendi*, sive ex parte *corripientis.* Hinc si proximus jam emendatus est, vel prudenter judicatur quod ex se resipiscat, vel adsint alii qui melius et utilius corrigant, obligatio cessat.

4. *Spes emendationis* non certa, sed probabilis, in praesenti vel in futuro [5]. — Quare prudentia plerumque suadet ut omittatur correctio erga eos quorum indoles est penitus ignota, ne iniquo animo correctionem accipientes fiant deteriores.

Ceterum *in praxi* raro praedictae conditiones simul reperiuntur. Unde privati inter se raro ad correctionem tenentur *saltem sub gravi*, nisi sint familiariter inter se conjuncti ; rarius adhuc erga Superiores propter ineptitudinem [6].

424. — *Q.* Correctio quomodo facienda est; et in dubio an sit profutura est ne facienda ?

R. Correctio ut sit profutura, facienda est cum caritate, secreto, loco et tempore opportuno; unde non est semper statim facienda, sed quum major fructus speratur, et interdum expectari potest etiam delicti reiteratio, ut correctio fructuosior sit. Ita Th. communiter [7].

In dubio utrum correctio sit profutura nec ne, facienda est tantum in sequentibus casibus: 1° si probabilius est profutura, vel licet sit dubie profutura, certe tamen non est nocitura [8]; 2° si corrigendus sit in periculo mortis, quia tunc frater in peccato constitutus jam gravem patitur ne-

[1] *Matth.*, c. XVIII, 15.
[2] S. Alph. L. II, 34.
[3] *Ballerini ad Gury*, I, 230 (*b*).
[4] S. Alph., L. II, 38.
[5] S. Alph., L. II, 39.
[6] *Gury*, I, 233, 2.°.
[7] S. Alph., L. II, 39, 40.

[8] Nocitura esset correctio quando is qui peccat emendaturus non sit, vel quando ejus peccatum, tantum materiale, post correctionem evaderet formale; vel quando a monitione majora mala timerentur, uti scandala, dissidia, etc.

cessitatem ; 3° si ex omissione scandalum aliorum timeatur.

425. — *Q.* Adest ne obligatio corrigendi peccata commissa ex ignorantia ?

R. Si ignorantia sit *vincibilis*, certe adest obligatio correctionis, quia talis ignorantia non excusat a peccato.

Si vero ignorantia sit *invincibilis*, tunc distinguo: — Si peccata sint contra *jus naturale* vel *divinum*, correctio fieri debet, quia tunc illa sunt intrinsece mala, modo semper speretur fructus, et periculum absit ne peccatum materiale evadat formale. — Si autem sint contra *jus positivum humanum*, certe praelatis, parentibus, confessariis et magistris adest obligatio corripiendi, quia ipsis specialiter incumbit docere subditos.

An vero privatis adsit talis obligatio, disput. Th. Alii probabiliter negant adesse hanc obligationem saltem sub gravi. Sed alii probabilius et communius affirmant; - ratio, quia illa transgressio, licet materialis et non intrinsece mala, attamen, posita lege, adhuc est mala, et ideo per correctionem quisque eam impedire tenetur [1].

Quandonam autem facienda sit monitio nec ne, v. dicta *de conscientia erronea*, n. 61.

426. — *Q.* Quinam corripere tenentur ?

R. — **1.** Positis praedictis conditionibus, omnes tenentur sub gravi ad correctionem fraternam, si fieri possit absque gravi incommodo; - ratio quia *unicuique Deus mandavit de proximo suo* [2]. Scrupulosi tamen ordinarie excusantur a tali obligatione, quia aut nimium defatigantur, aut inepti sunt; nam scrupulis et anxietatibus perturbati necessaria carent discretione ad corripiendum, et ad causas excusantes attendere non valent.

2. Strictius tenentur Superiores, uti Episcopi, parochi, confessarii, parentes, domini, magistri, tutores, etc. [3].

3. Superiores tenentur etiam invigilare in subditos et inquirere eorum peccata, ut eos corripiant, non tamen multum et curiose de aliquo in particulari, nisi ad hoc peculiaris aliqua ratio illos moveat. Sed caveant ne facile spontaneos accusatores admittant, et eo magis ne fidem illis statim praebeant, quia isti interdum, sub specie boni communis seipsos quaerunt [4].

427. — *Q.* Episcopi, parochi, parentes et domini tenentur ne ad correctionem etiam cum gravi incommodo ?

R. Episcopi et parochi, cum teneantur ex officio, ratione stipendii quod recipiunt, ad subveniendum in spiritualibus suis subditis, tenentur ad eos corrigendos etiam cum periculo vitae, si subditi sunt in necessitate extrema. — Si autem sunt in necessitate tantum gravi, certe tenentur etiam cum gravi incommodo. — An vero in hoc casu teneantur etiam cum periculo vitae, disput. Th. Requiritur tamen in utroque casu quod certe adsit sive necessitas correctionis, sive spes emendationis [5].

[1] S. Alph. L. II, 36.
[2] Eccli., XVII, 12.
[3] Correctio superioris, stricte loquendo, non pertinet ad fraternam correctionem, sed est debitum potestatis seu officii.
[4] S. Alph. L. II, 42, 4.
[5] Quamvis Parochus, quoad praedicationem, Sacramentorum administrationem et bonum exemplum, muneri suo satisfaciat, nihilominus plurima peccata, vitia et scandala semper remane-

Parentes vero, domini, etc., probabilius non tenentur ad correctionem cum periculo gravis damni proprii, quia licet verius teneantur superiores ex officio magis quam ex caritate, attamen tale officium, cum ortum habeat ex sola obligatione pietatis aut caritatis, non videtur ad tantum onus obligare ex justitia.

428. — *Q.* Parochus circa quae speciatim invigilare debet?

R. Parochus invigilet circa proprios familiares, et dein circa adolescentulos suae ecclesiae inservientes, ne scilicet in locis reconditis turpia committant. Notet diligenter quinam pueri Doctrinam Christianam non frequentent, et quinam parochiani praecepto Paschali non satisfaciant. Vigilet speciatim circa clericos qui suo tempore ad sacros Ordines promoveri debent. Occasione benedictionis domorum in Paschate, observet an imagines obscoenae ex parietibus pendeant; an religionis signa animadvertantur; an adsint lecti sufficientes ut sexuum separatio servetur. Occasione census animarum, si prudenter possit, inquirat ad quas scholas seu apothecas filii mittantur; an filiae alibi serviant et ubinam; an pax in familia adsit, etc. Specialiter quoque vigilet circa illas puellas quae, mortua matre, solo cum patre absque fere ulla custodia remanserunt; istae enim in magno periculo versari solent; et tunc Parochus aliquam bonam et provectioris aetatis vicinam rogabit ut quasi mater earum curam suscipiat, et si aliquod periculum sub oriatur, illud ei indicet. Si forte impiorum aut haereticorum scholae in paroecia adessent, tunc quam maxime vigilare debet ne filii ad illas mittantur. Summam denique vigilantiam sub gravissima obligatione adhibere deberet si quidam perversi aliquam sectam, vel alia Paroeciae adhuc bonae extremam ruinam allatura machinarentur [1].

429. — *Q.* Parochus tenetur ne minutiores inquisitiones facere, ut de quolibet parochiano sciat quibus moribus sit imbutus?

R. Negative. Tunc enim non solum onus intolerabile et infinitis scrupulis subjectum Parocho imponeretur, sed etiam parochiani id quam maxime aegre ferrent et Parochum odio haberent. Hinc Theologi passim observant, Parochum inquirere quidem debere, sed in genere, quaerendo nempe (speciatim circa illas Paroeciae partes quae a parochiali residentia longe dissident) an quidpiam inordinati adsit. Si tamen Parochus aliquem fundatum et gravem suspectum circa aliquam rem (cui, juxta dicenda paulo infra, remedium apponendum sit) haberet, utique tunc vigilare specialiter et inquirere teneretur.

At vero, sic vigilando et inquirendo, prudenter admodum et caute procedere debet, ne alia et forsan longe majora mala provocet.

bunt; multi enim Ecclesiam non frequentant, vel concionem sibi non applicant, vel tentationibus et difficultatibus se vinci sinunt. Malis hujusmodi maxima ex parte remedium adhiberi nequit; sed aliqua per privatas correctiones congrue et efficaciter e medio auferri possunt.

Parochus igitur tenetur vigilare et inquisitiones facere; secus enim plurima eum laterent, aut non tempestive ad ejus notitiam pervenirent. « Quae potest « esse pastoris excusatio (scripsit D. Gre« gorius) si lupus oves comedit, et pa« stor nescit? »

[1] *Berardi*, Praxis, n. 522.

In primis hoc in confessionali non faciat ; secus enim multi id advertentes accederent non jam ad confitenda cum spiritu poenitentiae peccata propria, sed ad facta aliorum enarranda, et confessionale in locum querelarum dicteriorumque, ne dicam murmurationum et calumniarum, converterent. Extra confessionale quemlibet (delationes facere non assuetum) Parochus audire poterit dummodo non facile credat; spontanei enim delatores saepe saepius ex passione loquuntur, decipiunt, aut saltem res valde exaggerant. At vero delationum vel inquisitionum frequentia magnam prudentiam exigit. Parochus qui multis delatoribus aut paucis quidem sed secretum non servantibus (quales saepe sunt sacristiae inservientes) vel judicio aut bona conscientia carentibus, se circumdaret, odiis jurgiisque aditum aperiret, et tandem propriam auctoritatem et existimationem in discrimen conjiceret, speciatim si foeminarum (maxime vero si propriae ancillae) delationes assidue exquireret aut libenter audiret. Exceptis itaque perpaucis casibus, Parochus ab aliquo bono Sacerdote dumtaxat, aut viro gravi, notitias paroeciae regimini necessarias exquirere debebit.

Postquam Parochus aliquid audiverit, non praepropere procedat, sed circumstantias consideret, ne tamquam certum habeat id quod tamquam dubium dumtaxat aestimari debet. In dubio autem (nisi res sit adeo gravis ut etiam tunc procedere debeat) sinat ut tempus rem bene delucidet; secus enim periculo alios temere offendendi et seipsum despectui exponendi obviam iret [1].

430. — *Q.* Parochus tenetur ne particulares correctiones adhibere etiam propter peccata valde communia seu in Paroecia sua valde diffusa ?

R. Pro his publicis quidem exhortationibus, sed non privatis correctionibus uti debebit. Istae enim immodice Parochum gravarent illumque exosum redderent ; imo res eo tandem deveniret, ut Parochiani illum despicerent et vocati ad eum non accederent. Ita reapse sentiunt Parochi etiam optimi.

Quibus itaque in casibus privatae correctiones fieri debeant, in theoria vix determinari potest. Peccata enim, vitia et scandala quae in quibusdam locis et temporibus communissima sunt, et proinde privatim non corripienda, in aliis locis et temporibus rara erunt, et sic privatae correctionis objectum esse poterunt. Nihilominus, saltem pro multis paroeciis non totaliter et non enormissime corruptis, dicendum est quod Parochus *de regula ordinaria* ad privatam correctionem vel ad aliquod speciale remedium apponendum procedere debet in sequentibus casibus :

1. Si agatur de scandalo publico ; quod praecipue provenit meretricibus, publicis concubinariis, matrimoniis pure civilibus, puellis antequam matrimonium ineant in utero gestantibus, cynismo aliisque nuditatibus, profanatione festorum, publicis ludis tempore divinorum officiorum continuatis, choreis et serotinis conversationibus (si valde in usu non sint). Idem dic multo magis de publicis scandalis contra fidem, v. g., si

[1] *Berardi*, Ib.

parochianus Protestantibus domum pro templo vel schola locare vellet.

2. Si agatur de aliis magnis scandalis, quamvis privatis; v. g. si in aliqua domo masculi cum foeminis promiscue dormirent; si imagines obscoenae exponerentur, etc.

3. Si genitores circa filiorum educationem valde delinquant, v. g., si ad doctrinam Christianam eos non mittant; si sinant ut filii vel filiae magnis periculis (quin necessitas ullo modo excuset) se exponant, etc.

4. Si quis praecepto Paschali non satisfecerit (dum alii communiter satisfaciunt), aut periculose decumbens Sacramenta non petat.

5. Si magna rixa aut discordia suboriatur; et idem dic si inter maritum et uxorem divortium illegitimum adsit.

6. Si Parochus sit praesens quando aliquod peccatum, v. g., gravis detractio, committitur.

7. Speciali demum et minutiori modo corrigere debet clericos ad Ordines Sacros se disponentes, et orphanos quavis pene custodia destitutos.

Dixi correctionem fieri debere *de regula ordinaria;* nam in recensitis casibus non semper correctio est facienda, et quaedam exceptiones locum habere possunt.

Prima exceptio: *Si correctio perniciosa judicetur;* quatenus vel nihil boni esset sperandum, sed solum majora mala essent formidanda, vel bonum quod speratur in comparatione mali quod timetur longe minus aestimandum esset.— Si agatur de hominibus incredulis, qui jam cum Ecclesia et Sacerdotibus nihil commune habere volunt. Quaedam tamen facilius ab istis quam a catholicis interdum obtinentur, dummodo ad modum non correctionis sed gratiae petantur.—Notandum, non facile supponi debere quod correctio erga pueros, adolescentulos et mulieres perniciosa futura sit.

Secunda exceptio: *Si correctio non quidem perniciosa, sed prorsus inutilis censeri debeat.* Talis autem duobus modis esse potest; nempe: 1.° Si credendum sit quod subditus per se ipsum emendabitur, aut certe major spes in aliis mediis ordinariis collocari debeat; 2.° Si de bono effectu correctionis sit desperandum; ut puta, si ageretur de meretrice impudentissima, vel de homine jam a longo tempore habituato et peccante non jam ex fragilitate, sed ex pura malitia seu ex profunda voluntatis perversitate; ad opus enim inutile nemo tenetur.

Regula itaque generalis est quod Parochus ad correctionem tenetur, quando alia media ordinaria non prosint, correctio vero valeat; quod facilius accidit si persona corrigenda indigeat ut Parochus illam adjuvet. Advertendum tamen quod interdum correctio, quamvis sit inutilis respectu peccatoris, potest esse necessaria si forte parochiani scandalizarentur, eo quod Parochus videat et non corrigat; sed hoc scandalum (si Parochus zelo praeditum se ostendat) non est facile supponendum [1].

431.—*Q.* Parochus quaenam curare debet circa modum correctionis?

R. Parochus circa modum correctionis sequentia speciatim observet:

[1] *Berardi*, Ib.

1. Curet imprimis Parochus ut sit ipse irreprehensibilis, atque a parochianis existimetur et ametur: dein pro felici exitu correctionis Deum enixe oret.

2. Efficaces paret rationes non solum supernaturales, sed etiam naturales; mala enim et pericula temporalia quae ex peccatis profluunt, pro iis praecipue qui Deum parum timent, optime deservire possunt. Objectiones autem et difficultates praevideat, atque ad illas solvendas majori qua poterit efficacia se paret.

3. Interdum tempus opportunum expectari debet; v. g. si parochianus brevi accessurus sit ad Parochum pro eleemosyna; vel si hic et nunc passiones sint nimis accensae, etc.

4. Si correctionis publicitas non sit necessaria, et haec personae corrigendae displicere possit (prout ordinarie contingit), tunc correctionem secreto faciat, et curet ut familiares nihil audiant nihilque sciant. Imo interdum expedit ut Parochus parochianum non advocet (maxime per alium), sed potius ipse ad illum accedat, quin alii quidquam suspicari possint.

5. Pastor clarissime patefaciat quod ex solo ovis suae amore et ex puro desiderio ejus boni temporalis et aeterni, prout munus suum exigit, correctionem facit.

6. Homines amore et timore moventur; quare Parochus primitus (saltem ordinarie) viam amoris tenebit, idque maxime si personae corrigendae aetas, educatio, conditio et indoles specialem respectum et lenitatem exposcant. Si tandem per viam amoris nihil obtineri possit, tunc Parochus (si prudentia id sinat) viam timoris tentabit, quin tamen in objurgationibus et minis limites excedat, ne scandalum ingerat aut (attenta minarum qualitate) familiis se odiosum reddat.

7. Si foeminae juventute adhuc florentes corrigendae sint, curet ut cum matre, vel in confessionale, veniant; et in exhortatione facienda teneritudines evitet. Caveat speciatim, si forte aliqua puella sit gravida, et oporteat illam abscondere ut clam parturiat, caveat (inquam) ne ipse locum quaerat aut pecuniam ei suppeditet. Caveat quam maxime ne, motivo correctionis aut auxilii, ipse personaliter ad foeminam juvenem aut malae famae se conferat, si sola domi moretur. Caveat uno verbo ne seipsum et proprium honorem in gravissima discrimina conjiciat.

8. Si Parochus animadvertat esse impossibile aut non opportunum ut per se ipsum peccatorem admoneat, tunc videat an ope alicujus personae familiaritate vel amicitia eidem conjunctae convenienter et efficaciter suum intentum obtinere queat [1].

432. — *Q.* Privatus qui fraternam correctionem omittit, peccat ne graviter?

R. Si adsint debitae conditiones, per se graviter peccat, quia praeceptum est sub gravi.

Docet autem S. Thomas quod si quis ex aliquo timore vel cupiditate divitiarum correctionem omitteret, peccaret tantum venialiter, si timor vel cupiditas tardiorem tantum faciat ad correctionem, ita ut eam non omitteret si ipsi constaret quod posset fratrem a peccato retrahere [2].

433. — *Q.* Si proximum, cor-

[1] *Berardi*, Praxis, n. 522.

[2] S. Alph., L. II, 37.

rectione contempta, peccare voluerit sine alterius damno et injuria, licet ne ipsum *vi* impedire?

R. Disput. Th. Alii negant cum Molina: sed alii cum De Lugo affirmant, si adsit gravissima causa. Cl. D' Annibale vero sic distinguit: Si vim passus, sedata animi perturbatione, non invitus futurus sit, quasi tunc non suae mentis fuerit, tunc caritas exigit; secus vetat; - ratio, quia *vis* injuriam continet, et eo magis si eum qui vim patitur aliter peccare faciet, v. g. imprecationibus, blasphemiis, etc. [1].

434. — *Q.* Quinam ordo in correctione fraterna servandus est?

R. Ille servandus est ordo quem Christus præscripsit, scilicet ut correctio *primo* fiat privatim, *deinde* coram testibus, *demum* coram praelatis Ecclesiae seu superioribus.

Talis ordo regulariter obligat sub gravi, ut docet S. Th., et ratio firmat. Dixi *regulariter;* excipiendi enim sunt sequentes casus: — 1° Si crimen sit publicum vel tale proxime eventurum, tunc enim delinquens potest publice corripi, quia cessat ratio servandi ejus famam. — 2° Si magis praestet peccatum innotescere superiori, viro probo et prudenti, quam aliis testibus. — 3° Si peccatum vergat in grave damnum tertii vel communitatis, et non adsit certa spes per secretam correctionem illud damnum impediendi. — 4° Si proximus cessit juri suo ut privatim moneatur, uti fit penes quosdam religiosos, qui contenti sunt ut proprii defectus superiori statim significentur [2].

In communitatibus vero, in seminariis, collegiis, etc., plerumque expedit ut correctio fiat via denuntiationis [3] ad superiorem, aut per se aut per alium: nec possunt absolvi sodales aut convictores qui ad hanc denuntiationem non consentiunt, quia agitur de gravi damno communitatis.

Art. II.

De eleemosyna [4].

435. — *Q.* Datur ne praeceptum eleemosynae?

R. — I. Eleemosyna praecipitur tum *jure naturali,* juxta illud: *Quod tibi vis, alteri feceris,* tum *jure divino,* nam in Scriptura legitur: *Praecipio tibi ut aperias manum tuam fratri tuo egeno et pauperi* [5]. Et Christus Jesus: *Quod superest, date eleemosynam* [6]. *Discedite a me maledicti in ignem*

[1] *D' Annibale,* II, 83.

[2] S. Alph., L. II, 41.

[3] Sedulo distinguenda est denuntiatio quae *evangelica* dicitur, ab altera quæ *judicialis* appellatur. Prior, quae fraternae correctionis propria est, fit superiori ut *patri,* et per se primo tendit ad bonum denuntiati. Altera vero fit superiori tamquam *judice,* ut ex cognita causa procedat, et tendit ad bonum aliorum praesertim ad bonum commune, vel ipsius denuntiantis. Porro ubi denuntiatio superiori fiat mere ut *patri,* nullatenus ipse potest ut *judex* procedere.

[4] Eleemosynae nomine proprie venit pecunia vel res quaecumque quae pauperi datur ad corporalem ejus inopiam sublevandam. Quae autem de rebus dicuntur facile applicari possunt actionibus quibus alienae necessitati opem feramus, e. g. laborem aliquem assumendo pro paupere, ditiorem in ejus favorem adeundo, gratis ejus causam coram tribunali defendendo, etc. *Génicot,* I, 222.

[5] Deut., XV, 11.

[6] Luc., XI, 41.

aeternum..., esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, etc. [1].

II. Obligatio hujus praecepti pendet et dimetienda est tum ex diversa necessitate proximi, tum ex facultate propria, juxta bona quae possidentur. (De proximi necessitate ejusque distinctione, v. dicta n. 411).

Non adest tamen obligatio *inquirendi* necessitatem proximi, nisi quis ex officio teneatur, vel probabiliter dubitaret de extrema alicujus necessitate [2].

436. — *Q.* Bona quae possidentur quotuplici ratione esse possunt necessaria vel superflua?

R. Bona fortunae quae quis possidet possunt ipsi dupliciter esse necessaria. Alia sunt *necessaria vitae* nostrae vel aliorum quorum cura nobis incumbit; et haec bona necessaria vitae respiciunt quae ad victum, vestitum et habitationem spectant. — Alia sunt *necessaria statui,* vel necessaria *ad decentiam status;* et veniunt ea, sine quibus convenienter in propria dignitate et conditione (vanitate et luxu seclusis), nosmetipsos servare non possumus.— Quae autem nec vitae, nec statui aut decentiae status sunt necessaria, dicuntur *superflua.*

Quaenam vero *in praxi* sint cuïque superflua juxta propriam conditionem praecise determinari nequit; superfluum enim non sistit in puncto indivisibili, sed refertur ad cujusque statum, qui cum varius esse possit, majores minoresve expensas importat; unde hac in re prudentum judicium attendi debet.

437.—*Q.* Quandonam urget praeceptum eleemosynae?

R.—1. In *extrema* proximi necessitate, sub gravi juxta omnes tenemur proximo subvenire, et probabilius tenemur etiam in dubio an necessitas sit revera extrema. Sed non tenemur proximo subvenire ex bonis nobis ad vitam necessariis; - ratio, quia non tenemur vitam proximi nostrae praeferre; excipe nisi pauper esset persona talis a qua penderet salus reipublicae, nam in hoc casu bonum publicum nostro privato praevalere debet.—Bene vero in extrema proximi necessitate tenemur, *ordinarie loquendo,* proximo succurrere ex bonis superfluis vitae, etsi necessariis conditioni aut decentiae status; - ratio, quia ordo caritatis exigit ut vita proximi praevaleat bono nostro longe inferiori; et in hoc casu, necessarium proximo recusare, idem esset ac nos erga ipsum injustitiae reos fieri, imo causam mortis ejus nos reddere [3].—Dixi *ordinarie loquendo,* nam caritas non obligat ad sublevandam proximi necessi-

[1] Matth., XXV, 41 et seqq.

[2] *Aertnys,* L. II, 47, 3.°.

[3] Nonnunquam Ss. Patres reum homicidii dixerunt divitem qui necessarium pauperi recusat. Sic v.g. S. Ambr.: *Pasce fame morientem, si non pavisti, occidisti.* Et Lactantius: *Qui succurrere perituro potest, si non succurrerit, occidit.* — Evidens autem est quod hae sententiae intelligi tantum debent de casu extremae necessitatis; et sacri praecones sedulo curent ut earum applicationem ad eos solummodo extendant, qui pauperem vel aliam quamcumque personam fame deficere vel mori ex subsidii defectu permittunt. Extra hunc casum in errorem prolaberemur, atque in exaggerationem, eo magis periculosam quatenus in pauperum animis facile infirmari posset reverentia erga inviolabilitatem proprietatis. Quod sane aetate hac nostra valde facilius contingere potest, qua *comunismi* ac *socialismi* pestis, post catholicae doctrinae repudium, tam late grassatur. *Gousset,* I, 370.

tatem, etiam extremam, uti mediis *extraordinariis,* quae homines communiter adhibere non solent. Hinc si majus damnum aestimaretur te excidere a tuo statu, quam mors pauperis, non tenereris [1].

2. In *gravi* proximi necessitate certe tenemur sub gravi ei subvenire, si haec necessitas mox in extremam verti possit; secus, an teneamur sub gravi, controvertitur inter Th.—In tali autem gravi necessitate juxta plures tenemur proximo subvenire tantum ex bonis superfluis statui [2], seu cum modico vel mediocri tantum nostro incommodo; ratio, quia ordo caritatis exigit ut quisque proximum diligat sicut se ipsum, unde cum parvo suo incommodo tenetur quisque magnum incommodum proximi impedire.—Haec vero obligatio probabilius et communius urget sub gravi, si probabiliter quis putet proximum ab alio non subventum iri. Hinc Innoc. XI sequentem damnavit propositionem, qua obligatio eleemosynae illusoria fiebat: *Vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluis statui.*—Magis autem urget haec obligatio in publicis calamitatibus: cum v. g. annonae deficiunt, vel populus bello, inundationibus, incendiis, aliisve calamitatibus vastatur; in hisce angustiis fieri potest ut in miserorum subsidium non solum bona statui superflua impendere obligemur, sed ex parte etiam bona ad integram ejus conservationem necessaria [3].

3. In *communi* proximi necessitate tenemur ei subvenire ex bonis superfluis statui.—Haec obligatio, si agatur de paupere *in particulari,* non est sub peccato, vel tantum sub levi, nisi adsit periculum quod, nisi subveniatur, incidat in necessitatem gravem. — Si vero agatur de pauperibus *in communi,* an haec obligatio sit sub gravi, disput. Th. Alii dicunt esse tantum sub levi; ratio, quia quum pauperum communis miseria soleat esse levis et tolerabilis, non videtur culpa gravis auxilium eis denegare. Alii vero plures cum S. Alph. dicunt esse sub gravi; ratio, quia si divites absolutam non haberent obligationem subveniendi communiter mendicis, possent isti ab omnibus in sua necessitate derelinqui. — Ceterum, relicta disputatione, conveniunt Th. quod in malo conscientiae statu versatur dives qui omnes mendicos a se inhumaniter repelleret, et nullam daret eleemosynam in communibus necessitatibus; vel qui in hoc esset notabiliter negligens. — Attamen quum Th. non consentiant de hac gravi obligatione, Confessarius non tam facile huic diviti absolutionem negare debet [4].

438.—*Q.* In necessitate communi quaenam quantitas superflui eroganda est in pauperes?

R. Quando necessitas non est nisi communis, non adest obligatio totum superfluum in pauperes erogandi; sed potest pars ejusdem servari vel ad opera religioni aut patriae utilia perficienda, vel in augmentum patrimonii, et ad meliorem reddendam conditionem tum

[1] S. Alph. L. II, 31.
[2] Beneficiarii ecclesiastici, secus ac laici, tenentur *omnia* superflua ex suis beneficiis erogare pauperibus, vel locis piis.
[3] *Gousset,* I, 371.
[4] S. Alph., L. II, 32.

sui tum filiorum, quod sane spiritui Evangelii non opponitur. Neque tenetur dives eleemosynam dare omnibus pauperibus occurrentibus, sed aliquando et morali modo.—Ceterum, Th. communiter dicunt non teneri unumquemque totum superfluum hujusmodi pauperibus elargiri ; hoc enim praeceptum non obligat singulos in solidum, sed communiter omnes divites, ex quibus si singuli aliquid largiantur, satis subvenitur his communibus necessitatibus. Unde communiter censent *probabiliter* satisfacere divites erogando in pauperes communes quinquagesimam partem horum reddituum, seu duos aureos ex centum, sed non in eadem proportione si divitiae multum excedant [1].

439.—*Q.* Quibusnam ex bonis eleemosyna fieri debet ?

R. Eleemosyna facienda est ex

[1] Parochi ex Trid. (sess. XXIII, cap. I, de ref.) non solum ex lege generali caritatis, sed ex officio tenentur pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere. Cura autem pauperum *in praxi* certe difficillima est; ideoque nonnulla hic animadvertere opportunum visum fuit.

I. *De attentione necessaria ad detegendos veros pauperes.* — In paroeciis ruris facile cognoscuntur quinam sint veri pauperes ; non item vero in paroeciis urbis. In primis, quum quis alienigena Parocho se praesentat eleemosynam petens, si ipse prima fronte cognoverit petentem versari in gravi et urgenti necessitate, statim pro viribus et pro necessitate ei succurrat; tutius est enim eleemosynam una vice profundere, quam in urgenti necessitate versanti denegare. Secluso hoc casu, Parochus non illico credat verbis alienigenae eleemosynam petentis, sed prius curet detegere unde veniat, ubi habitet, etc ; plures enim e villis, maxime tempore hiemali, in urbem veniunt ad exercendam mendicantium artem, quin vere pauperes sint, et hi veluti fures sunt, ideoque ipsis pecuniam dare non caritas est, sed otium et vitium fovere. Concedenda tamen est aliqua parva eleemosynam ostiatim mendicantibus qui ob aetatem, vel infirmitatem ad laborem impares sunt, ideoque quadam commiseratione digni. Dixi *aliqua parva eleemosyna*, quia ipsis tota die circumvagantibus et subsidia petentibus necessaria non desunt, quinimo quandoque nonnihil superest quod, generatim, tabernis et ludis insumunt.

Adsunt vero personae non humilis, sed honestae conditionis, quae vere pauperes sunt, quaeque, quum mendicare erubescant saepius gravi egestate laborant. Hisce personis vel familiis succurrere optima caritas est. Sed etiam inter hos pauperes non desunt otiosi et vitiosi, qui modum supplicandi et eleemosynas obtinendi didicerunt, unde non solum necessaria vitae et decentiae status, sed etiam superflua saepius habent. Quapropter Parochus per secretas et opportunas inquisitiones nosse studeat veros et falsos pauperes, ne contra suam voluntatem subsidia ad vitia fovenda praebeat.

Quaedam mulieres autem donum petitionis, ut ita dicam, habent; se versari asserunt non solum in gravi, sed in extrema necessitate; neminem ipsis subsidium praebere; se a mane ad vesperas esurire, et inedia continua consumi... et interim ingemiscere et lacrymare sciunt. Parochus istarum verbis non credat; generatim suspiria sunt et lacrymae simulatae. Et revera, si Parochus sagaciter confabulationem cum ipsis ineat de aliis negotiis, illae inopinate gemitibus et planctu illico desistunt, pacate placideque respondent, evidens et tutum signum quod suspiria et lacrymae simulatae erant. Quam maxime igitur interest discernere veros a falsis pauperibus.

II. *Quomodo Parochus se gerere debeat cum falsis pauperibus.* — Parochus, si cognoverit aliquem non esse pauperem, sed otiosum et vitiosum, urbane quidem, ne illum ad iracundiam provocet, sed firmiter eleemosynam sub aliquo specioso praetextu recuset; quod iterum iterumque faciet, unde pauper ille post secundam vel tertiam vicem deprehendet se a Parocho optime cognosci, nec ulterius se praesentare audebit.

Si quis a Parocho petit ut administratoribus cujusdam operae piae, vel

bonis propriis, quorum quis liberam habet administrationem. Attamen in necessitate *extrema* vel *quasi extrema*, si proximus aliunde succurri nequeat, fieri potest etiam ex bonis alienis, tunc enim

aliis Benefactoribus ipsum commendet, Parochus affirmative respondeat; sed prudenter administratores et Benefactores de illius statu et vita admoneat.

Si pauper attestationem de propria paupertate quaerit, Parochus ad vexationes vitandas illam exhibeat, sed cum hac cautione, quod si petens est vere pauper illam *positivam* praebeat, nempe *vere esse pauperem et subsidio dignum*, secus *negativam* tantum, nempe *esse pauperem et nihil possidere*. Administratores autem et Benefactores sciunt quid diversa verba significent.

Si aliquando aliquis praeclarus Benefactor publicam et generalem eleemosynae distributionem per medium Parochi elargiatur, Parochus neminem publice petentem, etsi falsum pauperem, excludat, tum ad gravia incommoda evitanda, tum quia talis praesumitur mens Benefactoris.

III. *Quomodo se gerere debeat Parochus cum foeminis perditae vitae.* — Parochus nunquam eleemosynam elargiatur foeminae quae notoriam et scelestem vitam obstinate ducit. Et si qua ex ipsis foeminis aliquando fame vere laborat, miserias vitae ipsam experiri permittat, ut, in se forte reversa, ad coelestem Patrem redeat; secus, si Parocus ipsi subvenit, in vitio insordescet.

Quod si ipsam sincere malae vitae poeniteat, et veram conversionem spopondeat, tunc, ut ovis quae perierat, misericorditer accipienda est et coadjuvanda, ut citius e coeno vitiorum exurgat. Dixi: *si sincere*, quia saepius hae perversae mulieres, vere hypocritae, unice ad subsidia extorquenda conversionem simulant. Quapropter Parochus caute procedat et prudenter animum ejus exploret. Non sufficiat ipsi quod talis mulier sacro intersit, et ad tribunal Poenitentiae accedat, plures enim mulierculae hoc libenter et apposite faciunt ad bonam alterius fidem illudendam, quin tamen a mala vita cessare cogitent. Ad cognoscendam sinceritatem animi ei proponat ut se recipiat in aliquem pium recessum, vel in aliquem locum ab omni periculo securum. Si mulier vere poenitens est, libenter salutari propositioni adhaerebit; si autem difficultates et praetextus objicit, Parochus prudenter dubitet de ejus sinceritate, et eo magis si mulier aetate nondum provecta est, et aliqua pulcritudine donata; in hisce enim circumstantiis nimis difficile est, et fere impossibile ut, inter tot tentationes quas a diabolo et a pessimis hominibus sustinere deberet, et inter tot pericula sive aetatis, sive paupertatis, sive pravi habitus, piam et honestam ducat vitam. Unde, si piis Parochi consiliis acquiescere nolit, prudens dubium ingerit simulatae conversionis.

Ponamus nunc quod aditus ad pium recessum hic et nunc non pateat; vel quod mulier protestetur se quidem sincere vitam mutare velle, animum vero sibi nondum suppetere ad se recipiendam in pium secessum, Parochus debet ne infelicem in aerumnis deserere? num quis hoc dixerit? Sed prudens Parochus ad haec attendat: si ipsa subsidia postulet quin rationem reddere velit de modo et mediis quibus honeste vivere asserit, Parochus ejus verbis non credat, nec eleemosynam inscienter projiciat. E contra si ipsa parata sit rationem reddere sive de modo, sive de mediis quibus honeste vivere intendit, tunc Parochus ad experimentum opportune succurrat, ab ipsa tamen quasdam cautelas exigendo ut in suo bono proposito perseverare possit, v. g. si cum pessimis foeminis, vel sub eodem tecto cohabitet, statim ab illis abscedat, et in aliam domum se conferat; si qua pia mulier illam in domo sua recipere parata sit, illic ire non recuset; interim penitus a tabernis et ab omni loco aut conventu periculoso se retrahat; ecclesiam, praedicationem verbi Dei et Sacramenta frequentet. Certe si mulier haec omnia media fideliter et constanter adhibet, a mala sua vita se emendabit, nam *facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam.*

Usquemodo de personis perditae vitae, quae nempe de peccato vivunt, locuti sumus. Adsunt vero plures alii peccatores, qui in peccato quidem vivunt, sed non de peccato, uti v. g. qu praeceptum paschale omittunt, qui die festo Sacro non intersunt, qui blasphemant, etc. Hisce peccatoribus, si vere paupers sint, Parochus eleemosynam non deneget, sive quia caritas id postulat quum

omnia sunt communia.—In necessitate vero *communi,* vel *gravi* non licet eam facere ex bonis alienis, nisi cum consensu domini expresso, vel saltem tacito, seu rationabiliter praesumpto.—*Item,* non est

in necessitate versentur, sive quia hoc modo una cum eleemosyna temporali eleemosynam spiritualem, nempe opportunam correctionem facilius praestabit; secus in ipsum ira escandescunt, et in suis vitiis tabescunt. Experientia autem docet quod hi pauperes, quibus Parochus cum caritate et benignitate in subsidium venit, vel peccatum deserunt, vel ulterius non audent ab ipso eleemosynam petere.

Demum si quis odio tabesceret contra Parochum, et ipse non solum veniam, sed insuper eleemosynam et subsidium illi in necessitate ex corde praeberet, certissime et odium ex corde ejus auferret, et eum erga se benevolum redderet.

IV. *Quomodo se gerere debet Parochus cum veris pauperibus.*—Oportet ut Parochus juxta exemplum J. C. sit *Pater pauperum;* unde viscera misericordiae erga ipsos induere debet. Eleemosynam elargiatur cum caritate et suavitate, temporali spiritualem conjungendo, addendo nempe monita salutis, et pias exhortationes ad pietatem et virtutem. Eheu! quidam Parochi eleemosynam elargiuntur vultu tristi, rusticitate et duritia, et quandoque etiam cum verbis contumeliosis, ita ut ipsam eleemosynam molestam eis reddant. Non ita certe se gerunt boni Parochi; isti eleemosynam elargiuntur vultu hilari, et tali benignitate ut ipsa eleemosyna gratior et dulcior evadat; quod si ipsam elargiri nequeunt, poenam demonstrant, denegationem talibus verbis benevolis comitantur, ut pauperes cum patientia denegationem patiantur, et ejus bonitate aeque contenti, in pace recedant.

Quoad quantitatem eleemosynae, verborum Tobiae Parochus recordetur: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude* (Cap. IV, 9).

Quoad *bona beneficii superflua,* certum est quod Parochus tenetur sub mortali redditus suae honestae sustentationi superfluos elargiri in pauperes, vel in usus pios, si non adsint pauperes in gravi necessitate constituti, quia si adsint tunc, quum urgeat praeceptum naturale caritatis, ipsis succurrere tenetur.—Quoad *bona patrimonialia,* Parochus, si ejus parentes in necessitate versantur, ipsis ea relinquere potest; si vero non sunt in necessitate, et tamen omnia bona patrimonialia ipsis relinqueret, nemo illum commendaret; unde boni Parochi vel totum, vel magnam saltem partem ex propriis bonis in opera pia disponunt.

Quando vero ipsemet Parochus pauper est, nec habet unde aliis tribuere possit, a divitibus et caritate fervidis eleemosynas et subsidia humaniter pro pauperibus petere non erubescat. Talis petitio et pauperibus utilis, et Parocho laudabilis, et ipsis Benefactoribus grata evadit, modo moderata et prudens sit; nam si immoderata et inopportuna, tunc suspicionem ingerit quod ipse non tam pro caritate erga pauperes petat, quam pro propria commoditate, et pro quadam humana gloriola abundantiores eleemosynas elargiendi.

V. *Quosnam pauperes Parochus praeferre debeat.*— Quum caritas ordinata sit oporteat, Parochus in eleemosynis elargiendis, in aequali necessitate, pauperes probos malis praeferre debet, et inter ipsos probos meliores et eleemosyna digniores. Duas tamen cautelas in hoc prudenter adhibeat; quarum prior est ut haec praelatio quorumdam pauperum omnino secreta remaneat, secus invidiam et odiosas querimonias susciaret; altera ut attente pervigilet ne pauperes ad eleemosynas abundantius obtinendas religionem et devotionem simulent: plures enim pauperes, mulieres praesertim, ut Parochum sibi benevolum reddant, hypocrite pietatem fingunt, et Ecclesiam imo et Sacramenta etsi indispositae frequentant; quas idcirco deprehendere et detegere multum interest.

Ad eorum fallacias vitandas plurimum proderit poenitentes, si quando in tribunali poenitentiae eleemosynas peterent, redarguere, eosque monere se nullam in tali tribunali petitionem audire de rebus temporalibus; de hisce extra tribunal poenitens loquatur, et in hac determinatione Parochus et Confessarius sit fortis et constans, secus plura et gravia incommoda evenirent. Et etiam in casu quo aliqua necessitas relationem cum conscientia habeat, v. g. si mater,

facienda ex bonis injuste acquisitis, haec enim non sunt propria, sed domino reddenda sunt, nisi talis restitutio justis de causis fieri non possit. Nec est facienda ab eo qui aere alieno gravatus sit; prius enim solvenda sunt debita justitiae, dein debita caritatis.

440.—*Q.* Quinam eleemosynam facere possunt?

R. Eleemosynam facere possunt qui liberam habent bonorum administrationem, vel habent domini consensum saltem rationabiliter praesumptum. — Hinc:

Uxores possunt eleemosynam facere juxta consuetudinem aliarum mulierum ejusdem loci et conditionis, ex praesumpto maritorum consensu vel ex consuetudine.

Filii et *famuli* non possunt dare eleemosynam nisi tenuem, in qua voluntas parentum et dominorum praesumitur.

Tutores possunt facere modicas eleemosynas ex bonis quae administrant, quales facere deberent ipsi ad quos pertinent [1].

441.—*Q.* Satisfacit ne obligationi eleemosynae qui pauperi mutuum dat sub pacto restitutionis?

R. Si proximus in necessitate extrema positus, est absolute pauper, et bona non habet nec in re, nec in spe, tunc non satisfacit obligationi eleemosynae mutuum dans sub pacto restitutionis, sed tenetur ipsi succurrere omnino gratis.

Si vero bona habet in re, vel in spe, tunc satisfacit, quia in hoc casu pauper ille non est absolute talis, nec posset rem alienam absolute surripere et suam facere [2].

CAPUT IV.

De vitiis caritati oppositis, seu de odio, imprecatione, vindicta, scandalo, et de cooperatione ad peccatum.

ART. I.

De Odio et Imprecatione.

442.—*Q.* Quid est odium, et quodnam peccatum est?

ne filii masculi cum foeminis in eodem lectulo dormiant, eleemosynam petat ad alium lectum emendum, Parochus ipsam admonebit ut de hoc negotio extra tribunal poenitentiae colloquatur.

Hic vero abs re non erit novos Parochos et Confessarios admonere quosdam adesse hypocritas per civitates et oppida circumvagantes, qui cum lacrymis asserunt se versari in extrema et urgenti necessitate specialis et copiosi subsidii, ne v. g. ob debita quae solvere nequeunt in manus justitiae incidant, et in carcerem injiciantur, vel ne a domo ubi habitant expellantur, ita ut etiam de suicidio tentati sint, etc. Caveat Confessarius et Parochus ne horum verbis credat. De hoc negotio extra tribunal poenitentiae tantum loqui permittat. Interim ab ipsis petat nomen, cognomen, conditionem, ubi habitent etc., postea ipsos admoneat quod per prudentes personas, adhibita opportuna inquisitione, an vera sint exposita certiorem se reddere vult; unde post unam vel alteram diem redeant, et tunc, veritate cognita, pro viribus eos sublevare curabit. Quot hypocritae hoc modo detecti non amplius redire ausi sunt!— Ceterum, inter veros pauperes in gravi necessitate praeferendi sunt orphani, viduae, senes, et infirmi. Parochus curet ut pauperes infirmi in nosocomium recipiantur, ubi una cum subsidiis temporalibus etiam spiritualia habebunt. Quod si infirmus pauper in nosocomium se recipere nolit, non ideo Parochus ipsum deserat, sed humaniter visitet, et pro opportunitate in temporalibus, et eo magis in spiritualibus adjuvet, quia isti ut plurimum in maxima ignorantia et negligentia rerum spiritualium vivunt. Cf. Frassinetti: *Il Parroco Novello.*

[1] S. Alph., L. II, 33.

[2] S. Alph., L. III, 520.

R. Odium definitur: *Actus voluntatis objectum aliquod adversantis* [1]. Duplex distinguitur ; unum *abominationis,* quo aversamur personae qualitates quatenus sunt vel malae in se, vel malae nobis aut aliis; alterum *inimicitiae,* quo personam ipsam aversamur, et ei malum, quatenus ei malum est, optamus [2].

I. Odium *abominationis* bonum esse potest vel malum, prout qualitas quae abominatur mala est, vel bona.

II. Odium *inimicitiae* est peccatum grave ex genere suo ; attamen veniale fieri potest non solum ex imperfectione actus, sed etiam ex parvitate materiae, ut si quis leviter aversetur personam, quin debita caritatis opera neget.

443. — *Q.* Quid est imprecatio, et quale peccatum est?

R. Imprecatio, seu maledictio, prout hic sumitur, est *Dictum quo alicui malum sub ratione mali exoptatur.* Alia est *formalis* si ex corde, alia *materialis* si ore tantum proferatur.

Formalis ex genere suo est mortalis, sed requiritur : 1° materia gravis, seu malum grave ; 2° perfecta deliberatio [3].

Materialis ex genere suo est venialis, sed gravi fieri potest : 1° ratione scandali; 2° ratione injuriae vel contumeliae.

Sibimetipsi vero, vel alteri materialiter imprecari quod arripiatur a daemone, alii volunt esse veniale, sed alii mortale. — At deliberate vovere se daemoni, licet non sit ex corde, probabiliter est grave ob rei perversitatem et horrorem [4].

444. — *Q.* Quibusnam indiciis cognosci potest utrum maledictio sit formalis an materialis?

R. Observant Th. quod si post maledictionem statim quis se doleat, non est sufficiens indicium quod ex corde non maledixerit. Ergo ad cognoscendum an maledictio sit formalis necne, observandum erit : — 1° utrum persona sit amica, an inimica [5]; 2° utrum quis solitus sit absque deliberatione maledicere, ut plerumque ex subito aliquo motu faciunt mulierculae, rustici etc., an cum deliberatione ; 3° ex qua causa, scilicet utrum ex odio, an ex subito aliquo motu : in primo casu judicatur formalis, in secundo casu materialis.

445. — *Q.* Est ne peccatum

[1] *In praxi,* plures, rudes praesertim, putant se odium contra aliquem habere, quia contra ipsum in corde sentiunt, saepe autem etiam involuntarie, aversionem, antipathiam, aut displicentiam. Confessarius hos poenitentes instruat, ne erronee peccent, eosque doceat illam aversionem, antipathiam, aut displicentiam esse tantum motus appetitus sensitivi, quos quisque persentit, sed non semper impedire potest ; esse autem odium quando quis alteri malum deliberate optat. Proindeque curet ut ejusmodi poenitentes debita caritatis signa et officia illi personae praebeant, pro ipsa exorent, etc.; et si hoc faciunt, illos contrarios motus contemnant. *Scavini,* II, 889, 5.

[2] Aliud est proximo *optare* malum casu vel ab alio inferendum; aliud proximo *velle* malum inferre. Primum peccatum est contra caritatem ; alterum contra justitiam. Hinc quodvis malum alteri *optes*, v. g. mortem, infamiam, jacturam bonorum, ejusdem speciei peccatum est; at si id inferre *velis*, speciem mutat, et numerum auget. *D' Annibale,* II, 86, (1).

[3] Maledictio est tanto gravior, quanto personam cui maledicimus, magis amare et revereri tenemur. S. Th., 2.ª 2.ae, q. 76, a. 3.

[4] S. Alph., L. III, 131

[5] *D' Annibale,* II, 86, (5).

et quale maledicere creaturis irrationalibus ?

R. Si creaturae maledicuntur ut sunt creaturae Dei et ab ipso proveniunt et reguntur, tunc maledictio erit blasphemia, ut infra dicetur.—Quod si maledicuntur quatenus ad hominem pertinent et in odium ipsius, maledictio est peccatum mortale contra caritatem, modo aliae conditiones concurrant. —Si vero maledicuntur qua enus sunt causa vel occasio mali, nullum erit peccatum, vel nonnisi leve si absque causa et ex impatientia proferatur maledictio [1].

446. — *Q.* Quid de odio, et maledictione aperiendum est in confessione ?

R. Posita culpa gravi, poenitens tenetur in confessione aperire: — 1° Si *sibi* aut *aliis* maledixerit, et si cum *scandalo* vel non. Quod si aliis maledixerit tenetur aperire *qualitatem* personae quam odivit, vel cui maledixit, si haec qualitas personae peccati speciem addat, ut si esset pater.—2° *Numerum* malorum quae optavit; si ea apprehendit sub uno genere mali, ut ordinarie evenit, probabilius sufficit ut dicat: *optavi grave malum proximo* [2].—3° An vero, cum quis uno actu pluribus imprecatur, confitendus sit *numerus* personarum, disput. Th. S. Alph. affirmat, quia tot sunt peccata quot personae ; sed plures alii negant pro *numero* multiplicari peccata ; unde prima sententia licet probabilis vel etiam probabilior, certam tamen non potest inducere obligationem. (V. dicta n. 241).

447.—*Q.* Quid de illis mulieribus quae in familiis mutuo se se verbis injuriosis offendunt, et sic in continua discordia vivunt?

R. Istae mutuae offensae quamvis in se essent leves , magnum pondus habere possunt propter consequentias ; possunt enim: 1° gignere et fovere graves malevolentias internas, et forte etiam odium habituale producere, et sic vinculum caritatis omnino obrumpere; 2° pacem familiae graviter turbare, occasionem blasphemiarum maritis praebere, et forte etiam scandalum grave filiis dare. Unde illa speciatim quae discordiae causa potior est, gravem reatum contrahere potest propter ipsam turbationem quam alteri mulieri praebet; turbatio enim continua quid valde molestum esse solet.—*In praxi* tamen, ex hoc ultimo capite, ut plurimum foeminae gravem reatum non contrahunt, quia illum non advertunt.

Si autem ex una parte odium grave non adsit, aut omnino deponatur ; et ex altera parte pax aliorum graviter non turbetur, tunc peccatum mortale minime aderit [3].

ART. II.

De Vindicta.

448. — *Q.* Quid est vindicta, et quandonam licita vel illicita ?

R. Vindicta est *specialis inclinatio naturae ad removenda nocumenta... ;* repellit autem homo nocumenta per hoc quod se defendit contra injurias, ne ei inferantur, vel jam illatas ulciscitur non intentione nocendi, sed intentione removendi nocumenta [4].

[1] S. Alph., L. III, 129.
[2] S. Alph. Hom. Ap. T. III, 65.
[3] *Berardi*, n. 193, h. III.
[4] S. Th. 2.ª 2.ªe, q. CVIII, a. 2.

Vindicta ergo est naturalis *passio* animi, ideoque est licita et virtuosa semper ac tendit ad justam cohibitionem malorum.

E contra mala est et illicita:— 1° Si fiat *ex causa turpi* aut *irrationabili*, v. g. ex *invidia*, prout fecit Cain contra Abelem innocentem; aut ex *impatientia*, *taedio et ira*, prout faciunt illi qui propriis conjunctis querulis, fastidiosis, infirmis, etc., mortem exoptant. — 2° Si fiat *ex odio*, vel *ex pravo fine*, nempe non cum intentione removendi nocumenta, vel obtinendi jurium propriorum reparationem et tuitionem, sed cum intentione nocendi, se delectando de poena proximi. — 3° Si fiat cum *excessu in puniendo*, vel cum crudelitate ; si nempe proportio non adsit inter injuriam acceptam, et punitionem illatam; si signa indignationis nimis diu quis protrahat; vel in objurgationibus, in verberibus, aliisque factis rationem vindictae habentibus nimis excedat ; vel gravissima mala ex corde quis imprecetur [1].

Art. III.

De Scandalo.

449. — *Q.* Quid est scandalum ?

R. Scandalum definitur a S. Th.: *Dictum vel factum minus rectum praebens alteri occasionem ruinae spiritualis.* Dicitur: 1° *dictum vel factum*, quibus verbis intelliguntur non solum verba, sed etiam scripta, v. g. propositiones et doctrinae quas Ecclesia velut scandalosas damnat ; pravi libri, et omnis actio, vel etiam omissio; 2° *minus rectum*, idest vel *in se* malum, ut si loquaris turpia coram adolescente, vel habens *speciem* mali, ut si justa de causa, coram aliis eam ignorantibus, carnes die vetito comedas; 3° *praebens alteri occasionem* etc., etiam venialem, et etiam ma erialiter tantum.

Quare ad rationem scandali non requiritur ut reapse ruina sequatur, sed sufficit ut praebeatur occasio peccandi. Attamen requiritur ut, attentis circumstantiis tam agentis quam eorum coram quibus fit actus, possit probabiliter timeri ne per hunc actum trahantur ad peccatum, qui alias peccaturi non essent; unde non esset peccatum scandali si dictum vel factum minus rectum fiat coram iis quos quis praevidet scandalum non esse passuros, uti esset vir prudens et virtute firmus [2].

450. — *Q.* Quomodo dividitur scandalum ?

R. Scandalum considerari potest *in agente*, nempe in eo qui occasionem ruinae alteri praebet, et dicitur *activum*, seu *datum* ; vel *in suo effectu*, nempe in eo cui occasio ruinae praebetur, et dicitur *passivum* seu *acceptum*.

Scandalum *actirum* aliud est directum, aliud indirectum.—Dicitur *directum* cum quis expresse intendit proximum ad peccatum inducere; quod si expresse ruinam spiritualem proximi seu perditionem animae intendit, tunc dicitur *diabolicum*, quia hoc proprium daemonis e t. — *Indirectum* vero est cum quis aliquod verbum profert, vel aliquid minus rectum facit, quod praevidet saltem in confuso aptum ad inducendum alium in peccatum ; unde recidit in volun-

[1] *Cl. Berardi*, Praxis, 195.

[2] S. Alph., L. II, 43.

tarium in causa : ideoque, ut imputari possit, necesse est ut praevisum fuerit saltem in confuso; ut evitari debuerit et potuerit.

Scandalum *passivum* est ipsa ruina seu peccatum, in quod quis labitur ex occasione alterius dicti vel facti, et duplex etiam est:— Unum dicitur *pusillorum*, et provenit ex infirmitate, vel ignorantia illorum qui ob dictum aut factum alterius se ad peccatum induci sinunt. — Alterum quod dicitur *pharisaicum*, et provenit non ex facto aut dicto alterius, sed ex mera malitia sumentis scandalum; tale erat scandalum pharisaeorum qui ex sanctissimis factis aut verbis Christi scandalum seu occasionem peccandi sumebant [1].

451. — *R.* Scandalum activum quale peccatum est?

R. Scandalum activum, sive directum sive indirectum, est peccatum contra caritatem ex genere suo mortale; - ratio quia graviter laedit praeceptum caritatis erga proximum. Quare Christus in Evangelio ait : *Vae homini illi, per quem scandalum venit* [2].

Actus tamen, qui secundum se est mortaliter malus, est solum peccatum leve in ratione scandali si leviter tantum influit in grave peccatum proximi ; vel si deest sufficiens advertentia ad scandalum; vel si leve est peccatum cui occasionem praebet. — E contra actus in se levis potest esse peccatum grave in ratione scandali, quia gravitas scandali mensuratur ex gravitate peccati cui occasio praebetur et ex influxu quem actio exercet in proximi ruinam [3].

Hinc graviter peccant scandali foeminae quae pectore immoderate denudato se ostendunt, valde enim ad libidinem provocant. Quod si denudatio non est immoderata, et alicubi adesset consuetudo ut mulieres sic incederent, talis consuetudo esset quidem exprobranda, sed non omnino damnanda de mortali; quia consuetudo sic incedendi vim concupiscentiae minuit, et efficit ut incessus non praebeat gravem occasionem peccandi. At ubi non adest talis consuetudo, graviter peccant qui eam introducunt. Ceterum oportet ut prudens confessarius cum magna discretione utatur hac doctrina, ne indulgeat nimiae mulierum licentiae, quae libidinem involvit, quum piae mulieres non sic incedant. — *Item* graviter peccant scandali qui elucubrant, aut agunt comoedias notabiliter obscoenas. — *Item* dicendum de pictoribus qui pingunt aut in publico exponunt imagines graviter turpes [4].

452. — *Q.* Scandalum est ne peccatum etiam contra virtutem cujus violationis occasionem praebet?

R. Distinguo : Scandalum *directum* duplicem habet malitiam specie diversam : unam contra caritatem proximi, quem periculo peccandi exponit; alteram contra

[1] S. Alph., L. II, 43 ; Hom. Ap. T. IV, 23.

[2] Matt., XVIII, 7.

[3] S. Alph., L. II, 44. — Attamen nonnisi leviter peccare videntur qui, sine prava intentione, occasionem valde levem praebent iis qui facillime in peccata etiam gravia labuntur, e. g. filii qui praevident e levi sua inobedientia parentes in blasphemias, pro inolita consuetudine, erupturos esse. Etenim hujusmodi peccata fere unice e malitia proximi oriuntur; qui si una occasio subtrahitur, aliam facillime reperiet, ac proinde modicum detrimentum ab hujusmodi scandalo patitur. *Berardi, Praxis*, 591.

[4] S. Alph. Hom. Ap. T. IV, 29.

virtutem cujus violationis occasionem praebet. Ita Th. communiter.

Scandalum vero *indirectum* est etiam speciale peccatum contra caritatem, etsi detur per opus indifferens.

An vero specialem malitiam contrahat etiam contra virtutem cujus violationis occasionem praebet, disput. Th.: Plures cum S. Alph. et S. Th. affirmant, quia quaelibet virtus non solum contrarios prohibet actus, sed etiam prohibet quominus detur aliis occasio inductiva ad ipsam violandam [1]. Plures vero cum Gury, d'Annibale, etc. negant, quia si tu eo facto abstinere debes propter alium, ideo debes, quia teneris impedire peccata proximi tui, sed hoc est solius caritatis ; unde juxta istos sufficit in confessione exprimere generatim peccatum scandali, nec est necesse speciem peccati innuere ad quod alii *indirecte* fuerint inducti [2].

453. — *Q.* Quaenam debent in confessione aperiri quoad scandalum ?

R. Qui scandalum dedit tenetur aperire: —1° Peccatum scandali, imo et speciem peccati, si scandalum fuit directum; si autem fuit indirectum disput. Th. — 2° Conditionem sui ipsius , si haec conditio inducere potuit diversam malitiam, ut si esset pater, parochus; et conditionem scandalizati, si scandalum fuit directum et illius conditio specialem deformitatem inducat, v. g. si sit persona conjugata, aut voto castitatis ligata. — 3° Si invitum ad peccatum induxerit, seu per vim, dolum, etc., quia tunc etiam justitiam violavit. — 4° Demum damna secuta et praevisa.

An vero confiteri debeat numerum personarum quibus scandalum dedit, disput. Th. Communiter affirmant, sed alii graves auctores negant, inter quos De Lugo qui ait: mihi probabilius est non debere explicari [3].

454. — *Q.* Circumstantia inductionis ad peccatum est ne in confessione explicanda ?

R. Disput. Th. — *Prima* sententia affirmat, nam haec circumstantia est peccatum distinctum a peccato ad quod proximus inducitur. — *Secunda* tamen sententia negat hanc circumstantiam esse peccatum distinctum, et tenet quod circumstantia inductionis, nempe quisnam primus fuerit ad tentandum, est solum circumstantia aggravans intra eamdem speciem, ideoque non necessario in confessione explicanda. Quare, in peccatis quae ex se complicitatem requirunt, peccatum scandali sufficienter accusat qui confitetur speciem peccati, v. g. fornicationem, adulterium, incestum, etc.; excipe semper, ut dictum fuit, nisi invitus fuerit ad peccatum inductus vel per vim, vel per preces importunas quae vi aequiparantur [4].

455. — *Q.* Est ne peccatum scandali petere aliquid ab eo qui jam paratus est illud praestare cum peccato ?

R. Si res petita est *intrinsece mala*, ita ut nullo modo praestari possit sine peccato, prout esset petere fornicationem a meretrice parata, disput. Th. an sit peccatum scandali illam petere.

[1] S. Alph., L. II, 45.
[2] *Gury*, I, 236 ; *D' Annibale*, II, 90.
[3] De Poenit. Disp. XVI, n. 135.
[4] S. Alph., L. II, 46. *D' Annibale*, II, 88, (4).

Prima sententia tenet non esse peccatum scandali, quia cum talis mulier sit semper in actuali vel virtuali voluntate peccandi, non censetur graviter sed leviter cooperari qui occasionem ei praebet peccatum illud exequendi. *Secunda* tamen sententia, cui adhaeret S. Alph., censet esse peccatum scandali, quia licet meretrix sit in virtuali vel etiam in actuali voluntate peccandi, certo tamen sibi infert ruinam longe majorem opere complendo illud particulare fornicationis peccatum.

Si vero res petita est *indifferens,* quae bene praestari potest sine alterius peccato, ut esset petere mutuum ab usurario, juramentum a falsum juraturo, sacramentum a sacerdote peccatore et similia, tunc distinguendum est.— Si adsit justa et proportionata causa illam rem indifferentem petendi nullum peccatum est, quia caritas non obligat ad impediendum malum proximi cum gravi nostro incommodo.—Si vero desit justa et proportionata causa, tunc disput. Th. *Prima* sententia tenet non esse peccatum mortale illam rem indifferentem petere. *Secunda* sententia tamen cum S. Alph. [1] censet esse peccatum mortale tum contra caritatem, quia est causa moralis ut proximus patiatur grave damnum spirituale, tum contra virtutem ad quam laedendam moraliter inducit proximum, quia quaevis virtus vetat ne aliis sine juxta causa occasio praebeatur ipsam violandi.

456. — *Q.* Licet ne suadere minus malum ut majus vitetur?

R. Disput. Th. Alii negant, quia comparativum non tollit positivum, unde qui suadet minus malum vere malum suadet. Alii affirmant si minus malum sit virtualiter inclusum in illo majori malo, nempe in illa specie. Alii vero cum S. Alph. affirmant etiamsi electio minoris mali sit alterius speciei, sed ad hoc S. Alph. duas conditiones requirit: 1° ut proximus firmus sit in suo proposito majus malum exequendi; 2° ut paratus sit ad illud malum faciendum erga eamdem *determinatam* personam; nam si agatur de *diversa* persona, tunc S. Alph. contra paucos dicit quod non liceret volenti facere malum Cajo, suadere ut faciat Titio, etsi minus; quia in hoc casu suadens esset causa directa et efficax damni Titii [2].

457. — *Q.* Licet ne occasionem, de se non malam, peccandi 1° permittere; vel 2° praebere?

R. Ad 1um: Disput. Th. Alii negant, quia hoc esset alium inducere in tentationem. Alii vero sat probabiliter licere affirmant si adsit justa causa, quia permittere non est inducere ad peccatum. Sic custodibus licet se abscondere ut fures deprehendant. Sic licet quandoque pecuniam ab usurario petere, vel Sacramenta a malo sacerdote. Sic etiam licet domino aut parenti occasionem furandi servis aut filiis non auferre, qui jam parati sunt ad furandum, ut in delicto comprehensi, melius emendari possint.

Ad 2um: Disput. etiam Th., sed multi affirmant posse justa de causa offerri occasionem peccandi, quod confirmari potest exemplo Judith, quae vix aliter videtur fecisse. Cum enim sciret permissionem libidinis

[1] S. Alph., L. II, 47.

[2] S. Alph., L. II, 57.

in Holoferne fore impeditivam malorum, posuit ei occasionem, nempe ornatum suum, alioquin licitum; et tamen communiter censetur in hoc non peccasse [1].

458. — *Q.* Licet ne ficte alium sollicitare ad peccatum, sola probationis causa?

R. Negative; quia sollicitatio ad actum intrinsece malum ex sua natura mala est; nec fictio excusat a peccato, quia etsi sollicitans animum non habeat peccandi, hanc tamen intentionem exterius ostendit, et ad actualem consensum in peccatum alium incitat; quod culpa carere non potest, et quidem gravi si materia gravis est.

459. — *Q.* Quaenam opera omittenda sunt ad scandalum vitandum?

R. Ad scandalum vitandum:

1. Nunquam sunt omittenda quae sunt necessaria *necessitate medii* ad salutem; - ratio, quia non licet pro bono proximi animam nostram periculo salutis exponere [2].

2. Actiones *bonæ*, licet *solius consilii*, omittendae non sunt propter scandalum *pharisaicum*, excepto casu quod longe majus sit malum scandali quod timetur, quam bonum quod omittitur. — Omittendae vero vel intermittendae sunt ad evitandum grave scandalum *pusillorum*, donec, reddita ratione cur sic agatur, scandalum cesset, modo non adsit grave incommodum. Imo ad vitandum grave scandalum *pusillorum*, probabilius, omittenda sunt quaedam praecepta positiva, nisi tamen omissio esset magis damnosa omittenti; - ratio, quia concurrente duplici praecepto, scilicet naturali de vitando scandalo et positivo, majus et fortius est praeceptum naturale. — Hinc, v. g. mulier, quae scit se ab alio turpiter amari, probabilius tenetur una vel altera vice a missa die festo se abstinere, ne ille occasionem peccandi accipiat. Idem dic de uxore, cujus conjux inde blasphemandi occasionem sumeret. Dixi *una vel altera vice*, quia si crebrius, onus nimis grave illi foret [3].

3. Actiones *indifferentes* omittendae sunt ad vitandum scandalum sive pusillorum sive pharisaicum, modo non adsit grave incommodum. — Hinc, mulier vel puella non tenetur sua libertate se privare, et a decenti ornatu, vel a publica deambulatione se abstinere ob scandalum alicujus viri indeterminati, quia hoc nimis grave illi foret. Si vero scit se ab aliquo viro determinato turpiter concupisci, tenetur, si commode potest, ejus aspectum declinare, per aliam viam progredi, a fenestra se abstinere et similia: hoc tamen *non multoties*, quia tunc adesset grave incommodum, sed tantum *pro una vel altera vice*, donec alter advertere possit se fugi ab illa. — E contra a mortali excusari non posset mulier quae, vanitate ducta, etsi scandalum alicujus viri non intendat, data opera ejus aspectui se offerret. Idem dic de puella quae locum petit, quem non adiret nisi sciret ibi amasium adesse [4].

460. — *Q.* Ad vitandum scandalum sunt ne dimittenda bona temporalia?

[1] S. Alph., L. II, 58.

[2] Evidens est quod nunquam licet ponere actionem *ex se* seu *intrinsece* malam ad vitandum scandalum; quia non sunt facienda mala ut veniant bona.

[3] S. Alph. L. II, 50, 51.

[4] S. Alph., L. II, 53.

R. Disting.: Bona temporalia non sunt dimittenda ad vitandum scandalum *pharisaicum,* secus impiis daretur occasio mala agendi, quod esset in damnum boni publici. Hinc, v. g. non teneris eleemosynam pauperi dare, nec solvere plus aequo alicui operario, qui ad illud injuste obtinendum in blasphemias irrumpit; tunc enim, non a te, sed ex sua improbitate causam caperet blasphemandi.

Ad vitandum tamen scandalum *pusillorum* non adest obligatio dimittendi bona temporalia si sunt gravis momenti, quia caritas erga proximum non obligat cum gravi incommodo; bene vero si sunt parvi momenti, et tunc dimittenda sunt tantum una vel altera vice[1].

[1] *Cl. Berardi* circa modum quo Parochus se gerere debet ad scandala impedienda vel e medio tollenda, haec habet: In primis distinguendum est inter scandala occulta et manifesta.

Quid itaque si scandala sint occulta? Praeter correptionem (quae forte fieri possit scandaloso) et orationem, valde difficile erit quod Parochus ad quidquam aliud teneatur. Scit, v. g., non esse fidendum quoad morum honestatem de tali medico, de tali hero, de tali paedagogo, de tali socio vel socia, de tali persona quae in domum introducitur, de tali officina, de tali schola, de tali confessario, etc.; sed, donec res sunt prorsus occultae, forsan erit necessarium ut ipse Parochus interrogatus respondeat quidem: *informationem cape ab aliis;* et etiam ut aliquid dicat de cautelis generatim adhibendis, quando quidem hodie nemini fidendum est, maxime vero ut sub aliquo praetextu ovem suam a lupo avertat; non vero ut secretas quas ipse habet notitias (nisi forte personae valde prudenti) manifestet, aut suspectus particulares positive ingerat; secus enim querelis innumeris se exponeret, plurimisque personis et familiis se invisum redderet, et sic majora mala (et quidem saepissime sine ullo fructu) provocaret. Si tamen in occulto aliquod malum magnum et extraordinarium, v. g. efformationem impiae sectae (in paroecia bona), aliqui machinarentur, tunc Parochus de impedimento opponendo, meliori quo potest modo, cogitare deberet.

Quid si scandala dentur a multis? Tunc Parochus illa corripere debebit in concione, et plerumque ad aliud non tenebitur. Exemplum habes si in paroecia plurimi blasphement; vel turpibus indulgeant; vel diebus festis laborent; vel contra fidem et religionem loquantur; vel libros prohibitos aut folia impia legant; vel extra ecclesiam maneant dum concio habetur, etc. Idem dic si in paroecia foeminarum immodestia et procacitas valde communis esset, etc. Si tamen ageretur de magna offensione publici pudoris (prout contingere potest in baineis, quae corpore nudo fiant in locis frequentatis), tunc per recursum ad publicas auctoritates facile et efficax remedium haberi posset; et eo casu Parochus sive per se, sive (quod forte melius erit) per personas laicas, ad hoc teneretur.

Quid de choreis, serotinis conversationibus, larvis, theatro etc.? Etsi qui res hujusmodi tolerant aut promovent de peccato forte incusari nequeant, nec omnes qui ad res hujusmodi concurrunt culpis inquinentur; tamen certum est quod peccata plurima exinde profluunt; et proinde Parochi (ut in Ecclesia semper servatum est) congruis instructionibus atque exhortationibus ad populum directis (sed non facile privatis correptionibus) satagere debet, ut oves propriae hujusmodi pericula serio animadvertant atque evitent, et multo magis ut patresfamilias in propriis domibus haec non admittant.

Quid si scandala manifesta dentur a paucis? Tunc est iterum distinguendum. Aliquando enim scandalum datur a paucis simulque extenditur ad paucos, ut puta, si intra aliquam domum statuae vel imagines obscoenae expositae retinerentur. In tali casu privata admonitione, subsistente spe fructus, utendum esset. Interdum vero scandalum datur quidem a paucis, sed extenditur ad multos; et tunc opus erit ut parochiani in publicis concionibus praemuniantur. Hoc tamen cum debita prudentia et discretione fieri debebit, ne forte scandala majora provocentur. An autem, praeter concionem, adhiberi debeant quoque privatae admonitiones erga eos qui scandali causa sunt, solutio pendet a circumstantiis. *De Parocho,* 597.

Art. IV.

De cooperatione ad peccatum

§. 1°

De cooperatione in genere

461. — *Q.* Quid est cooperatio, et quomodo dividitur?

R. Cooperatio generatim sumpta est *Concursus cum alio principaliter agente*[1]. — Prout vero a nobis accipitur est *Participatio ad malam actionem alterius.* Duplici autem modo potest quis malae alterius actioni cooperari: 1° alium *inducendo* ad malam actionem, qui modus *scandalum* proprie dicitur; 2° alteri *auxilium praebendo*, quo suam malam actionem perficere valeat, qui modus *cooperatio* proprie appellatur.

Cooperatio praecipue dividitur in formalem et materialem.—Cooperatio *formalis* est quando quis ad malam proximi voluntatem, et ad malam ejus actionem directe, uti complex, opere externo concurrit cum cognitione et intentione illius malae actionis.—Cooperatio *materialis* vero est quando quis ad malam alterius actionem opere externo tantum concurrit sine cognitione, vel sine intentione cooperandi ad alterius peccatum[2].

Sic v. g. haereticum adjuvare ut suam haeresim propugnet; terga servare latroni, ut securius furetur, aut occidat; scribere litteras amatorias vice concubinarii; accipere dona ab eo qui tuae honestati insidiaretur, etc.; si haec fiant cum cognitione et intentione illius malae actionis, erit cooperatio formalis, secus materialis.

462.—*Q.* Cooperatio est ne licita?

R.—I. Cooperatio *formalis* semper est illicita; - ratio, quia est intrinsece mala, per ipsam enim datur proximo ansa ad peccandum.

II. Cooperatio *materialis* si praestetur opere malo, sive hoc malum sit natura sua, sive ex jure seu ex destinatione hominum, per se illicita est[3].— Si autem praestetur opere bono vel saltem indifferenti, quo is, cui praestatur, et bene et male uti potest, tunc Th. tenent *per se* licitam esse, nisi aut officium, v. g. parentis, judicis, ministri Sacramentorum, aut caritas eam vetent; - ratio, quia talis cooperatio non est mala nec quoad intentionem, nec quoad opus externum. Imo si alter incoeptum opus perfecturus fuisset absque alterius cooperatione, vix est ut cooperator dici possit is qui operam praestat quam in transgressionem legis nullatenus influit[4].

III. Omnis illicita cooperatio duplicem habet malitiam, unam contra caritatem, qua tenemur peccatum proximi impedire, alteram contra virtutem cujus violationi praestatur cooperatio.

463.—*Q.* Quaenam conditio-

[1] Cooperatio in externis dumtaxat transgressionibus locum habet: externa autem legis transgressio constat ex intentione et opere interno: qui est particeps utriusque correus seu cooperator *formalis;* qui operis tantum cooperator *materialis* dici solet. *D' Annibale*, I, 174.

[2] S. Alph., L. II, 63.

[3] « Veluti si quis emat a fure; vel operam praestet exercenti servilia die festo; vel sculpat idola pro idololatris. Secus si vendat agnum hebraeo suum Pascha celebraturo, quippe hoc non communi destinatione sed mentis, malum est ».—*D'Annibale*, I, 174.

[4] *D'Annibale*, I, 174.

nes requiruntur ut cooperatio *materialis* licita sit?

R. Ut cooperatio *materialis* licita sit, tres requiruntur conditiones: — 1ª Ut actio tuae cooperationis non sit per se mala; sed bona sit, vel saltem indifferens.— 2ª Ut ex officio non tenearis impedire alterius peccatum.—3ª Ut justam et proportionatam causam habeas tuam actionem ponendi.

Positis ergo tribus praedictis conditionibus, cooperatio materialis licita est, quia tunc proximi peccatum non provenit ex tua cooperatione sed ex malitia illius qui abutitur tuo opere ad peccandum. Itaque tunc non est actio tua quae conjungitur pravae voluntati proximi, sed ille conjungit tuae actioni pravam suam voluntatem; unde fit ut actio tua non sit causa illius peccati, sed tantum occasio, quam tu non teneris auferre, quando justam habes causam eam ponendi [1].

464.— *Q.* Quandonam actio est per se mala vel indifferens?

R. Actiones aliae sunt malae *per se,* uti pejeratio, blasphemia, fornicatio, etc.; et de hisce nulla quaestio. Aliae sunt malae non per se, sed *ex circumstantiis,* uti dare claves ei qui ipsis abutitur ad furandum, vel vendere venenum ei qui eo abutitur ad suicidium.

Porro, dum omnes Th. conveniunt quod actiones malae per se nunquam licitae sunt; non item conveniunt, imo saepius discrepant in determinando quaenam actiones sint malae ex circumstantiis.—Hinc est quod Th., dum *theorice* conveniunt de praedictis tribus conditionibus ut cooperatio materialis licita sit, *in praxi* tamen multum discrepant in hisce duobus: 1° in determinando quandonam actiones sint per se indifferentes; 2° in judicando quandonam adsit causa justa et proportionata actionem materialem ponendi.

465.—*Q.* Quaenam est justa causa hanc materialem actionem ponendi?

R. Etsi circa hoc certa regula dari nequeat, Th. tamen communiter dicunt quod causa eo gravior esse debet: 1° quo gravius est peccatum, cujus occasio datur; 2° quo probabilius est, te non cooperante, alterum non peccaturum, aut quo certior est affectus ad peccatum; 3° quo propinquius tua cooperatio peccatum attingit; 4° quo minus juris habes ad tale opus; 5° denique quo magis peccatum cum justitia pugnat, idque propter damnum tertii. Ita Th. communiter.

466.— *Q.* Quid agendum si cooperatio materialis est in praejudicium proximi?

R.—1. Si cooperatio materialis in praejudicium proximi est *immediata,* seu *proxima,* tunc, juxta S. Alph., non possumus cooperari damno alterius, nisi quando damnum quod timemus in bonis nostris sit *superioris ordinis.* Sic v. g. si fur tibi minatur auferre bona tua, nisi coopereris ut ille surripiat bona alterius, tu non potes ei cooperari; quia bona essent ejusdem ordinis. E contra, si tu, nisi coopereris ut ille surripiat alterius bona, subiturus esses dispendium vitae aut famae, tunc cooperari potes, quia cum sis in extrema necessitate constitutus, jus habes ad illam cooperationem in alterius bonorum jacturam, et proximus illud tibi concedere tenetur, ne tu bonis superioris or-

[1] S. Alph. Hom. Ap. T. IV, 32, L. II, 59.

dimis, seu vita aut fama periclitéris [1].

2 Quando autem cooperatio est *remota,* vel tantum *negativa,* tunc non tenemur impedire damnum alterius (etiamsi alter sit in extréma necessitate damnum patiendi) cum aequali proprio detrimento;-ratio, quia praeceptum caritatis non obligat ad diligendum proximum supra nos ipsos. Sic enim dicitur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum;* non autem: *supra* te ipsum [2].

§ 2.°

De cooperatione in particulari.

I. *Quoad famulos.*

467.—*Q.* Quaenam famulus praestare potest domino suo peccare volenti?

R.—**1.** Si dominus a famulo petit actionem bonam vel indifferentem, quae ex natura sua ad famulatum spectat, famulus illam praestare tenetur, et solus famulatus est causa sufficiens illam praestandi, etsi praevideatur herum hic et nunc illo servitio abusurum ad peccandum; nimis enim odiosum esset censorem agere et intentionem heri investigare in iis quae herus jure famulatus exigit.

2. Si herus tale servitium expresse postularet *ad pravum finem,* famulus modeste avertere deberet illum pravum finem, dicens se paratum quidem esse ad servitium praestandum, non tamen illum pravum finem intendere. Et si postea herus servitium exigit, famulus *materialiter* quod jubetur praestabit.

3. Si vero herus servitium postulet quod propinquius cohaeret cum peccato, tunc famulus nullo modo illud praestare poterit, si ejus actio animosiorem redderet dominum ad peccandum; vel si actio esset intrinsece mala.—Seclusis his casibus, illam actionem praestare poterit, modo adsit causa justa et eo gravior, quo gravius est peccatum domini, et quo propinquior cooperatio [3].

Hinc famulus potest, ratione famulatus, sternere equum domini ad peccandum profecturi; vel aperire januam communem meretrici, quia istae actiones valde remote se habent ad peccatum domini.—Non sufficit vero ratio solius famulatus, sed requiritur metus gravis damni, ut possit dominum comitari ad lupanar; vel aliam actionem praestare, quae proximius ad peccatum accedit, si sine hac sua actione peccatum aeque fieret, et haec actio dominum animosiorem ad peccandum non redderet. — Sic, positis hisce conditionibus, potest famulus deducere concubinam in domum heri, ubi hic peccaturus est: nunquam vero licebit concubinam invitare.— Sic ancillae licet dominam suam meretricem ornare, modo ornatus ex se honestus sit. — Sic famulo licet carnem praeparare et ministrare domino vigiliam violaturo;-ratio, quia omnes praedictae actiones per se bonae sunt, vel saltem indifferentes, et famulus nequit illas negare sine gravi suo incommodo [4].

E contra famulus non potest domino quaerere concubinam; vel meretrici aperire januam non communem, seu occultam et secretam; vel scribere litteras quae non so-

[1] S. Alph., Hom. Ap. T. IV, 32.
[2] S. Alph. L. III, 571.
[3] *Lehmkuhl,* I, 675.
[4] S. Alph., L. II, 64, 66.

lum verba urbanitatis, sed vere turpia, vel invitationem turpem directe continent; aut tales litteras, si ipsas novit, deferre, quia omnes praedictae actiones sunt intrinsece malae, et ex natura sua non solum remote, sed proxime ad peccatum concurrunt.

An vero possit deferre meretrici dona et munera, nonnulli concedunt, modo adsit causa valde gravis; sed alii cum S. Alph. omnino negant, quia haec dona turpem amorem fovent.

Quae autem dicta sunt de famulis, dicenda etiam sunt de aliis inferioribus, uxoribus, filiis, etc.

II. *Quoad caupones.*

468. — *Q.* Licet ne cauponi dare vinum ei qui se inebriaturus praevidetur?

R. Cauponi non licet dare vinum ei qui se inebriaturus praevidetur, si non habet justam causam, puta si damnum sit leve et dimittendum solum una vel altera vice.

E contra licet si justam habeat causam, v. g. ad evitandum grave damnum, ad vitandas saevitias, rixas, blasphemias, etc.; quia nemo tenetur peccatum alterius impedire cum gravi incommodo.

469. — *Q.* Licet ne cauponi dare adventoribus carnes diebus prohibitis?

R. Non licet cauponi dare adventoribus carnes diebus prohibitis motu proprio; vel si non adsit justa causa, v. g. ad vitandum grave damnum.

E contra licet dare petenti, dummodo petitio non fiat in odium et contemptum religionis, quia petens potest habere justam causam carnes edendi; nec caupo tenetur de hac justa causa inquirere.

Imo licet generatim cauponibus, apud quos divertunt rhedae publicae, mensam cibis licitis et illicitis struere; quia cum constet plerosque carnes esse petituros, necessarium non videtur petere a singulis quid velint [1].

470. — *Q.* Quomodo agendum cum cauponibus, qui choreas in suis aedibus admittunt, ut plures alliciant hospites?

R. Generatim ab hoc avertendi sunt quantum fieri potest; quia choreae, praesertim quae in cauponis habentur, plerumque minus honeste fiunt, et multis peccatis occasionem praebent.

Attamen non semper iis neganda esset absolutio, sed spectandae sunt circumstantiae, et modus ordinarius quo istae choreae fiunt [2]. —Utrum vero liceat prava diaria retinere et legenda exponere, vide dicta n. 385.

III. *Quoad locatores.*

471. — *Q.* Licet ne domum locare meretricibus?

R. In civitatibus, in quibus ad vitanda majora mala permittitur usurarios et meretrices degere, licet domum ipsis locare. Attamen non liceret: 1° si meretrices graviter nocerent vicinis honestis; 2° si locus domicilii majorem commoditatem et ansam ad peccandum praeberet [3]. Ceterum, impro-

[1] *Gousset*, I, 303; *Gury*, I, 255.
[2] *Gury*, I, 256.
[3] Casus. — Damianus domum suam locaverat Catharinae viduae quam credebat esse honestam foeminam, sed audit eam a viris suspectis frequentari.

Q. Potest ne in domo sua eam tolerare sine scandali reatu?

R. 1.° Damianus potest Catharinam in domo sua tolerare usque ad locatio-

bandus esset et male audiret apud probos si quis, dum posset domum suam locare personae boni nominis eam locaret meretricibus.

472. — *Q.* Licet ne aurigis vehere meretricem ad amasium sola lucri causa ?

R. Disput. Th.—Alii affirmant, quia haec actio remote tantum ad peccatum concurrit.—Alii e contra omnino negant, et dicunt rem esse intrinsece malam.—Alii demum dicunt aurigas tantum excusari ob grave damnum vitandum [1]. — In *praxi,* ut advertit Cl. Ballerini, vix est quod de iis inquirat Confessarius, quia « neque sunt, neque possunt esse solliciti quis, cur, quorsum vehi petat, et cum, publico in loco, omnibus indiscriminatim prosteut, nequeunt petenti officium detrectare sine gravissimo incommodo ». At nunquam possunt operam suam exhibere ad aliquem securius et occultius ducendum, aut ignaro indicare ubi sit prostibulum [2].

IV. *Quoad mercatores.*

473.— *Q.* Licet ne vendere res quibus alii abutuntur ad peccandum ?

R.—**1.** Licet vendere res indifferentes, aut quae bonum usum facile habere possunt, si venditor nihil sciat de mala intentione emptoris ; quia malum non est praesumendum.

2. Non licet vendere res etiam indifferentes, si certo cognoscitur emptorem illis male usurum esse et denegari possunt sine gravi incommodo, quia ex caritate tenemur peccatum proximi impedire, si absque nostro gravi incommodo id possumus.

3. Non licet vendere res quae natura sua, vel usu sunt destinatae ad malum ; nisi in casu particulari constet abesse periculum abusus, vel nisi gravis et proportionata causa excuset. Quod si agatur de rebus, quae nonnisi ad peccatum servire possunt, eas vendere nunquam licet.

V. *Quoad operarios.*

474.—*Q.* Licet ne operariis conficere idola, aut vestes et signa in usum sectae massonicae ?

R. Nunquam licet praedicta agere si petantur in odium et contemptum verae religionis. Secluso hoc casu :

Licet idola conficere ad ornamentum platearum, aedificiorum, etc.; non vero si idola pagano essent tradenda ad cultum.

Idem dic de vestibus sacris ad usum superstitiosum, maxime si contineant quaedam signa superstitiosa, vel falso numini honorifica. Imo, pro diversa significatione talium signorum, fieri potest ut eorum confectio sit absolute illicita, quia etiam signis loqui possumus ; atqui honorifica loqui de falso numine, quando ab aliis pro

nis terminum, quia bona fide domum suam locavit, neque locatariam absque gravi incommodo ejicere potest, cum illa jus habitandi ex contractu obtinuerit. 2.° Elapso locationis termino, eam domo amovere tenetur si graviter vicinis honestis noceat, vel si locus ad procos alliciendos commodior sit. 3.° Si vero specialia haec incommoda abesset, et Damianus domum suam aliis locare non posset, nec scandalum, ejecta Catharina, cessaret, quia aliam domum facile haec reperiret, ad eam ejiciendam non teneretur. *Gury*, Casus Consc. I, 228.

[1] S. Alph. L. II, 70, 75.

[2] *Marc*, 521 in fine.

serio honore habetur, est intrinsece malum. Ergo.

Paulo mitius loquendum videtur de signis et emblematibus sectae massonicae et similium sectarum. Vix quidem adhiberi possunt nisi ad pravum usum hujus sectae; at ille usus in se superstitionem nondum continet, sed tantum ab asseclis dirigitur ad pravum finem, et insuper absolute ludendi causa quis iis rebus uti potest. Ergo ea conficere illicitum non videtur, modo adsit gravissima causa, puta si operarius alias non habeat unde vivat, et in fere extremam necessitatem lapsurus sit. Nunquam tamen licet eas conficere ad mentem sectariorum, vel etiam tantum ficte approbare pravam mentem ipsorum [1].

An vero liceat aedificare templa haereticorum, pecuniam conferre etc., v. dicta de Fide, n. 353 et seqq.

[1] *Lehmkuhl*, I, 657.

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS

CAPUT UNICUM

473.—*Q.* Quot sunt virtutes morales [1]?

R. Virtutes morales, sic dictae quia pro objecto immediato mores hominum habent et voluntatem perficiunt in prosecutione boni, innumerae propemodum sunt, sed ad quatuor potissimas revocari solent, nempe: *prudentiam*, *justitiam*, *fortitudinem*, et *temperantiam*. Hae virtutes *cardinales* dicuntur, quia istis, tamquam cardinibus, tota vita hominis regitur et gubernatur, et ad eas ceterae omnes virtutes morales reduci possunt [2].—Sunt autem quatuor et non plures, quia totidem sufficiunt ad componendos et moderandos omnes humanos affectus.

Inter virtutes cardinales primum locum tenet *prudentia;* nam nihil est in homine praestantius quam ratio; prudentia ergo, quae rationem perficit, ceteris virtutibus moralibus praestantior erit. Secundus locus tribuitur *justitiae,* quae totius societatis bonum respicit. Tertius *fortitudini*, quae ad magna et ardua hominem comparat. Quartus *temperantiae,* quae in regendis hominis affectibus tota occupatur [3].

[1] Virtutes morales distinguuntur a virtutibus intellectualibus, quia istae mentem perficiunt in cognitione veri; illae e contra perficiunt voluntatem in prosecutione boni et honesti.—Virtutes intellectuales quatuor recensentur: *Intelligentia*, quae ordinatur ad consideranda prima principia; *Scientia*, quae ordinatur ad considerandas conclusiones, quae ex primis principiis inferuntur; *Sapientia*, quae ordinatur ad considerandas altissimas causas; et *Ars*, quae mentem perficit in speculatione veritatis.

[2] Non omnes virtutes morales eodem modo ad quatuor cardinales reducuntur: quaedam enim sunt illarum partes integrales, quaedam partes subjectivae, quaedam vero partes potentiales.—Partes igitur *integrantes* alicujus virtutis cardinalis eae dicuntur, quae simul concurrere debent veluti elementa ad perfectum ejusdem virtutis actum.—Partes *subjectivae* eae dicuntur quae sunt veluti species quae sub illa virtute cardinali, tanquam genere, continentur.—Partes denique *potentiales* virtutis cardinalis sunt virtutes eidem adnexae, quae ordinantur ad quosdam actus secundarios, nec habent totam rationem virtutis principalis, sed illam tanquam stipitem et radicem agnoscunt. *Genicot*, I, 244.

[3] *Observationes pro Clericis.*—Circa nonnullas virtutes cardinales et alias ex eis originem derivantes, *Speculum Cleri* (Lo Specchio del Clero), magni ponderis liber, junioribus Clericis sequentes considerationes proponit.

« Curate ut in vobis alatur rectitudinis et justitiae amor; ut vos moderate prudenterque geratis atque juxta regulas urbanitatis et decentiae. Virtutum moralium amor atque praxis animum inducunt ad amplectendas majore cum facilitate virtutes sublimiores naturae-

Art. I.

De Prudentia.

476. — *Q.* Quid est prudentia?

R. Prudentia, prout est virtus moralis, definitur a S. Th. *Recta ratio agibilium* [1]. Communiter vero a Th. definitur: *Virtus moralis rationem practicam dirigens, et ostendens quid in qualibet actione particulari agendum sit tamquam bonum, vel fugiendum tamquam malum* [2].

que difficiliores, a Religione Catholica inspiratas atque imperatas. Sufficit interdum quod aliquis morigeratus sit bonaeque indolis et naturaliter ad bonum propensus, ut de eo dicatur ad virtutem natum esse. Curatene humanitatem ac morum suavitatem? Animadvertite quod ipsae viris Ecclesiae addictis necessariae sunt, cum ipsi pro viribus curare debeant ut mereantur elogium, quo a Spiritu Sancto honoratus fuit Dux populi Dei: *Dilectus Deo et hominibus;* quod ipsae omnibus placent, iisque etiam qui animum non habent vim sibi inferendi ut ipsarum regulas observent; quod ipsae splendorem pietati addunt, iis quoque qui ipsius studiosi non sunt, amabiliorem et aestimabiliorem eam reddunt.

« Percurrendo res a S. Francisco Salesio, S. Francisco Xav., S. Vincentio a Paulo et ab aliis multis, dum vixerunt, gestas, necesse est hujus veritatis argumenta fulgentia animadvertere. Deus eorum bonis qualitatibus naturalibus usus est, ut haereticos ad fidem reduceret et infideles ac peccatores ad se converteret. Morum suavitas alios benevolos nobis facit ac eorum animos allicit; dum agendi ratio injucunda et parum urbana, confidentiam in viris Ecclesiae addictis a rudibus amovere potest: interdum praeterea impedit ne convertantur peccatores, et saepe saepius praetiosiores fructus, quos Ecclesiastici per bona exempla in ea inspicientes tulissent, minuit. Non loquimur sane de humanitate mundana; viri Ecclesiae addicti urbani esse possunt, quin agendi rationem hominum profanorum affectent, suique status decentiam et gravitatem humano aliis placendi obsequendique desiderio sacrificent; quod longe ab eorum mente esse debet.

« Curate ut vestram indolem corrigatis atque ejus cupiditates cohibeatis, quia postea difficilior erit emendatio horum mendorum quae, excusationis causa, indolis defectus dicuntur; de quibus se emendare non posse dicunt, sicuti non potest corporis habitus mutari. Cavete sensus abiectos et viles qui saepius in iis inveniuntur, qui nulla educatione aut mala instituti fuerunt. Ne credatis leviter iis qui pietatem educationi bonae supplere dicunt. Haud dubio pietas, ad omnia utilis, multum valet ad rem; ipsa enim animam elevat, cum nequeat firma et illuminata esse, quin intente animum ad defectuum emendationem adiungat. At non semper iis, qui ex defectu educationis proveniunt, et aliunde sibimetipsi proprie non opponuntur, medetur; non semper indolis ruditatem aufert et sensuum ac affectuum penuriam. Hi defectus non animadvertuntur, ideoque parvi momenti existimantur. Quum quis ob bonae, ab annis primis, educationis defectum nobilibus sensibus informatus non fuerit, his deficientibus, bonorum librorum lectio ac eorum, qui bona educatione instituti fuerunt, imitatio pietati opitulentur oportet. Quousque rudes non fuerunt Apostoli atque in suis profanis excogitationibus remanserunt in ipsamet J. Christi societate? »

[1] 2.ª 2.ae q. 47, a. 2.

[2] Supra omnes virtutes morales ponitur *prudentia*, quae definiri potest: Ars quaerendi media iisque utendi ad bonum operandum. In omnibus enim agendis prudentia media quaerit ad finem honestum ducentia, ex ipsis accomodatiora ad finem consequendum eligit atque debita diligentia et constantia eorum executionem praecipit.

Prudentia alia est naturalis, alia supernaturalis, prout res humanas vel solo naturae lumine, vel lumine fidei, quatenus ad Deum diriguntur, respicit. *Scientia Sanctorum prudentia. Estote ergo prudentes sicut serpentes.* Has tres prudentiae partes notare sufficit, ut quantae ad perfectionem christianam necessitatis ipsa sit cognoscatur.

Tria prudentiae documenta.

Primo, prudentia nos edocet ne nosmetipsos prudentiores existimemus, quod omnibus facile est cum omnes

Virtus prudentiae in sacris litteris appellatur *Scientia Sanctorum*, *Prudentia spiritus*, ut distinguatur a falsa prudentia carnali, quae suum ultimum finem constituit in delectatione carnali, in divitiis, honoribus, etc., et de qua S. Paulus scribit ; *Prudentia carnis mors est. Sapientia carnis inimica est Deo.*

Objectum *materiale* prudentiae sunt actiones humanae particulares, de quibus judicatur utrum bonae sint an malae ; ex quo judicio prudentia hominis voluntatem inclinat ad eas praestandas, aut fugiendas.

Objectum *formale* est rectitudo practica, seu conformitas actionum humanarum cum recta ratione.

Virtus prudentiae residet non in voluntate, ut ceterae virtutes morales, sed in intellectu, tamquam lumen ostendens quid ceterae virtutes praestare, quid fugere debeant; unde ipsa est prima, imo mensura et regula aliarum virtutum moralium. Ipsa enim nos docet opportunam electionem temporis, loci, nec non mediorum ad finem aptius ducentium. Ipsa in nobis omnia, ne verbis quidem exceptis, moderatur, quae sive nostram, sive aliorum personam respiciunt. Ipsa nos docet vitare improvidos actus ac intemperantes modos, ex quibus molestae sequelae formidandae essent.

477. — *Q.* Quaenam partes prudentiae ?

R. Partes prudentiae triplicis generis sunt: integrantes, subjectivae, potentiales.

Partes *integrantes*, seu dotes perfectae prudentiae sunt octo, scilicet: 1° *memoria* seu recordatio praeteritorum, praeterita enim nos docent; 2° *intelligentia*, seu recta aestimatio alicujus finis aut principii moralis particularis, ut prudens judicium habeatur ; 3° *docilitas*, seu animi promptitudo ad aliena consilia et monita suscipienda ; 4° *solertia*, seu animi sagacitas, qua mens prompte deprehendit media ad propositum finem tutius consequendum, praesertim ubi aliqua ex repentino occurrunt agenda; 5° *ratio*, seu recta ratiocinatio, qua ex aliis antecedenter cognitis colligitur quid sit hic et nunc agendum; 6° *providentia*, seu consideratio futurorum eventuum, qui opus sequi possunt, et ordinatio mediorum ad finem; 7° *circumspectio*, seu attenta consideratio omnium circumstantiarum, ut cognoscatur quid, habita ratione temporis, loci, personae, etc., magis expediat ; 8° *cautio*, sea diligens consideratio malorum et impedimentorum, quae fini consequendo adversari possunt, ut ea vitentur vel removeantur.

hanc virtutem, cui minime sufficit animae sanctitas, quia fructus intellectus est omnia tranquille atque recte judicantis, se possidere credant.

Ideoque sequamur Spiritus Sancti monitum: *Fili, sine consilio nihil facias. Cum sapientibus et prudentibus tracta.*

Secundo, cupiditates coërcere nos edocet, quia ipsae rationi, quae media ad bonum operandum eligere debet, caliginem effundunt.

Tertio, nos edocet experientiam, quae acquiritur rationes factorum investigando, conscientiamque scrutando, quae ab exitu actorum, ea in futurum moderare ediscit.

Super omnia denique a Deo petenda prudentia est, ac praesertim in negotiis difficilioribus, cum Spiritus Sanctus nobis dicat: *Meum est consilium et aequitas, mea est prudentia.* — *Ighina :* Instit. n. 65.

Partes *subjectivae,* nempe species in quas prudentia dividitur, duae sunt: 1° prudentia *personalis* vel *monastica,* qua quis semetipsum dirigit; 2° prudentia *gubernatrix,* qua quis alios regit: et haec potest esse domestica, pastoralis, civilis, etc., prout spectat ad regimen familiae, paroeciae, societatis civilis, etc.

Partes *potentiales,* nempe *virtutes comites* quibus prudentia utitur ad bene consultandum et recte judicandum, tres sunt ex S. Th.: *Eubulia* seu *rectum consilium; Synesis,* seu *rectum judicium; Gnome,* seu *recta sententia* [1].

478. — *Q.* Quaenam vitia prudentiae opponuntur?

R. Vitia quae prudentiae opponuntur octo numerantur, quorum quatuor opponuntur per defectum, quatuor per excessum.

Per defectum opponuntur: 1° *praecipitatio,* seu temeritas, qua quis opus aggreditur sine sufficienti deliberatione, unde pugnat cum *Eubulia,* seu bona consultatione; 2° *inconsideratio,* qua quis sine debita attentione ad media fini accomodata, judicium fert, ideoque pugnat cum *Synesi,* seu cum recto judicio; 3° *inconstantia,* qua quis leves ob causas a recta sententia discedit, ut aliam arripiat; 4° *negligentia,* qua quis rem mature et serio deliberatam opportuno tempore non exequitur.

Per excessum, vel potius per falsam prudentiae speciem, opponuntur: 1° *prudentia carnis,* quae media excogitat ad indulgendum naturae corruptae, et carnis exigentiae; 2° *astutia,* quae etsi quandoque in bonam partem accipiatur, communiter tamen in malam partem sumitur, qua quis ad finem aliquem consequendum utitur non veris viis, sed falsis et simulatis; 3° *dolus* seu machinatio ad alterum decipiendum; 4° *sollicitudo temporalium,* nempe nimia mentis occupatio in rebus temporalibus quaerendis, tuendis, et augendis; et *sollicitudo futurorum,* seu nimis anxia mentis occupatio circa futura, ne scilicet temporalia desint.

[1] 2.ª 2.ae, q. 51, a. 1-4.
[2] 2ª 2ae, q. 57, a. 1.

ART. II.

De Justitia.

479. — *Q.* Quid est justitia?

R. Justitiae nomen, sensu *latiori,* indicat quandam adaequationem et commensurationem cum alio; ea enim quae adaequantur, vulgariter dicuntur *justari,* ut ait Angelicus [2]. Hinc veteres scriptores, sive sacri sive profani, justitiam vocarunt complexum omnium virtutum; cum enim haec virtus hominem perfecte cum qualibet moralitatis regula adaequet, recte justitia vocatur, cujus partes *integrantes* sunt declinare a malo et facere bonum. Quare in Evangelio dicuntur *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* [3].

Justitia hoc sensu *latiori* accepta comprehendit: 1° virtutem religionis, qua debitum Deo cultum persolvimus; 2° pietatem filialem, per quam sanguine junctis patriaeque benevolis officium et diligens cultus tribuitur; 3° obedientiam erga superiores nostros, sive spirituales sive temporales; 4° obligationem debito obsequio prosequendi personam, famam, et bona proximi [4]. Hae

[3] Matth., V, 6.
[4] 2ª 2ae, q. 80.

igitur sunt partes potentiales justitiae, de quibus suis locis dicetur.

Justitia vero sensu *strictiori* accepta, et prout est virtus moralis et cardinalis, communiter definitur: *Constans et perpetua voluntas unicuique jus suum tribuendi.*

De hac vero ex professo in septimo Decalogi praecepto agemus.

Art. III.

De Fortitudine.

480. — *Q.* Quid est fortitudo et quaenam ejus officia?

R. Fortitudo recte definiri potest: *Virtus moralis inclinans ad moderandos animi motus circa quaecumque ardua, praesertim circa pericula mortis sustinenda vel repellenda.*

Duo proinde sunt fortitudinis officia, *aggredi* nempe et *sustinere*[1].

Aggredi pertinet ad fortitudinem secundum quod moderatur audaciam; sustinere autem secundum quod sequitur repressionem timoris[2].

Pericula vero quae fortitudo vel aggreditur vel sustinet sunt prae caeteris pericula mortis, utpote graviora. Haec tamen facienda sunt ex honesto fine, nam etiam perpeti mortem non est laudabile secundum se, ut ait S. Th.[3], sed secundum quod ordinatur ad aliquod bonum. Sed quia dumtaxat bonum virtutis est vita pretiosius, ita nonnisi propter virtutem licet pericula mortis aggredi vel sustinere.

481. — *Q.* Quaenam sunt partes fortitudinis?

R. E fortitudinis virtute aliae oriuntur virtutes morales tamquam ejusdem filiae, seu partes integrales, uti vocantur, scilicet: *fiducia* seu *magnanimitas*, *magnificentia*, *patientia* et *perseverantia*.

Quomodo autem hae virtutes ad fortitudinem referantur, sic explicat S. Thomas: Duplex est fortitudinis actus: aggredi et sustinere.

[1] « Fortitudo, quae inter virtutes cardinales tertium tenet locum, animum firmum et constantem reddit ad mala maxime ardua toleranda, atque promptum ad ea animose sed absque temeritate aggredienda. Fortitudinis quinque numerantur actus: 1. Cupiditates refraenare atque virtutes firmiter in praxim redigere. 2. Sui ipsius vitam pro spirituali proximi bono periclitare. 3. Seipsum martyrio magno animo exponere, quandoquidem et iis, qui vitam pro proximo periclitantur, fortior est qui non modo praesentem mortem non timet sed imo eam aggreditur magnanimiter ut se Christo fidelem exhibeat. 4. Mala repentina tolerare; qui enim in his circumstantiis imperterritum se exhibet, jam fortitudinis habitum se possidere evidenter probat. 5. Denique terribilia sustinere non tantum patienter, sed laeto animo, sicut Apostoli qui: *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (Act. 5, 41).

« Ad hanc fortitudinis virtutem obtinendam oportet: 1. eam fiducialiter a Deo petere; 2. res arduas praevidere atque strenue expectare, hoc enim modo sensim animi minuetur timor; 3. mala leviora, quae quotidie occurrunt, aggredi assuescere ut adversus graviora intrepidi evadamur; 4. saepe qua J. C. omnia tormenta mortemque ipsam aggressus est, fortitudinem meditari. Haec meditatio innumeros martyres invictos reddidit, inter quos multos etiam infantes debilesque mulieres. Tandem ardenti Deum caritate prosequi. Ipsa enim est ignis, qui sui ipsius amorem consumit simulque malorum timorem depellit, ita ut pusillanimes quoque cum Apostolo dicant: *Quis nos separabit a charitate Christi?* » — *Ighina.* Institutiones Thel. Ascet. et Mysticae, n.68, 69.

[2] S. Th., 2a 2ae, q. 124, a. 3.

[3] S. Th, 2a 2ae, q. 123.

Ad actum aggrediendi duo requiruntur, quorum primum pertinet ad animi praeparationem, ut scilicet quis promptum habeat animum ad aggrediendum ; et quantum ad hoc ponitur *fiducia ;* quae tamen, inquit idem Angelicus [1], numeratur inter partes fortitudinis, non quasi virtus adjuncta, nisi secundum quod accipitur pro magnanimitate a Tullio, sed sicut pars integralis : secundum vero pertinet ad operis executionem, ut scilicet quis in executione illorum, quae fiducialiter inchoavit, non deficiat ; et quantum ad hoc ponitur *magnificentia ;* est enim magnificentia, juxta Tullium, rerum magnarum cogitatio atque administratio, seu executio.

Ad actum autem sustinendi duo quoque requiruntur, quorum primum est ne difficultate imminentium malorum animus frangatur per tristitiam, atque a sua magnitudine decidat, et quantum ad hoc ponitur *patientia ;* secundum vero est ne ex diuturna difficilium passione ita homo fatigetur, ut tandem ab opere incoepto desistat ; et quantum ad hoc ponitur *perseverantia,* quae nos in opere incoepto, quamvis molesto et arduo, persistere facit [2].

[1] S. Th., 2ª 2ae, q. 129, a. 5.

[2] Parochus, si munere suo recte fungi, et scandala efficaciter impedire velit, praeclara fortitudinis virtute praeditus sit oportet.

Caveat ne humilitatem et mansuetudinem confundat cum ignavia et inertia ; haec enim vitia saepe sub specie illarum virtutum sese occultant.

Si agatur de obligatione quae absolute adimplenda est, et a qua nullimode licite se retrahere potest, ut puta si quis parochum adstringere vellet ad falsam doctrinam docendam, aut ad Sacramenta concedenda quando ex lege divina et ecclesiastica certe sunt deneganda, vel e converso, tunc in hisce muneribus obeundis Parochus prudens quidem sit, sed fortis et firmus, nec ullis minis cedat. Haec fortitudo in sacris propriis muneribus obeundis praeclara est nota Sacerdotii catholici, et prima dos boni pastoris. In Ecclesia catholica quovis saeculo mira fortitudinis exempla ad majorem Dei gloriam et ad salutem animarum emicuerunt.

Item, si agatur de aliqua actione ponenda aut permittenda, quae, etsi non in se, tamen in communi hominum aestimatione ut prorsus illicita habeatur, Parochus nulla humana ratione, nullo praetextu se inducat ad illam ponendam vel permittendam, secus reus esset gravis scandali.

E contra si agatur de aliqua actione, quam ponere vel omittere absolute non tenetur, neque in communi hominum aestimatione ut prorsus illicita habetur, sed cujus liceitas vel illiceitas a circumstantiis potius pendet, ut v. g. obligatio correptionis fraternae, tunc Parochus coram Deo attente ponderet quid agere expediat. Et in dubio quid agere expediat, si res est magni momenti, tunc, si tempus ferat, Ordinarium consulat, ejusque mandatis obtemperet ; si vero tempus non ferat, consulat saltem aliquem Parochum vel Sacerdotem seniorem et prudentem. Ceterum in dubio stat notum axioma : *Lex dubia non obligat.* Parochus autem in eo dubio practico positus, si actionem suspendere nequit, eligat quod minus malum ipsi videtur ; unde quum de aliqua actione vel permissione rogatur si prudenter judicat quod ipsam recusando gravia obvenirent incommoda, uti essent v. g. ejectio Pastoris e propria paroecia, vel profanatio Ecclesiae, ipsam ponat vel permittat.

Et si post factum, re melius ponderata, vel a Superiore admonitus, cognoverit se errasse, et permisisse quod permittendum non erat, scandalum statim reparet, evulgando quod in iis salebrosis circumstantiis rem ut illicitam non deprehenderit, secus nunquam muneri suo defecisset.

Caveat tamen Parochus ne terreatur a periculis levioris momenti, vel a periculis imaginariis potius quam realibus ; neque muneri suo unquam deficiat speciosо praetextu aliquod fastidium vitandi. Adsunt, heu nimis, nonnulli Parochi, qui non boni Pastores sunt, sed mercenarii. Ecce, inimicus homo in paroecia sua superseminat zizania, et ipsi dormiunt ;

482. — *Q.* Quaenam vitia fortitudini opponuntur?

R. Virtuti fortitudinis tria opponuntur vitia: *timiditas*, seu *ignavia* per defectum, *intimiditas* et *audacia* per excessum. — *Timiditas* est ille inordinatus animi motus, quo quis refugit mala, quae recta ratio sustinenda praescribit; quo fit ut eligatur potius illicitum,

ecce scandala paroeciam paulatim pervadunt, et ipsi oculos habent sed non vident: ecce perversi homines errores contra veritates catholicas diffundunt, et ipsi aures habent sed non audiunt; ecce, uno verbo, morum dissolutio et ruina animarum, et nihil ipsis interest... dummodo quietam agant vitam. Falsi pastores qui *quaerunt non quae Jesu Christi, sed quae sua sunt.*

Et post haec gloriantur de propria tranquillitate et prudentia, seque jactant cum omnibus in pace esse, et ab omnibus in honore et reverentia haberi. Sed stulti et coeci! Dum putant se ab omnibus in honore et reverentia haberi, omnibus sunt contemptui et derisui; eorum tranquillitas falsa est et fallax; eorumque prudentia non est prudentia christiana, ideoque virtus, sed est prudentia mundana, est inertia, ignavia, ideoque peccatum coram Deo.

Quapropter bonus Pastor ab hac falsa prudentia et ignavia caveat, praesertim quando ejus auxilio indiget aliquis peccator ut a peccatis suis exurgat, vel aliquis innocens ut in gratia Dei perseveret.

Aliquando accidit ut infelix quaedam puella a perverso homine seducta, miserrimum suum statum agnoscens, et peccatum relinquere et ad Deum se convertere deliberet. Ipsa ad Parochum recurrit, fiducialiter petens auxilium in tempore opportuno. Si Parochus falsa prudentia et inertia et ignavia laborat, quid huic simplici puellae respondebit? Ecce: Eius desiderium, imo deliberationem peccatum et occasionem peccati derelinquendi se probare et laudare; dein adjungit: Se eam toto corde commendaturum Deo qui ipsam certe adjuvabit; interim ipsamet quaerat num aliqua pia foemina operam impendere pro seipsa velit;... quoad se, velle quidem ipsam hic et nunc adiuvare sed nec modum scire... nec media habere... Et quid fiet? Ecce puella infelix sua spe illusa, nec sciens cui se commendet, animo deficit, et in peccato perdurat de omni auxilio et remedio desperans.

Aliquando etiam accidit ut innocens puella inscienter famulatum ineat penes hominem irreligiosum et impium, ita ut versetur in proximo periculo peccandi. Parochus, si est bonus Pastor vigilans et fortis, statim ejus parentes prudenter admonet, et omni modo curat ut innocentem puellam e faucibus lupi infernalis eripiat. Quid e contra facit Parochus ignavus et formidolosus? Iram et vindictam perversi hominis timens, nec parentes monet, nec puellam, et infelicem in illa proxima peccandi occasione relinquit; quo fit ut ipsa corruat in viam perditionis.

Parochus qui ob ignaviam oves in periculo peccati et perditionis deserit, et *sinit* ut lupus veniat, et mactet, et perdat proprias oves, indignus est officio et nomine Pastoris, et omnino recedit ab exemplis Boni Pastoris *qui animam suam dat pro ovibus suis.*

Ceterum si quis neoparochus nimis formidolosus sit, sedulo animadvertat quod periculum in gravia incommoda incurrendi ob suorum munerum adimpletionem non frequens sed perrarum est, et saepius potius imaginarium quam reale. Verum quidem est quod homines irreligiosi et impii Parochum, qui innocentem praedam ex eorum faucibus tollit, torvis oculis aspiciunt; at minime verum quod propter hoc contra illum insidias moliantur. Experientia constat quod Parochi qui prudentes quidem, sed fortes sunt in propriis muneribus obeundis, nunquam in aliquod grave incommodum inciderunt, sed semper a divina Providentia protecti ac defensi victoriam de hoste maligno reportarunt.

Neoparochi igitur ne expavescant inaniter, et semper ac aliquid difficile et salebrosum ad salutem animarum aggredi oportet, prudentes quidem sint, consilium pro opportunitate accipiant, Deo ex corde se commendent; sed, his peractis, fideles sint et fortes in propriis muneribus obeundis, et semper prae oculis habeant illa saluberrima Christi verba: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Matth. X, 28. Cf. *Frassinetti*, Manuale del Parroco novello, n. 500.

quam ista mala sustinere. De hoc timore locutus est Dominus: *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* — *Intimiditas* est defectus timoris justi, nempe quando quis non timet pericula sicuti oportet. — *Audacia* est inconsiderata periculorum susceptio, nempe quando quis nimium sibi confidit in periculis evadendis vel superandis. Haec omnia virtuti fortitudinis adversantur, ut ex ejus definitione liquet.

ART. IV.

De Temperantia.

483. — *Q.* Quid est temperantia?

R. Temperantia definiri potest: *Virtus moralis inclinans nos ad moderandum appetitum circa delectationes sensibiles.* — Istae delectationes versantur vel circa res quae *necessariae sunt ad conservationem tum individui*, qualis est usus potus et cibi, *tum speciei*, qualis est usus legitimi matrimonii, et dicuntur objectum primarium virtutis temperantiae; vel circa res, quae *ad individui aut speciei conservationem necessariae non sunt*, sed quae tamen ad *delectabilem usum* rerum necessariarum ducunt, uti sapor aut odor delectabilis in cibo, et dicuntur objectum secundarium hujus virtutis [1].

484. — *Q.* Quaenam temperantiae partes?

R. Triplicis generis numerantur temperantiae partes: integrales, subjectivae et potentiales.

Partes *integrales* duae sunt: verecundia et honestas; totum enim temperantiae officium in fuga turpitudinis consistit, ad quam juvat honestas. *Verecundia* est timor et horror turpitudinis, qui custos est modestiae. *Honestas,* seu amor decoris, secundum nominis etymologiam, est quasi honoris status.

Partes vero *subjectivae* sunt: *abstinentia,* quae consistit in cibo moderando; *sobrietas,* quae consistit in moderando potu; *castitas,* quae delectationem veneream temperat, et triplex esse potest, nempe conjugalis, vidualis et virginalis seu incorrupta *pudicitia,* quae ab omni aspectu et tactu inho-

[1] *Temperantia,* quae sensu generali accepta, importat moderationem quamlibet circa affectus corporis et mentis, uti virtus specialis est quarta et postrema virtutum cardinalium. Ejus officium est appetitum sensitivum moderari in iis quae ipsum maxime alliciunt. Juxta D. Thomam, ad hanc virtutem pertinet: 1. Corpus enutrire quantum sufficit et requiritur ut sanitas servetur et ne nimis corporis debilitentur vires; itaque nemo immoderata ciborum sumptione vel indiscreta ab ipsis abstinentia ad munia proprii status exequenda inhabilis reddatur. 2. Non quaerere in cibo vel potu delectationem, sed ipsam, si adest, ad Deum referre. Insuper haec virtus eis, qui celibem vitam ducunt, abstinentiam ab omni affectu libidinoso, et conjugatis debitam in usu voluptatum sensus honestatem praecipit. Objectum secundarium temperantiæ est moderatio delectationum visus, auditus et olfactus, quas ipsa ad Deum refert, quasque non nisi propter finem honestum quaerit.

Aureas habet Card. Bona considerationes circa media ad temperantiam obtinendam: « Nihil animae corporique salubrius cibo frugi ac moderato. Facile motus pravos refraenat qui eis causam non praebet cibo potuque immoderato. Cibos nimis exquisitos appetere ac convivia, de iis frequenter cogitare ac loqui hominum est terrenis detentorum, quorum Deus venter est. In pugna adversus carnem ante omnia omnis occasio auferenda est tentationum, in omnibus modestiam et severitatem sectando. Insuper mulierum societas devitanda est, quia stimulus magnus hominibus ad malum ipsae sunt. Denique nimia fiducia cavenda, qui enim non timet iam lapsus est ». — *Ighina*: Institutiones Theol. Asceticae, n. 70, 71.

nesto abhorrere et abstinere nos facit.

Partes autem *potentiales* sunt : *clementia,* illa nempe virtus quae ex animi lenitate poenas moderatur prout justitia patitur ; *mansuetudo,* quae iram moderatur secundum rectam rationem ; *continentia,* illa scilicet generalis virtus, qua resistimus quibuscumque pravis motibus in quacumque vitiosa materia [1].

485.—*Q.* Quaenam vitia temperantiae virtuti opponuntur ?

R. Temperantiae duo opponuntur vitia : unum per defectum, et est insensibilitas, seu stupor; alterum per excessum, et est intemperantia. — *Insensibilitas* adest quando quis delectationes gustus et tactus ita aversatur, ut nolit iis uti quando , ubi, quomodo et quantum iis utendum recta ratio praescribit. — *Intemperantia* est vitium quo quis delectationes sensibiles, ac praecipue gustus et tactus, appetit et quaerit plusquam oporteat, aut ubi, quando, vel quomodo non oportet.

——

[1] Ad virtutem temperantiae, generatim acceptae, pertinet, inquit Cl. *Ighina,* virtus *Mortificationis,* quae cupiditates omnes refraenat et potentias internas externosque sensus moderatur.

Mortificationis necessitas.

Omnibus necessaria mortificatio est; ideoque non solum iis qui ad perfectionem vitae tendunt, sed et iis qui vitam christianam vivere volunt, cum absque illa nequeant sensus animique cupiditates domari, bona opera perfici et virtutes verae acquiri.

Non sufficit insuper mortificationem adhibere tunc solum, quum malo resistere oporteret vel vitia corrigere. Cum ejusmodi hostibus spiritualibus nobis res est, ut difficile sit eos colluctationis tempore vincere si in antecessum mediis non consuluerimus, sive vitandi eorum deprehensiones, sive ipsis resistendi, sive ipsos felici exitu aggrediendi. J. C. praeterea non solum discipulis suis sed omnibus indicit : *Si quis vult post me venire abneget semetipsum, et sequatur me.* Matth. 16, 24.

Unde cum salutem aeternam consequi non possimus, quin Redemptorem sequamur, evidenter patet quod omnino necessaria est nostrum abnegatio, seu Mortificatio.

Ex Conc. Trid. autem colligi possunt duo motiva mortificationis necessitatem confirmantia. Unum, quod ipsa est medium quo cupiditates domando aeternae gloriae coronam, et ei qui *legitime certaverit* promissam, meremur ; alterum quod per ipsam Deo pro peccatis nostris satisfacimus. Ses. V, c. 8.

Quoad regulas vero mortificationis adhibendae, V. ubi de Poenitentia : de modo se gerendi cum personis piis.

DE PRAECEPTIS DECALOGI

PROŒMIUM.

186.—*Q.* Quid est Decalogus?

R. Decalogus, a graeca voce δέκα et λόγος, decem sermones significat; sed penes Judaeos et Christianos haec vox usurpatur ad significanda decem divina praecepta; unde Decalogus definitur: *Lex naturalis et divinitus revelata, decem complectens praecepta, tabulis lapideis Dei digito inscripta, et populo Judaico per Moysen tradita.*

187.—*Q.* Praecepta Decalogi quomodo dividuntur?

R. Decalogi praecepta alia sunt *affirmativa*, quae aliquid faciendum jubent, et sunt haec duo: *Memento ut diem sabbati sanctifices: Honora patrem et matrem tuam;* alia sunt *negativa*, quae aliquid facere prohibent, et sunt cetera omnia.

NOTA: In praeceptis affirmativis, quibus bona actio jubetur, includitur praeceptum negativum quo actio opposita prohibetur; et e contra in praeceptis negativis, quibus malum prohibetur, includitur praeceptum affirmativum, quo bonum malo oppositum imperatur.

Præcepta *negativa* obligant *semper* et *pro semper*, idest quovis tempore; vetitum enim absolute absque ulla distinctione, semper vetitum est. Praecepta *affirmativa* obligant quidem *semper*, sed *non pro semper*, idest solum statutis temporibus.

188. — *Q.* Adulti ad quid tenentur quoad Decalogum?

R. Adulti tenentur: 1° sub gravi *scire* Decalogum, saltem quoad substantiam; 2° illum *observare*, et quidem integre, seu quoad omnia praecepta, quia Decalogus praecepta legis naturalis, quae omnes homines adstringunt, complectitur.—Christus autem in L. N. praecepta moralia V. L. non abstulit, sed verbo et exemplo confirmavit, atque perfecit: *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Unde ipse aperte declaravit observantiam praeceptorum Decalogi ad salutem consequendam omnino necessariam esse: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* [1]. Hinc Trid. contra Lutherum, de fide definivit: *Si quis dixerit nihil praeceptum esse in Evangelio praeter fidem, caetera esse indifferentia, neque praecepta, neque prohibita, sed libera; aut decem praecepta nihil pertinere ad Christianos; anath. sit* [2].

[1] Matth., XIX, 17.

[2] Sess. VI, c. XIX.

DE PRIMO DECALOGI PRAECEPTO

Primum Decalogi praeceptum sic effertur : *Ego sum Dominus Deus tuus..., non habebis Deos alienos coram me* (Exod. XX, 2 et 3). Hoc praeceptum qua parte est *affirmativum* nobis praecipit ut debitum cultum Deo exhibeamus, ideoque complectitur omnia virtutis Religionis officia ; qua parte est *negativum* nobis prohibet adorationem creaturarum, et quidquid divino cultui opponitur.

Hinc nos primo agemus de praecepto affirmativo, nempe de virtute Religionis ; dein de negativo, seu de vitiis Religioni oppositis.

DE VIRTUTE RELIGIONIS

489. — *Q.* Quid est Religio, et quodnam ejus objectum ?

R. Religio, ut ait D. Th. [1] cum S. Aug., a *religando* dicta, quatenus nos Deo adstringit, in sensu maxime proprio prout hic sumitur, definitur : *Virtus moralis inclinans hominem ad exhibendum debitum Deo cultum, tamquam supremo rerum omnium Domino.*

Objectum *materiale* virtutis Religionis non est ipse Deus, sed cultus Deo debitus ; sicut objectum materiale justitiae non est homo, sed res debita.

Objectum *formale,* seu motivum, est excellentia Dei et nostra ab Ipso dependentia.

Virtus Religionis inter virtutes morales est omnium praestantissima, quia ejus objectum magis ad Deum accedit, quam objecta aliarum virtutum moralium.—Religio non est duplex, una naturalis et altera supernaturalis, sed una tantum quae ex lege naturali et revelatione coalescit.

490.—*Q.* Religio quid praecipit, et quid prohibet ?

R. Religio, ut est praeceptum *affirmativum,* praecipit actus cultus. Sicut autem homo constat anima et corpore, ita anima et corpore Deum colere debet; proindeque actus religionis alii sunt *interni,* alii *externi,* prout interne, v. g. devotione, vel externe, v. g. sacrificio, peraguntur.

Ut vero est praeceptum *negativum* prohibet vitia religioni opposita, quae duo sunt : 1°. *Superstitio,* quae peccat per excessum, hoc nempe sensu, quia exhibet cultum vel pravum in se, vel inordinatum in modo; et ejus nomine veniunt divinatio, astrologia, sortilegium, magia, maleficium, magnetismus, hypnotismus et spiri-

[1] 2ª 2ae, q. 81, a. 1.

tismus; 2°. *Irreligiositas,* quae peccat per defectum, et ejus nomine veniunt blasphemia, tentatio Dei, sacrilegium, perjurium ac simonia.

Actus praecipui Religionis sunt adoratio, devotio, oratio, usus Sacramentorum, sacrificium, juramentum, votum, et sanctificatio quorumdam dierum.—De usu sacramentorum et de sacrificio dicetur ubi de Sacramentis et de Eucharistia ; de blasphemia, de juramento et voto dicetur in 2° Decalogi praecepto, et in 3° de sanctificatione quorumdam dierum: hic igitur de reliquis.

CAPUT I.

De adoratione, devotione et oratione.

ART. I.

De adoratione.

491.—*Q.* Quid est adoratio ?

R. Adoratio, *sensu lato* accepta, definiri solet : *Actus quo quis alteri se submittit in signum ejus excellentiae.* Hinc submissio v. g. Judith erga Holofernem, vel Nathan erga David, in Scripturis adoratio dicitur. Communiter tamen adoratio sumitur *sensu stricto* et religioso; imo usus invaluit quod adoratio stricto sensu tantum accipiatur, ideoque hoc nomine nonnisi cultus qui Deo tribuitur designetur.

Adoratio igitur, *stricto sensu* accepta, definitur: *Cultus latriae soli Deo debitus in signum ejus infinitae excellentiae, supremique dominii in omnes creaturas.*—Quod si cultus tribuitur B. M. V. vel Sanctis, *veneratio* appellatur.

492.—*Q.* Quid est cultus, et quomodo dividitur ?

R. Cultus in genere definitur: *Honor cum submissione praestitus.* Cultus vero sacer, de quo hic agitur, objective sumptus est *complexus illorum actuum quibus infinitam Dei excellentiam testamur, Eidemque famulatum exhibemus.*

Cultus tripliciter distinguitur :

1. Ratione *objecti,* quod colitur; et alius dicitur *latriae,* qui soli Deo competit ; alius *hyperduliae,* qui B. V. tribuitur; alius *duliae,* qui Angelis et Sanctis convenit.

2. Ratione *finis* intenti ; et alius est *absolutus,* qui tribuitur ipsi personae ob intrinsecam ejus excellentiam; alius *relativus,* qui tribuitur v. g. cruci, imaginibus, vel iis rebus quae, ob specialem conjunctionem aut relationem quam cum Deo vel Sanctis habent, specialem praeseferunt excellentiam extrinsecam.

3. Ratione *modi* quo tribuitur; et alius est *internus,* qui internis tantum animae potentiis perficitur; alius *externus* qui etiam corporis actibus exhibetur. Hic autem esse potest *privatus,* vel *publicus.* Cultus publicus est qui exhibetur nomine et auctoritate Ecclesiae, et in forma ab ea praescripta.—Privatus, cui deest una ex his conditionibus [1].

493. — *Q.* Quibusnam Sanctis eorumve imaginibus et reliquiis licet cultum deferre ?

R. Cultus *publicus* iis tantum tribui potest, qui in albo Sanctorum vel Beatorum a Rom. Pontifice adscripti fuerunt [2].

Cultus vero *privatus* tribui po-

[1] *Marc,* 531.

[2] Quoad cultum et venerationem Sanctorum et Ss. Imaginum, sequentia adnotare praestat.

Conc. Trid. sess. XXV : « Mandat omnibus Episcopis, et caeteris docendi munus curamque sustinentibus, ut juxta catholicae et apostolicae Ecclesiae

test etiam iis, qui cum sanctitatis fama e vita decesserunt, etsi nondum in albo Sanctorum vel Beatorum adnumerati sint.—Unde licet eorum imagines vel reliquias privatim asservare, ad collum deferre, eas reverenter osculari, etc.; quia talis cultus est o-

usum a primaevis Christianae religionis temporibus receptum..... fideles diligenter instruant (de Sanctorum cultu, Imaginum usu, etc.): docentes eos Sanctorum martyrum, et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse: per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur; ita ut affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandae causa Sanctorum memorias frustra frequentari; omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit (Conc. Nicaen. I, Can. 7), et nunc etiam damnat Ecclesia.

« Imagines porro Christi, Deiparae Virginis et aliorum Sanctorum, in templis praesertim habendas, et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus quae in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant; ita ut per imagines, quae osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur; id quod Conciliorum, praesertim vero secundae Nicaenae Synodi, decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.

« Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis: tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quae a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per Sanctos miracula, et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum et ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit; anathema sit.

« Omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, et Imaginum sacro usu tollatur; omnis turpis quaestus eliminetur; omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur ».

Unde, ait Synod. Taurin., nulla figura indecenter nuda appareat, praesertim si figurae sequioris sexus sint exhibendae. Angeli etiam vestibus induti repraesentandi essent juxta antiquam maximeque laudandam consuetudinem, quae restituenda esset. Tit. XVII, 10.

« Sanctorum celebratione, ac Reliquiarum visitatione homines ad comessationes atque ebrietates non abutantur, quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum ac lasciviam agantur.

« Postremo... ut nihil inordinatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat sanctitudo..., statuit sancta Synodus, nemini licere ullo in loco vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante Episcopo ». Sess. XXV. *De venerat. Sanctorum et Imag.*

Igitur patet quod Imagines quae *more solito* mysteria, et historias Sanctorum exhibent, exponi possunt, quin fuerint prius approbatae ab Episcopo; non autem inconsulto Parocho, aliove loci titulari (Trid. enim loquitur de imagine *insolita*), attamen imago, etsi solita, benedicenda est, si ad altare exponatur. *Scavini*, II. 172, 9.

Imagines vel statuae, si quae sint in Ecclesiis ita deformes, ut fidelium pietatem non secus ac hominum exultorum sensum offendant, amovendae sunt, dummodo tamen incolumi concordia, et sine scandalo effici id possit.

Saepissime, ait Synod. Taurin. Christifideles edoceantur, quam utile sit in pro-

mnino privatus. E contra non licet eorum imaginibus radios vel aureolas apponere, nec lampadas appendere ad eorum sepulchra.

Art. II.

De devotione

494. — *Q.* Quid est devotio?

R. Devotio, ait S. Th. (2^a 2^{ae}, q. 81, a. 1), dicitur a *devovendo*, unde devoti dicuntur qui se ipsos quodam modo Deo devovent, ut ei se totaliter subdant. Quare devotio a S. Th. definitur: *Voluntas prompte se tradendi ad ea quae pertinent ad Dei famulatum.* Haec autem promptitudo et expedita voluntas non consistit in quadam animi teneritudine et sensibili affectu quo quis aliquando in Deum fertur, sed in pio animi motu, et prompta efficacique voluntate Deo serviendi. Equidem devotio plerumque adjunctam sibi habet quamdam animi suavitatem et dulcedinem; at vera devotio sine hujusmodi affectibus stare potest; permittit enim interdum Deus, ut animae aliquando in Dei famulatu tristitias et ariditates patiantur, sive ne forte ab humilitate excidant, sive ut in sanctitate quam maxime proficiant[1].

495. — *Q.* Quaenam causa devotionis; et quinam ejus effectus?

R. Causa devotionis, ex S. Th., duplex est: una extrinseca et principalis, nempe *Deus*, qui quos dignatur vocat, et quem vult religiosum et devotum facit; altera intrinseca ex parte nostra, nempe *meditatio* seu consideratio divinae bonitatis et beneficiorum ejus[2].

Effectus devotionis, ex eodem S. Th., duplex quoque est: primus est spiritualis *laetitia* ex consideratione divinae bonitatis et beneficiorum ejus, sed non semper devotio hunc effectum parit; secundus est salutaris quaedam *tristitia* ex consideratione nostrae infirmitatis[3].

priis domibus et in quavis domorum parte sacras Imagines habere, quum ab earum conspectu mens et cor semper ad res divinas et aeternas extollantur. Excitentur propterea ad suas domos sacris Imaginibus exornandas, atque ad has Imagines collocandas etiam in publicis viis et plateis et in agris, haec enim publica Ss. Imaginum expositio ad pietatem et devotionem ubique fovendam maxime confert.

Reliquiae, Imagines etc.: eadem cultus specie colendae sunt ac personae ad quas spectant vel quas repraesentant; cultu tamen, non absoluto, sed respectivo seu relativo.

Reliquia S. Crucis a caeteris Reliquiis non spectantibus ad D. N. J. C. separetur, et in theca sibi propria reponatur. S. C. Indulg. 22 Feb. 1847.

Vetitum est Imaginem Crucifixi collocare ad pedes Reliquiarum, vel Imaginum B. M. V. vel Sanctorum; sed Imagines B. M. V. vel Sanctorum ponantur ad pedes Crucifixi; nam Imagini D. N. J. C. cultus latriae tribuendus est; aliis vero cultus vel hyperduliae, vel duliae.

Tandem, dum sacrae Reliquiae expositae manent, duo saltem cerei ante eas jugiter ardeant, alias non exponantur.

[1] *Devotio essentialis et accidentalis.* Ascetici devotionem distinguunt in essentialem et accidentalem. Prior tota consistit in voluntate prompte et semper faciendi quidquid Deo placuerit. Secunda consistit in quadam spirituali sensibilitate et suavitate. Prior, quae sine altera consistere potest, est vera devotio et magis meritoria. Talis fuit devotio Christi in horto olivarum. Secunda tamen non est condemnanda, ut contendebat Molinos; nam actus devotionis non solum faciliores reddit, sed vim praebet ad ipsos exercendos majori frequentia et perfectione.

[2] S. Th., 2^a 2^{ae}, q. 82, a. 3.

[3] Confessarius conversioni peccatorum in primis attendere debet. At postquam huic operi maximae necessitatis operam navaverit, etiam devotionem et

ART. III.

De oratione.

496. — *Q.* Quid est oratio, et quomodo dividitur?

R. Oratio, lato sensu, est *elevatio mentis in Deum;* strictiori sensu ex S. Th. definitur: *Petitio decentium a Deo.*

Oratio alia est mentalis, alia vocalis. — *Mentalis* sola mente fit, at non consistit in statu otii et

profectum animarum piarum colere tenetur. « Confessarii, ait S. Alph. (Hom. Ap. Tr Ult. Append. 1), non solum debent evellere vitia ex suis poenitentibus, sed etiam debent in illis virtutes inserere. Non sunt quidem expellendi peccatores, sed simul opus est Deo valde acceptum sponsas illi adornare, animas scilicet spirituales excolere, ut in totum se illi donent, tradantque. Acceptior est ejus oculis anima una perfecta, quam mille imperfectae. Unde cum videt confessarius poenitentem vivere immunem a culpis mortalibus, omnem curam adhibere debet ut eum in viam perfectionis et divini amoris introducat, illi repraesentando quantum dignus est Deus qui ametur, et gratitudinem quam debemus Jesu Christo, qui nos amavit usque ad moriendum pro nobis, nec non periculum in quo versantur omnes animae, quae vocatae a Deo ad vitam perfectiorem, illi resistunt » Quum igitur finis devotionis sit animas facilius ad perfectionem ducere, confessarium oportet tria haec sedulo considerare.

1. *Excellentiam devotionis.*

Vera devotio, ait S. Franciscus Salesius, amorem Dei praesupponit; imo est ipse amor Dei, non tenuis quidem, sed ad talem perfectionis gradum perventus, ut nos inducat non solum ad bonum faciendum, sed ad illud prompte et diligenter faciendum. Devotio igitur in quodam gradu excellentis caritatis consistit; ipsa promptos et diligentes nos reddit non solum ad servanda omnia Dei praecepta, sed etiam ad facienda semper quae Deo sunt placita. Quare fundamentum verae devotionis consistit in adimpletione praeceptorum Dei et Ecclesiae, et obligationum proprii status; et qui hujusmodi praecepta obligationesque non adimplet veram devotionem habere nequit. Ut autem quis vere sit devotus opus est ut Dei et Ecclesiae praecepta, nec non obligationes proprii status prompte et diligenter adimpleat.

2. *Errores circa devotionem.*

Circa devotionem duplex hominum classis errat. — Primo loco errant qui devotionem sibi fingunt juxta proprium ingenium. Alii, v. g. qui jejunio dediti sunt, putant se esse devotos quia saepius jejunant, licet in corde odio in proximum tabescant. Alii multum tempus insumunt in oratione, ideoque existimant se devotos, licet lingua sua domesticos et vicinos mordeant. Alii devotionem confundunt vel cum externa corporis compositione, vel cum frequentia Sacramentorum, vel cum sensibili dulcedine spirituali, vel cum ipsa sanctitate. Sicut igitur una datur vera devotio, ita multiplex datur devotio falsa et incompleta. — Secundo loco errant qui exercitia devota condemnant et reprehendunt. Adsunt quidam catholici qui, ad instar Protestantium, exercitia pietatis et devotionis uti res superstitiosas habent, ac veluti impedimenta ad alia munia maximi momenti obeunda. Certe exercitia pietatis non sunt ipsa virtus; ipsam tamen nutriunt ac fovent. Exemplum autem D. N. J. C. qui erat pernoctans in oratione Dei, quique loquens de caritatis et pietatis operibus ait: *haec oportet facere et illa non omittere,* nec non ipsa experientia praedicta effata uti falsa et erronea condemnant.

3. *Media ad veram devotionem assequendam.*

Confessarius suos poenitentes ad perfectionem per veram devotionem ducat, ipsos edocendo perfectionem non in pluribus, sed in bene faciendo quae proprii status sunt, consistere, ea nempe faciendo ex pura et recta intentione Deo soli placendi, ejus gloriam promovendi ejusque voluntatem in omnibus faciendi. Ad id autem assequendum sequentia media suggeret.—Ambulare coram Deo, et omnem fiduciam collocare in Ipso, et omnino diffidere de se et de suis bonis propositis. — Habere ardentissimum desiderium amandi Deum, illique unice placendi.—Habere magnam uniformitatem divinae voluntati in omnibus rebus appetitui nostro contrariis, et pluries in die se Deo offerre.—Longe se habere ab omnibus rebus, et renuntiare propriae aestimationi et voluntati.—Dirigere in-

quietis seu suspensionis ab operationum exercitio, ut docebant Quietistae, sed mentalis dicitur quia in sola mente perficitur et consummatur. — *Vocalis* vero mente simul et linguae ministerio peragitur. Oratio vocalis a mentali vim suam obtinet, neque enim quidquam prodest strepitus oris muto corde [1].

Oratio *mentalis* dividitur in meditationem et contemplationem. Unde oratio *mentalis*, rigorose loquendo, latius patet quam id quod meditationem appellare solemus. — *Meditatio* est pia consideratio tum attributorum Dei et ejus beneficiorum, tum egestatis nostrae ad concipiendum devotionis fervorem. Haec autem meditatio duplici modo fieri potest: 1° modo *speciali* seu cum *speciali forma et methodo*, prout fieri solet a religiosis et ecclesiasticis viris et a quibusdam personis piis; 2° modo *generali*, nempe omissa speciali forma et methodo, considerando simpliciter in genere veritates fidei, vel per frequentem auditionem verbi Dei, vel per lectionem spiritualem, etc. — *Contemplatio* autem est elevatio mentis in Deum suspensae, aeternae dulcedinis gaudia degustantis. Meditatio, inquit Collet, petit et pulsat ut sibi aperiatur; contemplatio gustat et fruitur.

Oratio *vocalis* dividitur in publicam et privatam. *Publica* dicitur quae fit auctoritate et nomine Ecclesiae, et in forma ab ipsa praescripta. Si una ex his conditionibus deest *privata* vocatur [2].

497. — *Q.* Quaenam necessitas orationis?

R. Oratio, stricto sensu accepta, nempe petitio, omnibus adultis necessaria est necessitate *praecepti divini*. Hoc certum est; Christus enim dixit: *Oportet semper orare et non deficere* [3].

tentionem placendi Deo in quacumque actione quotidiana sive spirituali sive corporali, speciatim vero attendere orationi mentali. — Alere specialem devotionem erga SS. Eucharistiam, Passionem et SS. Cor D. N. J. C., erga B. M. V., S. Josephum, Angelum Custodem, Sanctos tutelares, etc. — Cavere a quocumque etsi minimo defectu deliberato, seu apertis oculis commisso. Commisso autem aliquo defectu, non tristari, sed statim se humiliare, ad Deum confugere per brevem actum doloris, et renovare propositum de illo defectu se emendandi, ac dein se in pace componere, et ita se gerere etiamsi centies in die quis caderet. — Omnes virtutes colere, praesertim humilitatem, mortificationem, patientiam, caritatem et suavitatem in proximum, maxime vero exactam obedientiam regulis et praeceptis Superiorum et Directoris spiritualis.

De modo autem dirigendi animas pias et devotas, dicetur in Tractatu de Poenitentia, cap. IX.

[1] Orationi mentali et vocali addi potest tertia orationis species, quae *vitalis* dicitur, quaeque consistit in sancta vita, omnes actiones nostras ad Deum referendo. « Antiqui SS. Patres, ita S. Franciscus Salesius (Sermones familiares, Serm. 47), qui de oratione locuti sunt, tres species orationis commemorant, nempe orationem mentalem, vocalem, et vitalem. Loquamur in primis de oratione vitali... Omnes actiones eorum qui in timore Dei vivunt, sunt continuae orationes, et omne quod agunt oratio vitalis vocari potest ». — De hac oratione vitali, nempe quod semper orat qui bene vivit, loquitur etiam piissimus Blosius: « Quid aegre fers quod non possis jugiter instare precibus? Si bene vivis, si a peccatis sedulo abstines, si tempus utiliter expendis, si te in conspectu Domini vere humilias, Deum et coelestem patriam suspiras, semper precaris; sancta enim vita sanctumque desiderium, coram Deo assidua oratio est. Oportet tamen te precandi studio esse deditum, ut si non continenter, certe frequenter piis doxologiis atque orationibus vaces ». *Manuale vitae spiritualis*, c. XXIV, n. 3.

[2] *Marc.* 531.

[3] Luc., XVII, 1.

Imo oratio, probabilius[1], est etiam adultis necessaria necessitate *medii*. Illud enim est necessarium necessitate medii, sine quo, attento divinae Providentiae ordine, salus obtineri nequit; atqui, attento divinae Providentiae ordine, salus sine oratione obtineri nequit; ergo..... Hinc Conc. Trid. possibilitatem implendi praecepta divina repetit ab oratione, quam propterea ut necessariam habet ad salutem: « Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et *petere quod non possis*, et adjuvat ut possis » [2].

498.—*Q.* Oratio, seu petitio, quandonam obligat?

R. Oratio, seu petitio obligat aliquando per se, aliquando per accidens. Obligat *per se*: — 1° *Initio vitae moralis,* quando scilicet homo rationis usum adipiscitur; tunc enim ex se tenetur ad Deum se convertere, eumque tamquam omnium bonorum fontem agnoscere, et fidei, spei ac caritatis actus elicere, quae omnia sine oratione praestare nequit.—2° In *periculo mortis;* tunc enim maxime necessaria est perseverantia finalis, quae obtineri nequit sine oratione. — 3° *Saepius in vita,* ut impleatur illud Christi: *Vigilate omni tempore orantes..... Oportet semper orare.* Quae verba non probant singulis physice momentis orandum esse, quod foret impossibile, sed orandum esse omni tempore opportuno, idest, ut ait S. August., *per certa intervalla horarum et temporum* [3]. — Quo autem praeciso tempore obliget hoc praeceptum, dissident Th. Alii volunt semel in anno; alii semel in hebdomada, quod nimis rigidum certe videtur; alii vero communius et probabilius volunt semel in mense, vel saltem in bimestre.—Ceterum, merito adnotat Concina, confessarius magis sollicitus esse debet in inculcanda necessitate frequenter orandi, quam in determinanda omissionis gravitate.

Obligat *per accidens* vero: — 1° quando urget gravis tentatio, quae alias vinci nequeat;--2° quando urget aliquod praeceptum, quod impleri nequeat sine oratione;— 3° quando urget magna calamitas populi aut proximi [4].

499.—*Q.* Peccat ne qui preces matutinas vel vespertinas omittit?

R. Si aliqua vice tantum omittit, *per se* non peccat ne veniali-

[1] S. Alph., L. III, *in initio.*

[2] Sess. VI, cap. XI. — Quoad orationem, S. Alph. haec habet: « Varios libros de rebus spiritualibus tractantes in lucem edidi, sed opinor omnibus aliis utilius esse hoc opus (*Gran mezzo della preghiera*); in eo enim loquor de oratione, quae medium necessarium est et certum ad consequendam salutem aeternam et gratias ad id necessarias. Ex una parte maximam necessitatem cognosco orationis, quam S. Scriptura et SS. Patres una voce commendant, et ex altera fideles video, heu! quam parum orationi incumbere. Et quod magis dolendum est, scio ipsos praedicatores et confessarios suis auditoribus et poenitentibus parum de oratione loqui, dum nil aliud tam assidue commendare deberent. Commendant quidem ipsi alia media ad perseverantiam in Dei gratia obtinendam, uti fugam occasionum, frequentiam Sacramentorum, meditationem novissimorum, auditionem verbi Dei, et alia hujusmodi media quae certe utillima sunt; sed illa media quid prosunt sine oratione, seu petitione, quum Dominus dixerit se gratias non concedere nisi petentibus? *Petite et accipietis* ».

[3] Praedicta verba: *Oportet semper orare*, a nonnullis Th. accipiuntur etiam de oratione late et improprie sumpta, et in primis de oratione vitali supradicta, quasi diceretur: *Oportet semper bene vivere, et nunquam peccare.*

[4] S. Alph., L. III, *in initio.*

ter quidem, quia nulla est lex quae illas preces singulis diebus et certis horis praecipiat. Dixi : 1° *si aliqua vice*, quia si omissio ad longum tempus protrahatur, nec omissio per alios actus religionis, vel per alias preces saltem breviores reparetur, tunc qui ita se gerit jam deest orationis praecepto, quod obligat saepius in vita, ut dictum fuit. Dixi : 2° *per se*, quia *per accidens* venialiter peccare potest vel ratione acediae, vel ratione periculi, ex defectu orationis, in aliquod peccatum prolabendi.

Parochi vero et Confessarii saepius fideles adhortentur ut non solum has preces attente ac devote recitent, sed etiam ut, decurrente die, interdum mente et cor elevent ad Deum per aliquas breviores preces *jaculatorias* dictas ; haec enim *praxis* quantum conferat sive ad tentationes cito repellendas, sive ad virtutes alacriter exercendas, salutari experientia comprobatum est.

300. — *Q.* Meditatio est ne necessaria ?

R. Si agatur de meditatione modo *speciali* peragenda, seu cum speciali forma et methodo, certe haec non est necessaria ; sive quia consideratio veritatum aeternarum sine illa speciali forma fieri potest, sive quia non omnes meditatione methodica capaces sunt [1].

Si vero agatur de meditatione

[1] Cl. Frassinetti (Tr. XVI, Dissert. XV) lectorem admonet ut attente retineat distinctionem superius positam inter meditationem speciali forma et methodo, et meditationem modo generali faciendam ; et animadvertit plures auctores exaggerasse necessitatem meditationis priori modo sumptae. Auctoritates S. Scripturae et SS. Patrum, quas nonnulli referunt pro necessitate meditationis speciali forma et methodo faciendae, necessitatem tantum probant ab omnibus admissam tum orationis attentae ac devotae, tum saepius novissima memorandi ; sed ad hoc adimplendum necessaria non sunt nec praeludia, nec locus, nec tempus determinatum. Praeterea haec alia consideratio facienda est et quidem magni ponderis, nempe Deum permisisse quod necessitas meditationis speciali forma et methodo faciendae aperte denegata fuerit ab illis duobus magnis magistris scientiae spiritualis, nempe a S. Joanne a Cruce (Tract. de spineis, Coll. VIII), et a S. Theresia (Semita perfectionis, cap. XIX et XXIV). Neque hujusmodi necessitas admissa fuit a magistris vitae spiritualis ante saeculum XVI ; hoc vero evidenter patet ex eo quod ante saeculum XVI nullus habetur liber continens meditationes juxta specialem formam et methodum.—Insuper nunquam obliviscenda est haec veritas : In Ecclesia Christi semper extitisse, et nunquam defuisse quidquid saluti animarum, earumque sanctificationi necessarium est. Diuturna autem experientia evidenter probat defectum hujus meditationis speciali modo sumptae nunquam obstitisse quominus sacerdotes vel laici omnia proprii status munera rite adimplerent et viam perfectionis aggrederentur.

Ad salutem igitur et ad sanctificationem animarum puto semper suffecisse tum orationem vocalem attentam ac devotam, quae in orationem mentalem late sumptam refunditur, tum frequentem commemorationem novissimorum. Haec videtur esse oratio mentalis a S. Scriptura et SS. Patribus admodum commendata, et ab omnibus Sanctis semper peracta, quae fuit, est, et semper necessaria erit ad fidem excitandam inter fideles, sive Sacerdotes sive saeculares, ut omnes in observantia divinae legis perseverent, vitam caritatis operibus plenam ducant, et efficaciter ad perfectionem tendant.

Nolim tamen ut aliquis putet me ex hucusque dictis negare aut in dubio ponere *utilitatem* meditationis speciali forma et methodo faciendae. Quod haec meditatio utilis sit, et plura bona afferat iis qui huic piae praxi incumbunt res evidens est, et aliter docere stultitia esset et temeritas. Praemissis hisce observationibus, si Confessarius summo mane surgens tempus habet ad meditationem stricte sumptam faciendam, quin differre debeat ministerium audien-

modo *generali* peragenda ut diximus, tunc meditatio, etsi necessaria non sit ad aeternam salutem consequendam, sicuti est necessaria oratio stricte dicta, seu *petitio*, est tamen *moraliter necessaria* animabus, ut in Dei gratia perseverent: *primo*, quia anima quae orationi mentali non incumbit non videt quantum intersit negotium suae salutis aeternae, et viam quae tenenda est ut illuc eat non prospicit; *secundo*, quia anima quae non meditatur non orat, et ita perit [1]. — Hinc S. Alph [2]. loquens de oratione mentali, quammaxime conqueritur quod multi Confessarii nec ipsi faciant, nec curent ut quidam poenitentes, qui aliunde desiderium et dispositionem haberent, faciant orationem mentalem, et exclamat: *Oh quot animas possent ipsi ad viam perfectionis dirigere, easque a recidivis in peccata gravia liberare, si adhiberent hanc tenuem industriam dirigendi eas per viam orationis!* [3].

di confessiones, ipsam non omittat, ex ea enim plura bona spiritualia hauriet. Si e contra tempus urget audiendi confessiones ita ut, si meditationi attendere velit, confessiones poenitentium differre debeat, tunc ei suaderem ut, meditatione ad tempus opportunius dilata, sine alia mora ad confessiones audiendas accedat; in die vero et hora opportuna suae meditationi vacabit; quod si nec in decursu diei plura officia quibus attendere debet ipsi permittunt meditationi vacare, tunc ei satis erit omnia in nomine D. N. J. C. peragere, et unum vel alterum caput v. g. *De imitatione Christi* legere, ut praesentiae Dei saepius in die attendat, et frequenter pios affectus ad Ipsum dirigat.

Et in alio aureo opusculo (*Manuale del Parroco Novello*) idem auctor scribit: Caveat Parochus ne, sub specioso praetextu adimplendi plura et continua proprii ministerii officia, se a pia praxi orationis mentalis totaliter eximat; hoc nimis damnosum esset et sibi et ipsis suis parochianis; esset enim moraliter impossibile quod talis parochus qui habitualiter operibus exterioribus totaliter se insumit, quin sibi ipsi attendat, verum spiritum ecclesiasticum servet. Quapropter, si opus sit, operibus exterioribus quamvis optimis quamdam limitationem ponat, ut paulisper orationi mentali vacare possit. Unde sicut damnandus esset rigor excessivus eorum qui a Parocho *quotidianum* exercitium meditationis absolute exigerent, ita damnandus esset laxismus eorum qui, sub specioso praetextu plurium obligationum, ipsum a meditatione *habitualiter* dispensarent.

501. — *Q.* Quinam effectus orationis?

R. Oratio rite facta tres habet

[1] S. Alph. Hom. Ap. *Append.* IV, § 3°.

[2] S. Alph. Hom. Ap. *Append.* I, 4.

[3] Hic docere juvat modum orationem mentalem faciendi. « Haec, ait S. Alph. (Hom. Ap. *Append.* IV, § 3°), tribus constat partibus: praeparatione, meditatione et conclusione.

« In *praeparatione* tres continentur actus, Fidei nempe de Dei praesentia, humilitatis et petitionis, ut illustretur anima, dicendo ex. g. 1° Deus meus, credo te esse mihi praesentem, et de abysso meae vilitatis te adoro, 2° Domine mi, propter peccata mea nunc in inferno mihi esset morandum, me poenitet offendisse te, parce mihi propter tuam pietatem. 3° Pater aeterne, propter Jesum et Mariam praebe mihi lumen in hac oratione ut ex illa animae meae profectum percipiam. Deinde dicatur *Ave* ad Mariam SS. ut hanc lucem ipsa impetret, et *Gloria Patri* ad S. Josephum, ad Angelum Custodem, et ad Sanctos advocatos. Hi actus fiant attente, sed breviter et statim ad meditationem procedatur.

« Pro *meditatione* juvat aliquo libro uti, sistendo ubi animus motum se magis sentit. Dicit S. Franciscus Salesius, quod in hoc apes imitari debemus quae insident in flore donec mel exhauriant, et deinde ad alium transeunt. Qui vero legere nescit, meditetur Novissima, beneficia Dei, et maxime Vitam et Passionem D. N. J. C.

« Hic advertendum est orationis mentalis profectum non tantum in meditatione consistere, quantum in affectus eliciendo, in petendo et deliberando; hi sunt tres fructus meditationis..... Juvat maxime in oratione petitiones repe-

effectus, nempe est: 1° *meritoria*, cum sit opus bonum, et quidem meritoria de condigno si orans sit justus, secus de congruo; 2° *satisfactoria*, quia vix caret aliquo incommodo; 3° *impetratoria*, et quidem certe et infallibiliter si petantur ad salutem aeternam necessaria vel utilia, et oratio debite fiat et pro nobismetipsis.

Porro oratio, qua meritoria, prodest oranti soli; qua vero satisfactoria et impetratoria, et sibi et aliis prodesse potest: sed qua impetratoriâ aliis prodesse potest si Deo placuerit, et quantum ipsi placuerit [1].

502. — *Q.* Quaenam efficacia orationis, et quaenam conditiones ut oratio infallibilis sit efficaciae?

R. Oratio, peracta cum debitis conditionibus, est infallibilis efficaciae, quia sic Christus promisit: *Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Omnis ergo, sive justus sit sive peccator, exaudietur, modo bene oret; unde si a-

tere cum humilitate et fiducia, a Deo lucem suam, peccatorum remissionem, perseverantiam, bonam mortem, paradisum, et prae ceteris donum sancti amoris sui expostulando..... Summa haec est; quod si ob spiritus desolationem in qua forte anima reperiatur, aliud efficere non potest, sibi satis erit Davidis petitionem repetere: *Deus, in adjutorium meum intende. Domine, adjuva me. Succurre mihi; mihi praesto sis.* Dicebat V. P. Paulus Segneri experientia se doctum fuisse, nullum utilius pro animabus extare exercitium in meditatione, quam iterum atque iterum petere. Et opus est petere nomine sive meritis Jesu Christi, qui nobis perspicue promisit: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Io., XVI, 23.

« Necesse est in oratione (saltem in fine illius) aliquod propositum sibi statuere, non tantum in generali, uti esset omnem culpam deliberatam etiam levem aufugere, et se totum Deo tradere; sed etiam in particulari, v. g. maiore attentione ab aliquo defectu se custodire, in quem frequentius incursum est, aut meliori modo quam prius aliquam virtutem exercere, v. g. patientius talis personae sufferre molestiam, obedire diligentius tali Superiori, aut tali regulae, vigilantius in tali et tali re se mortificare. Ab oratione ne discedamus, nisi aliquod particulare propositum statuerimus. (Expedit vero quam maxime diutius insistere in eodem proposito particulari, et ad aliud non progredi, donec notabilis profectus in eodem proposito obtentus fuerit).

« Denique orationis *conclusio* tribus

fit actibus: 1° Gratiae Deo agantur de inspirationibus in meditatione habitis. 2° Proponatur adamussim deliberationes factas observare. 3° Petatur ab aeterno Patre, propter Jesum et Mariam, auxilium ad hoc necessarium. Et terminetur Deo commendando animas purgatorii, Ecclesiae Praelatos, peccatores, et omnes nostros conjunctos, amicos et benefactores, recitando *Pater* et *Ave*, quae sunt preces omnium utilissimae, quas a Jesu Christo et sancta Ecclesia didicimus.

« Oportet autem cum ab oratione discedimus: 1° Colligere, ut dicit S. Franciscus Salesius, florum fasciculum, ut quotide odoratu de eo oblectemur, nempe unum aut alterum punctum, in quo anima magis mota est, ad hoc ut in diei progressu illius recordemur. 2° Curare ut statim deliberationes factas in occasionibus, quae nobis occurrent, tam exiguis quam magnis, in praxim deducamus. Prae ceteris denique director a poenitente postulet utrum fidelis fuerit an non in meditatione facienda, ipsumque incessanter hortetur ne ipsam omittat, necnon animet tempore aridatis, et ne unquam turbetur, licet per longum tempus desolatione videatur premi ».

Si autem poenitens capax non est meditationem speciali forma et methodo facere, curet Confessarius ut saltem, arrepta occasione ex iis quae videt, v. g. coelum, terram, florem, ignem, funus, maxime vero Crucifixum, pias et salutares reflexiones faciat, una cum piis affectibus, et petitionibus, uti supra dictum fuit.

[1] *D'Annibale*, II, 21, 35.

liquando quis non exauditur, hoc est quia oratio male facta est, juxta illud Jacobi: *Petitis, et non accipitis; eo quod male petatis.* [1]

Conditiones ut oratio sit infallibilis efficaciae tres sunt: 1° Ut quis petat pro se ipso; nam Christus dixit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ergo, ait S. Aug., non utcumque dictum est, *dabit*, sed *dabit vobis* qui oratis; et aliunde, ii pro quibus nos oramus, quum libertate gaudeant, efficaciae orationis obicem ponere possunt. 2° Ut quis petat necessaria ad salutem; non enim petit in nomine Christi, si petit contra rationem salutis. 3° Ut petat cum humilitate, fiducia et perseverantia.

503. — *Q.* Quaenam bona oratione peti possunt?

R. Bona alia sunt spiritualia, uti beatitudo et media ad illam ducentia, puta virtutes et gratia, alia temporalia. *Spiritualia* absolute petenda sunt, quia iis abuti non possumus, vultque Deus ut ea absolute petamus. *Temporalia* nonnisi sub conditione, si saluti animae expediant, petenda sunt.

Potest etiam quis sibi vel aliis petere mala *poenae*, ut egestatem, infirmitatem, mortem (sic Paulus cupiebat *dissolvi, et esse cum Christo),* dummodo haec oratio sit juxta caritatem, et dirigatur in bonum finem, ad salutem aeternam conducentem. Equidem nemini licet haec mala poenae sibi inferre, quia homo jus non habet, sed bene potest homo haec mala poenae petere a Deo, quia Deus est Dominus vitae ipsius. — Caveat tamen confessarius ne haec petitio, ut interdum fit, ex secreta praesumptione oriatur.

[1] Jac., IV, 3.

504. — *Q.* Evagatio voluntaria in oratione est ne peccatum?

R. Si oratio est libera, seu non est sub praecepto, vel est sub praecepto solum veniali, tunc evagatio voluntaria est peccatum veniale; quia aliquam irreverentiam continet erga Deum; imo nullum erit peccatum si non tam intendat orare, quam, verba precum recitando, pio exercitio se occupare, quia non formaliter, sed materialiter tantum orat.

Si vero oratio est sub praecepto et quidem gravi, et evagatio voluntaria tanta sit ut propterea quis in proximo periculo constituatur non pronuntiandi orationem quam sub gravi dicere tenetur, v. g. formulam consecrationis, tunc certe est peccatum mortale. — Secluso hoc casu, utrum sit mortale an veniale tantum, disput. Th. S. Alph. dicit quod culpabilis evagatio mortalis erit quando notabilis est, et attentio requiratur ad implendum praeceptum obligans sub mortali, v. g. in celebranda missa [2].

505. — *Q.* Quinam sunt orandi?

R. Solus Deus est orandus ut auctor principalis omnium bonorum et auctor gratiae; B. M. V., Angeli et Sancti, uti intercessores et advocati. — Infantes qui statim post baptismum mortui sunt, cum certum sit eos aeterna gloria frui, possunt quidem invocari privatim, non vero publice, nisi sint ab Ecclesia cultu publico condecorati, uti Ss. Innocentes ab Herode in odium Christi occisi.

506. — *Q.* Animae in purgatorio degentes possunt ne intercedere pro nobis?

R. Disput. Th. Alii negant, quia

[2] S. Alph., L. V, 84, in fine.

animae in Purgatorio detentae non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro ipsis. Alii tamen affirmant, cum sint Deo acceptae, etsi nostris indigeant suffragiis. Ita Bellarminus, Estius, Gotti, Lessius et alii.

507. — *Q.* Adest ne praeceptum B. M. V. et Sanctos invocandi?

R. — **1.** Ecclesia catholica nullatenus docet invocationem Sanctorum ad salutem *absolute* necessariam esse, nam jam Estius ajebat: « Liberam esse hanc pietatem: consuli, non praecipi, suaderi exmplo, non imperio »[1]. Trid. tamen contra Protestantes promulgavit: *Bonum et utile esse suppliciter eos invocare*[2]. — Dixi: *absolute;* fieri enim potest ut quis teneatur ex Ecclesiae praecepto B. M. V. vel Sanctos invocare, ut ii qui Sacra faciunt, et qui ad horas canonicas adstric i sunt.

2. An adsit praeceptum singulos fideles adstringens, disput. Th. Alii negant, quia hujus praecepti vestigium non habetur neque in Scripturis, neque in Traditione. Alii tamen plurimi, praeeunte Angelico et Cath. Rom., affirmant etiam singulos ad id teneri; cum enim constituerit Deus ut inferiores ad salutem perveniant implorato superiorum subsidio, hunc ordinem legis naturalis servare debemus. Quod praecipue de B. M. V. dicendum est. Quare saltem invocationem B. M. V., quae nostrum omnium est dulcissima Mater, etsi non de absoluta, de morali tamen necessitate, praescriptam colligitur ex SS. Patribus, et communi sensu fidelium[3].

3. Conveniunt vero Th. quod hoc praeceptum extat respectu totius communitatis fidelium, seu Ecclesiae. Qui enim Sacra faciunt, seu Sacerdotes dum Missam celebrant, ut jam supra dictum est, et qui ad horas canonicas adstricti sunt, tenentur absque ullo dubio B. M. V. vel Sanctos colere et invocare quorum missam celebrant, vel officium recitant.

508. — *Q.* Pro quibus orandum est?

R. Quod attinet *ad vivos,* non solum pro nobis, sed etiam pro omnibus viatoribus, sive sint fideles sive infideles, sive peccatores, orandum est. — Huic vero muneri pro omnibus orandi satisfacit qui, licet inter orandum nullam aliorum memoriam faciat, tamen in precibus quae non pro se tantum sed pro omnibus funduntur, cujusmodi sunt Oratio dominica, Salutio angelica, etc., neminem positive excludit.

Quod attinet *ad mortuos,* non licet orare *pro beatis,* quia nulla re indigent; neque *pro damnatis,*

[1] *Knoll,* de invoc. Sanct.

[2] Mandat sancta Synodus omnibus Episcopis et caeteris docendi munus curamque sustinentibus, ut...fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos,una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere; illos vero qui negant Sanctos, aeterna felicitate in coelo fruentes, invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum Jesu Christi, vel stultum esse in coelo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire. *Sess. XXV.*

[3] *Del Vecchio,* I, 663.

quia sunt in statu termini, et precibus nostris nullo modo juvari possunt. *Pro animabus in purgatorio detentis* pium est et utile orare: Est de fide ex Concilio Trid[1]. Et constat ex Script. Sacr.: *Sancta enim et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur*[2].

CAPUT II.

De vitiis Religioni oppositis, seu de superstitione et irreligiositate.

ART. I.

De superstitione.

509. — *Q.* Quid est superstitio et quomodo distinguitur?

R. Superstitio definitur a S. Thoma.[3]: *Vitium quo quis exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.* — Duplex igitur distinguitur superstitio; una ex parte *objecti,* seu cultus falsi numinis; altera ex parte *modi,* seu cultus vero Deo quidem tributus, sed modo inordinato.

Porro ex parte *objecti,* tres adsunt superstitionis species; *idololatria, divinatio,* et *vana observantia.* — Si creatura tamquam Deus loco Dei colitur, *idololatria,* dicitur. — Si a creatura tamquam a Deo petitur cognitio occultorum, *divinatio* vocatur. — Si denique ad creaturam tamquam ad Deum recurritur ad auxilium, vel ad certum effectum obtinendum, *vana observantia* appellatur.

Ex parte *modi* vero cultus inordinatus potest esse *falsus,* vel *turpis,* vel *superfluus.* — Cultus *falsus* est qui falsam habet significationem; ut si quis Deum coleret caeremoniis judaicis, quia hae Christum adhuc venturum significant; si laicus missam celebraret; si quis ritus adhiberet ab Ecclesia reprobatos; si falsas revelationes aut falsa miracula divulgaret; si alicui imagini specialem virtutem falso tribueret; si falsas reliquias fidelium venerationi proponeret, etc. — *Turpis,* qui aliqua continet Deo injuriosa; ut si quis in suis precibus induceret verba inhonesta aut contumeliosa. — *Superfluus* denique, qui ex se nihil confert ad verum cultum Deo tribuendum; ut si quis Missam non vellet audire nisi a tali sacerdote, tali die, hora et similia[4].

510. — *Q.* Cultus falsus, turpis, superfluus quodnam peccatum est?

R. — I. Cultus *falsus* aut *turpis* est *per se* peccatum mortale. Ex parte materiae vix aut ne vix quidem fit veniale; quia primae veritati injuriam irrogat, et mendacium continet, quod in his quae ad religionem pertinent, maxime perniciosum est. Ex parte actus tamen saepe excusant a mortali ignorantia aut simplicitas[5].

II. Cultus *superfluus,* secluso scandalo aut formali contemptu, per se est tantum veniale, quia materia est levis, nec actiones illae in se malae sunt[6].

—

[1] Sess. VI, c. 30 et Sess. XVII, c. 3.
[2] II. Mach., c. 12, 46.
[3] 2a 2ae, q. 92, a. 1.
[4] Parochi,concionatores,catechistae et ii omnes qui munus populum christianum erudiendi habent, enumerent tantum eas superstitiones quae notae sunt in suis regionibus, ne alias potius edoceant, quam ab eis avertant. *Gousset.*
[5] S. Alph., L. III, 3.
[6] S. Alph., L. III, 4.

§ 1°

De idololatria.

511. — *Q.* Quid est idololatria et quomodo dividitur?

R. Idololatria est *superstitio qua tribuitur honor creaturae sicut Deo.*

Id vero fit non tantum sacrificio, sed etiam quovis signo honoris, quo quis creaturae, tamquam Deo, se submittere intendit, v. g. genuflexione, suffitu, detectione capitis ad statuam Jovis, etc.

Idololatria duplex est. Una *materialis* seu *simulata,* et est quando quis sine interno affectu, ex metu v. g. mortis, creaturae divinum cultum praestat; altera *formalis,* quae subdividitur in perfectam et imperfectam. Formalis perfecta est quando aliquis ex errore intellectus adorat idolum quod reapse putat esse Deum; formalis imperfecta vero est quando quis vel ex odio Dei, vel ex affectu aliquid obtinendi a daemone vel ab alia creatura, ipsi quasi Deo cultum defert.

512. — *Q.* Idololatria quodnam peccatum est?

R. — I. Idololatria, etiam solum materialis et simulata, per se est peccatum mortale; - ratio, quia est saltem mendacium perniciosum et contra religionem, saepe etiam exterior professio falsae religionis [1].

II. Idololatria formalis, sive perfecta sive imperfecta est semper peccatum mortale; sed imperfecta est peccatum gravius quam perfecta: nam perfecta, cum ex errore intellectus procedat, ob ignorantiam aliquo modo excusatur; at imperfecta, cum procedat ex mera malitia voluntatis, majorem injuriam Deo affert.

§ 2°

De divinatione.

513. — *Q.* Quid est divinatio, et quomodo distinguitur?

R. Divinatio, seu *divina notio,* est *inquisitio occultorum ope daemonis* [2].

Divinati duplex distinguitur, expressa et tacita. — Divinatio *expressa* est quando daemon expresse invocatur vel per verba, vel per aliquod factum, per quod quis scit aut intendit daemonem invocare. — Divinatio *tacita* est quando daemon tacite seu implicite invocatur; ut cum quis ad aliquid cognoscendum, utitur mediis vanis et naturaliter improportionatis; unde quaevis occultorum cognitio quae certe haberi non potest nec ex vi naturali, nec ex casu fortuito, nec ex ulla hominum arte aut industria, divinationi adscribi debet [3]. In hoc enim casu patet quod illa occultorum cognitio a daemone tantum expectari potest, qui tunc se im-

[1] S. Alph., L. III, 13.

[2] Praecipuae divinationis species sunt: *oraculum,* quod occulta inquirit per idola; *astrologia,* quae occulta inquirit ex consideratione astrorum; *necromantia,* ex invocatione mortuorum; *chiromantia,* ex inspectione manuum; *pythonia,* ex consultatione vivorum qui divinandi artem exercent, qui propterea divinatores appellantur: *hydromantia,* ex inspectione sive coloris, sive motus aquarum; *geomantia,* ex inspectione terrae, lapidis, ligni, etc.; *aëromantia,* ex directione et vi aëris; *pyromantia,* ex phoenomenis ignis; *aruspicium,* ex animalium visceribus et jecore; *augurium,* ex volatu et cantu avium; demum *somnia, sortilegium, magnetismus* et *spiritismus.*

[3] Divinationi non sunt tribuendae omnes illae praenotiones, quas politici, medici, astronomi ex causis notis conjectan-

miscet ut homines ad sui cultum trahere possit. Nec requiritur ut daemon aliquando pactus sit se ad talis vani medii exhibitionem concursurum; nam eo ipso quod quis vanis mediis utitur, daemon jam se immiscet, licet praeter intentionem utentis sit eum invocare. — Nec in hoc casu valet protestatio se nullum commercium cum daemone intendere, quia factum stat contra protestationem. Protestatio quidem valet quando agitur de re de qua dubitatur utrum sit ex causa naturali an superstitiosa; sed non quando certe constat rem superstitiosam esse [1].

514. — *Q.* Divinatio quodnam peccatum est; et expressa ac tacita sunt ne ejusdem speciei?

R. — I. Divinatio expressa est per se peccatum gravissimum; ratio, quia omne commercium cum daemone est gravissima Deo injuria.

II. Divinatio tacita est etiam per se peccatum mortale. Per accidens tamen a mortali excusari potest, nempe si plena fides non exhibeatur, vel si fiat ex ignorantia aut simplicitate.

III. Divinatio expressa et tacita probabilius non differunt specie inter se; unde haec circumstantia per se non est necessario in confessione aperienda; *in praxi* tamen divinatio *expressa* saepe, per accidens, necessario explicanda est, quia saepe adjuncta habet alia peccata, v. g. haeresim, adorationem diaboli, etc., vel propter reservationem.

tes, de quibusdam futuris eventibus, ac de nonnullis effectibus magis minusve exacte sibi efformare possunt. — Idem dic de conjecturis, quas physionomistae ex vultus forma, circa alicujus indolem et dominantes inclinationes instituunt. *Gousset.*

[1] S. Alph.. L. III, 8, 2. — Homo, ope daemonis, plura cognoscere vel facere potest, quam solis propriis viribus. Angeli enim hominibus praestantiores sunt, tum facultate cognoscendi, tum potestate operandi; et angelica natura in daemonibus fuit quidem per peccatum depravata, non vero ablata vel imminuta, ut omnes docent cum S. Thoma (1, q. 64, a. 1). Hinc:

1° Quoad *cognitionem*, daemones in mentem hominis facile revocant *praeterita*, quorum omnium memoriam servant: manifestant *praesentia occulta*, quae exterius prodita sunt, ut secreta furta, thesauros defossos, metalla subterranea, et alia hujusmodi, etiam multum distantia, imo praenoscunt *futura* innumera, tum per conjecturam ex propositis et affectibus hominum jam sibi manifestatis, tum etiam cum certitudine ex causis naturalibus, quas universalius et perfectius cognoscunt.

2° Quoad *operationem*, possunt daemones movere corpora; quia natura corporalis spirituali naturaliter obedit ad motum localem. Possunt sibi corpora assumere, vel ex aëre et vaporibus formata, vel etiam vera, quae non vivificant quidem formaliter, sed gerunt ut motores. Possunt hominis excitare vim imaginativam, aut vim appetendi sensitivam, sicque homines concitare ad odium vel libidinem; imo possunt mutare sensus nostros, v. g. oculos, ut aliquid aliter videatur, quam est. Uno verbo, possunt innumera efficere, ad hominum deceptionem et perniciem (S. Th. 1, 2, q. 80, a. 2).

Verum, etsi magna sit potestas daemonum, ea tamen naturaliter *limitata* est, et in multis a Domino *ligatur*. Sic, v. g. daemones noscere nequeunt actus nostros mere internos, nec eventus, qui a libera Dei vel hominis voluntate pendent. Similiter nequeunt operari quae vires naturae excedunt, ut v. g. mortuum suscitare, corpus humanum substantialiter immutare; et si quid hujusmodi arte diabolica contigisse narretur, id non reapse, sed apparenter factum esse credendum est. (Bened. XIV. *De Serv. Dei Beatif.*, lib. 4, p. 1, c. 3). Postremo ait S. Augustinus (*De civit. Dei*, lib. 18, c. 18, n. 2): «Nec daemones aliquid operantur, nisi ille permiserit, cujus judicia occulta sunt multa, injusta nulla». Cfr. *Marc*, n. 559.

Ex dictis, peccant non solum qui divinari praesumunt, uti *Somnambuli*, vel qui vulgo *Zingari* dicuntur, etc., sed etiam qui ad eos recurrunt aut ipsos consulunt; vel quia credunt, vel quia, si non credunt, tamen actioni illicitae cooperantur. Et peccant graviter vel leviter pro ratione fidei vel scandali; ideoque graviter peccant si plenam fidem ipsis exhibent, vel si grave scandalum proximo praebent; venialiter vero si ob solam curiositatem vel mera ridendi causa id peragant, ut communiter contingere solet[1].

515. — *Q.* Licet ne actionem ponere in qua dubitatur an adsit divinatio?

R. In dubio utrum in aliqua actione adsit divinatio an non, si viri docti et probi effectum ab illa actione procedentem tamquam naturalem recognoscunt, tunc illam actionem ponere licet, et rudes proprium dubium deponere debent.

Si autem viri docti et probi in illa re vere dubitant de interventu diabolico, tunc si non adest justa causa illam actionem ponendi, probabilius et verius illam actionem ponere non licet. Si vero adest haec justa causa, v. g. ut vires naturae a physicae scientiae magistris examinentur et cognoscantur, tunc in tali dubio illam actionem ponere licet, modo protestatio praemittatur contra omnem diabolicum interventum[2].

—

[1] S. Alph., L. III. 15.
[2] *Berardi.* Praxis, 112.

§ 3°

De astrologia, de somniis, de necromantia, et de sortilegio.

516. — *Q.* Astrologia est ne licita?

R. Astrologia *naturalis,* quae ex consideratione astrorum quosdam effectus naturales conjicit, uti pluvias, tempestates, sterilitatem terrae, etsi plerumque sit incerta, tamen licita est.

Astrologia autem *judiciaria,* quae ex signis in astris praedicit futura contingentia, quae pendent ex hominum voluntate, illicita est juxta regulas superius relatas[3].

517. — *Q.* Licet ne credere somniis?

R. Praemitto: triplex causa communiter assignatur somniis, nempe Deus, natura, diabolus. Hoc praemisso.

1. Si somnia certo *a Deo* procedunt, tenemur eis credere; Deus enim promisit aliquando per somnia loqui: *Per somnium loquar ad illum*[4].

2. Si a *causa naturali* procedunt, v. g. ex affectione corporis vel animi, tunc licet conjicere quae ad eorum causam pertinent, nempe indolem, valetudinem, studia et similia.

3. Si vero somnia a *daemone* sunt, tunc grave peccatum est illis credere; a gravi tamen excusat simplicitas, vel si plena fides non praebeatur.

Quando vero somnia sint a Deo vel a daemone difficile est definire. Sed si somnia ad bonum alliciunt, et animum quietum re-

[3] S. Alph., L. III, 10.
[4] Num. XI, 6.

linquunt, colligi potest ea esse a Deo; a daemone vero si a bono avertunt, et animum relinquunt perturbatum [1].

In dubio autem, utrum sint a Deo an a daemone aut causa naturali, standum est pro causa naturali vel diabolica, quo in casu fides non est eis exhibenda. Deus enim cum immittit somnia, simul etiam reddit hominem certum, vel fere certum quod ab Ipso immittuntur [2].

518. — *Q.* Quid est Necromantia?

R. Necromantia est *invocatio mortuorum* ut de rebus occultis aut futuris consuli possint, veluti cum Saul ad Samuelis umbram interrogandam perrexit. — Apparitiones autem mortuorum esse possibiles, Deo volente, certum est; unde S. Aug. ait: *Magna impudentia est ipsas negare.* At fides hisce apparitionibus caute est adhibenda; innumerae enim super hac re enarrantur apparitiones prorsus fabulosae, vel ad simplices decipiendos, vel ad timorem pueris perniciose incutiendum. Docent autem communiter Th. cum Concina, abstinendum esse a pacto quo duo conveniunt ut qui prior obierit, appareat viventi et statum suae salutis ei manifestet; hoc enim est futile, temerarium et periculosum, nam illo pacto daemon abuti potest ad viventis deceptionem.

519. — *Q.* Sortilegium quotuplex est, et est ne licitum?

R. Sortilegium seu usus sortium triplex est: *divisorium*, quod adhibetur ad jus indivisum aut dubium pluribus competens dividendum inter eos, vel uni applicandum; *consultorium*, quo quaeritur quid sit agendum; *divinatorium*, quo inquiritur futurum.

Sortilegium *divisorium* licitum est cum hisce duabus conditionibus: 1ª ut partes aequale jus habeant in partitionem, et consentiant divisioni per sortem, nisi partitio judicis mandato fiat; 2ª ut non respiciat electionem ad beneficia vel praelaturas ecclesiasticas. Imo electiones praelatorum jurisdictionem habentium in utroque foro, factae per sortem, ipso jure sunt nullae. Partitio tamen ad finiendas lites super materiam beneficiorum, probabilius non est illicita, quia lex ecclesiastica sortem prohibens loquitur solum de electionibus ad beneficia.

Consultorium regulariter est illicitum, nisi urgente necessitate fiat, et ad Deum quis reverenter ac sincere recurrat.

Divinatorium semper est illicitum.

520. — *Q.* Quid *in praxi* parochi et confessarii observare debent quoad divinationem?

R. Parochi et confessarii *in praxi* quoad divinationem et superstitionem in genere observare debent:

[1] Generatim loquendo, nemini injicere opertet scrupulum quod non credat somniis, etsi haec a Deo procedere videantur. Ut enim quis hisce somniis credere teneatur duo videntur requiri: *primo* ut non solum probabile, vel probabilius, sed omnino *certum* sit somnium a Deo procedere; *secundo* et praecipue debet esse certum quod a Deo procedat non solum *efficienter*, sed *ut loquente*, seu interponente suam auctoritatem in testimonium veritatis quae per somnium innotuit. Tunc enim tale somnium esset unus ex modis *locutionis propheticae.* Ad hoc vero postremum minime sane sufficit ut somnia ad bonum alliciant, et animum quietum relinquant. — Mulieres praesertim hac in re facile patiuntur hallucinationem.

[2] S. Alph., L. III, 8.

1. Si adsit solidum fundamentum diabolici interventus; vel si in illa actione adsit grave peccatum superstitionis in intentione agentis; vel si aliquid adsit quod religioni vel bonis moribus directe adversetur; vel grave scandalum aut grave damnum alteri praebeat: in hisce casibus nullomodo silere possunt, et omni modo et quantocius illam actionem prohibere et removere debent.

2. Si vero ex una parte non adsit solidum fundamentum diabolici interventus, nec aliquid adsit directe contrarium religioni aut bonis moribus, vel quod scandalum aut damnum proximo praebeat; et ex altera parte fideles in bona fide versentur, nec spes adsit quod monitio sit profutura, tunc expedit rem illam tolerare, seu potius tacite dissimulare (nam convellere difficillimum est), ne forte qui rem illam plerumque sub specie religionis agunt, de materiali in formale peccatum transeant. Adsunt enim plures mulieres quae ex somniis aut aliis eventibus numeros publicae sortitioni *(al lotto)* exponendos colligunt; vel ope chartarum occulta aut futura exquirunt; vel quibusdam observantiis vanis mediisque ineptis quosdam morbos curare existimant, etc. Istae autem mulieres putant vel nullomodo in hisce peccare, vel saltem nonnisi levissime; et nimis difficile esset illas suadere de peccato gravi, proindeque nimis difficile ipsas ab hisce penitus avertere.

3. Si autem fidelis aut poenitens de hisce interrogat, tunc parochus vel confessarius illas res irrideat, fidelem aut poenitentem carpat, ab ipsis quantum potest amoveat, sed ea lethalia esse non dicat.

§ 4°

De vana observantia, de magia et maleficio.

521. — *Q.* Quid est vana observantia, et quaenam ejus species?

R. Vana observantia est *superstitio qua medio aliquo improportionato et a Deo non instituto procuratur aliquis effectus, v. g. sanitas, scientia, etc.* — Differt a divinatione, quia haec ordinatur tantum ad occultorum cognitionem, illa vero ad effectum externum. Convenit autem cum eadem, quia utraque nititur pacto daemonis expresso vel tacito.

Praecipuae vanae observantiae species sunt: *Ars notoria,* quae aliquo inepto medio utitur ad scientiam repente ac sine labore acquirendam. — 2° *Ars sanatoria,* quae mediis ineptis utitur ad sanandas infirmitates — 3° *Observatio eventuum,* quae ex facto fortuito adveniente conjicit quid prosperi vel adversi eventurum sit.

Vana observantia est uti inspectione quorumdam signorum, vel figurarum, vel caeremoniarum, vel orationum tali situ aut modo recitatarum, ut aliquam scientiam quis acquirat sine studio.—*Item* vana observantia est gerere amuleta, ligaturas, involucra, etc., ut a subitanea morte, vel ab aliquo morbo aut infortunio quis liberetur. — *Item* vana observantia est aliquid prosperi vel calamitosi arguere ex fortuito aliquo casu, v. g. quia tredecim in mensa sedent, vel quia quis a somno vix excitatus sternuerit, vel quia mane e domo egrediens in limen offenderit. — *Item* vana observantia

est aliquos dies faustos vel infaustos habere, ideoque observare dies quibus expediat aliquid facere aut omittere, v. g. quando oporteat vel non iter aggredi, sponsam domum deducere, etc. ... Et de hisce praecipue interrogandi sunt milites, nutrices, veterinarii, pastores, rustici, mulieres, etc.[1].— E contra non est vana observantia, nec proinde superstitiosum pia numismata gestare, determinatas preces recitare, dummodo infallibilis vis illis non tribuatur.

522. — *Q.* Vana observantia quodnam peccatum est?

R.—I. Vana observantia per se est peccatum grave; quia tribuit honorem divinum creaturae, ab ipsa expectando quod a solo Deo attendi debet. — Per accidens excusatur a mortali ratione ignorantiae, vel inconsiderationis, vel quia non praestatur vera et plena fides.

II. In dubio utrum aliquis effectus oriatur a causa naturali an a daemone, praesumendum est provenire a causa naturali, unde licet experiri utrum effectus secuturus sit an non; consultum tamen est praemittere protestationem se nolle effectum si forte a causa naturali non proveniret.

III. Si certo constet effectum a causa naturali oriri non posse, in dubio utrum a Deo proveniat an a daemone, censetur potius provenire a daemone, quam a Deo, cum divina promissio de illo non habeatur[2].

523. — *Q.* Quid est Magia?

R. Magia definitur: *Ars producendi miros effectus.* Si hi producantur per causas naturales, magia *naturalis* dicitur; et haec, secluso scandalo, deceptione et spiritu superstitioso, licita est. — Si vero illi miri effectus ope daemonis producuntur ex tacita vel expressa ejus invocatione, magia dicitur *superstitiosa,* quae semper illicita est[3].

524. — *Q.* Quid est Maleficium?

R. Maleficium est *vis nocendi aliis ex pacto et cooperatione daemonis.* Differt a magia, quia haec intendit facere mira, illud vero dirigitur ad nocendum.

Maleficium, si adhibeatur ad excitandum impurum amorem erga aliquam personam, dicitur maleficium *amatorium,* graece *philtrum.* Infectus vero tali maleficio, si ei consentiat, peccat, quia libertas ei non aufertur; ejus peccati gravitas tamen minuitur ob concupiscentiae vehementiam.

Si vero maleficium adhibeatur ad nocendum alteri vel in se vel in rebus suis, dicitur *veneficium,* quod propterea triplicem habet malitiam, nempe contra religionem, contra caritatem, et contra justitiam. — Ad veneficium pertinet *fascinatio,* seu virtus laedendi intuitu et obtutu; et haec fascinatio alia est naturalis, alia daemoniaca, cum quis ope daemonis laedit quaecumque intuetur.

Animadvertendum quod, licet non omnia quae de hujusmodi rebus circumferuntur, credenda sint, negari tamen non potest quod reapse adsint *lamiae,* seu striges, quae veneficio attendunt; Ecclesia enim contra ipsas aliquando poenas indixit gravissimas, quod irrisorium esset si reapse non extarent[4].

[1] S. Alph. Hom. Ap. T. IV, 38.
[2] S. Alph.. L. III, 20.
[3] S. Alph., L. III, 19.

[4] Si poenitens confiteatur se fidem mulieri veneficae praebuisse, confessarius non asserat absolute veneficia et

525. — *Q.* Quaenam remedia adhibere licet contra maleficium?

R. Contra maleficium uti licet sive remediis petitis ex medicina; sive exorcismis, sacramentis Ecclesiae, invocationibus Sanctorum, etc.; sive destructione signorum per quae daemon nocet. Licet etiam maleficum inducere ad maleficium tollendum, dummodo non utatur alio maleficio vel alio medio per se illicito [1].

526. — *Q.* Quomodo confessarius gerere se debet cum magis et maleficis?

R. Confessarius ab ipsis exigere tenetur: 1° ut abjurent et dissolvant omne pactum quod habent cum daemone; 2° ut libros, chirographa et alia artis instrumenta comburant; 3° damna proximo illata resarciant. Denique observet an ipsi lapsi sint in idololatriam, vel haeresim, vel in sacrilegia, vel in luxuriam; his enim non raro divinatores, magi et malefici infecti sunt [2].

—

§ 5°

De spiritismo.

527. — *Q.* Quid est Spiritismus?

R. Spiritismus est *communicatio cum spiritibus,* a quibus persona intermedia (quam vocant *medium*) revelationes accipit, et cum quibus loquitur, et conversationem habet.

Certe non semper in hisce adjunctis adest spirituum interventus, et cum ipsis communicatio; saepius enim non adest aliud, quam illicita et perniciosa fraus et deceptio praestigiatoris. Attamen negari non potest quod aliquando, permittente Deo, datur haec communicatio cum spiritibus; proindeque sicut nimia credulitas, ita nimia incredulitas a viro prudente vitari debet.

528. — *Q.* Quonam modo spiritus evocantur?

R. Modus quo spiritus evocantur duplex est; inde quasi duplex gradus, seu phasis supradictae divinationis. — Primis temporibus spiritus consultabantur ope v. g. *tabularum rotantium* et similium, quae datis ictibus responsa dabant

maleficia omnia esse inventiones et fabellas muliercularum, sed potius poenitentem admoneat ne hisce muliercularum narrationibus credat; ipsum admoneat quod daemon, etsi pravis hominibus abuti possit ad nocendum, tamen non omnia, quae vult, facere potest. Quod si confessarius directe interrogetur de talibus, clare respondeat juxta veritatem.

[1] S. Alph., L. III, 24.

[2] S. Alph., L. III, 28. — In Dioecesi Neapolitana *excommunicationi* Ordinario reservata ipso facto subjiciuntur: « 1° omnes et singuli qui, inito pacto cum daemone, aut cum invocatione ipsius expressa vel tacita, actum superstitionis cuiuscumque generis committunt, vel ad eumdem actum scienter inducunt; 2° qui per se vel per alium SS. Altaris Sacramento, Chrismate, Oleo Sancto, aut alia re consecrata ad veneficia, sortilegia, divinationes, aut ad alium usum, quam fuerint instituta et ordinata, quomodolibet abutuntur, iique etiam qui ad praedictos fines de praedictis aliquid sumpserint, vel alicui dederint, aut datum acceperint, etiam opera intenta minime subsequuta; 3° omnes, qui magnetismum animalem adhibent ad effectus non naturales producendos, et qui eidem crimini scienter cooperantur ». — Casus VI secundae classis.

circa res hominibus naturaliter prorsus ignotas. Deinde ad perfectiorem cum spiritibus communicationem perventum est, in qua scilicet, invitante vel annuente certa persona, *medium* dicta, spiritus se praesentes sistunt, et adstantium quaestionibus satisfaciunt[1].

Hi spiritus evocati se exhibent modo ut simplices spiritus, quin ullam peculiarem sibi vindicent praerogativam; modo ut angelos et archangelos; modo ut sanctos ipsamque B. Mariam, et Christum ipsum; modo ut animas defunctorum; demum aliquando uti malignos spiritus aperte se ostendunt. Ipsi ergo revelant res remotas quae naturali modo hic et nunc cognosci nequeunt, sive res occultas quae afficiunt personam interrogantem, sive futura contingentia. Praeterea plura phoenomena operantur, ad instar magnetismi et hypnotismi.

529. — *Q.* Spiritismus est ne licitus?

R. Spiritismus seu cum spiritibus communicatio et consultatio prorsus diabolica est, ideoque graviter illicita, et veram divinationem constituit tam severe in Sacris Litteris prohibitam. Quid enim magis horrendum et superstitiosum esse potest, quam cum spiritibus societatem inire, eos invocare, interrogare, alloqui? Haec superstitio, omnibus pejor, impietatem et haeresim magis redolet; subvertit enim dogmata catholica, praesertim poenarum inferni aeternitatem, confessionem sacramentalem, etc. — Unde, etiam remoto scandalo, peccant graviter: - sive qui ut medium inservit; - sive qui hujusmodi consultationes adhibent; - sive qui passive tantum, idest ex simplici curiositate, eis assistit, quia hoc esset rei intrinsece malae cooperari; et ex Apostolo rei sunt non solum qui mala faciunt, sed etiam qui facientibus consentiunt. In his tamen ignorantia invincibilis facilius contingere potest; et si reperiatur, per prudentem monitionem depellenda est[2].

Si vero agatur tantum de phaenomenis physicis, e. g. de mensa in girum vertenda, non mero voluntatis imperio, sed digitis vel manibus impositis, probabiliter est effectus naturalis. Siquidem hodie multi probabiliter tenent esse in corpore humano, praesertim eorum in quibus praevalet nervosum systema, quoddam fluidum, magnetico aut electrico fluido analogum, quod exterius projici potest et in objecta circumstantia influere; et ita, *hypotetice* saltem, explicari valent percussiones et motus tabularum rotantium. Quare, *per se* li-

[1] Adsunt quaedam signa a daemone ipso constituta, quae pro ejus invocatione habentur; his itaque uti, daemon invocare est; qui nonnunquam iis quoque adest qui signis hujusmodi, licet ignorantes utuntur. *D'Annibale*, II, 29.

[2] Casus. Titius, seclusa omni conventione cum spiritibus malignis, evocare solet animas defunctorum; et hoc modo evocat: solus, precem dirigit Principi militiae coelestis, ut ipsi loqui concedat cum anima cujusdam defuncti determinati. Transacto brevi temporis spatio, ipse, praeparata manu ad scribendum, sentit eamdem moveri, ex quo admonetur de praesentia spiritus. Tunc ipse exponit quidquid desiderat; et manus responsiones ad postulata scribit. Responsiones sunt omnes fidei et doctrinae Ecclesiae de vita futura conformes; et regulariter inspiciunt statum in quo reperitur anima determinati defuncti; an indigeat suffragiis, etc. — Quaesitum fuit: Titius licite ne operatur? — S. C. S. Off. die 30 mar. 1898 respondit: *Casum, uti expositum, non licere.*

ceret eiusmodi effectus mere naturales producere, nisi obstet ratio scandali vel specialis prohibitionis. Ideo ad summum, iuxta aliquos auctores, venialiter peccant qui ex curiositate vel iocandi causa id experiuntur, vel hujusmodi experimentis intersunt; liceret vero hujusmodi experimenta tentare, ad leges naturae investigandas [1].

§ 6°

De magnetismo

530. — *Q.* Quid est magnetismus; et quinam eius effectus?

R. Magnetismus, juxta Mesmer medicum germanicum, unde etiam mesmerismus fuit dictus, est fluidus subtilissimus similis fluxui magnetico, qui mundum universum circumdat, quique contribuit vitae animalium, dictus propterea magnetismus animalis. Talis fluidus, juxta eumdem Mesmer, excitari potest et transfundi de corpore magnetizantis in corpus magnetizati ope gesticulationum, palpationum, insuflationum, vel solo oculorum obtutu, solo verbo, imo solo voluntatis imperio ipsius magnetizantis, modo patiens, prima vice praesertim, praestiterit consensum, sine quo, saltem ordinarie, magnetizari nequit [2].

Praecipui effectus tres sunt:

1. *Status somnambulismi.*. Vix persona magnetizata vel hypnotizata (crisiacus) *in somnum magneticum* inducta sit, ingreditur in somnambulismum (a naturali plane distinctum) vel sponte sua, vel ad nutum magnetizantis, et illico videtur velut mente expergisci, et cum magnetizatore vel quo alio huic placuerit (licet in remotis agente) conversari incipit. Somnambulismi phoenomena *(manifestationes)* fere omnia physica sunt, et prope infinita: praestantiora haec: 1° *transpositio sensuum,* unde plerumque crisiacus, v. g. audit ventriculo, olfacit extremis digitis, et quod est plane mirabile, vidit occipite, occlusis plane oculis ludit aleis, literas adhuc obsignatas et in peris reconditas perlegit, intuetur per opaca corporum interjecta; 2° *communicatio affectionum corporis,* quas patitur magnetizator, vel quisquis alius qui cum magnetizato, coeperit conversari; ex qua fit ut is (incredibile dictu!) in hoc vel illo esse, vivere et sentire videatur; nam quos ille morbos, languores, aegritudines patitur, his crisiacus interdum laborare et torqueri videatur; 3° *quasi plena potestas magnetizantis in corpus magnetizati;* nam solo suae voluntatis imperio, eum sternit humi in aëra sublevat, solo indicis nutu (uti magnes ferrum) ad se trahit, ut is, nulla plane objecta vi, ab illo prohiberi, arceri queat; magnetizatus, nutu et arbitrio magnetizatoris, stat, exilit; alget, aestuat; ridet, plorat; visum, auditum, aspectum personarum rerumque praesentium, quas is voluerit, et

[1] Conf. *Génicot*, I, 270; *Tanquerey*, t. II, 912, 918.

[2] Magnetismus animalis primum adhibitus fuit ut quoddam medium therapeuticum ad sanationem morborum excogitatum, quo excitantur in patiente primo convulsiones, deinde status quidam paralysis et catalepsis, demum somnus magneticus. In eo autem statu patiens nihil audit, nihilque sentit, et sola libera ei remanet facultas vocem magnetizatoris audiendi, ipsique respondendi, et tunc (si magnetismi fautoribus fides adhibetur) mirae contingunt sanationes morborum. *Perrone*, De virtute relig., n. 410 - 421.

quoad voluerit, amittit; neque loco moveri aut quidquam facere potest nisi ad nutum magnetizatoris.

2. Status *luciditatis*, seu *clarae intuitionis* (*chiaroveggenza*). E somnambulismo crisiacus, hodie fere semper, in eum statum transit, quem claram intuitionem appellant. Hujus status phoenomena fere omnia psychologica sunt. Nunc magnetizatus major se et quasi divinus factus, licet rudis, sapienter loquitur de iis quae penitus ignoraverat, ut ecce de Deo, de anima, de scientia; praeterita (antea sibi ignota) cognoscit, futura praedicit, quaeque occulta revelat. Nunc minor se et quasi animal factus, plenae potestati subjacet magnetizatoris, qui mentem magnetizati intervertit, ita ut is se infantem vel senem, aut alium sentiat, et quandoque vel brutum se esse putet; et illico ejus, in quem versum se putat, mores, usus, officia gerat. Denique voluntatem ejus adeo intercipit, ut quoad ea, quae ille suggesserit, sui arbitrio penitus esse desinat.

3. Sta us *extasis* magneticae dictae. — E statu luciditatis crisiacus nonnumquam in extasim abit; et hic nova phoenomena, quae omnia mere *spiritualia* sunt. Itaque crisiacus, qui hucusque cum aliis conversari visus fuerat, subito ab eis recedere, et extra se rapi videtur. Mox, primum secum ipso, tum velut cum angelis colloqui vel cum animabus defunctorum, ut puta, patris, filii, mariti. Ad haec, invisibilia conspicere, atque inde coelestia et arcana verba fari, et quasi ad sedes beatas devenerit, magnetistam orare, deprecari, obtestari, ne eum ad sensus et vitam revocet. Quo in statu, nisi ab eo protinus revocetur, eum in magno vitae discrimine versari magnetologi affirmant[1].

531. — *Q.* Magnetismus est ne licitus?

R. — I. Magnetismus *in se* spectatus et *in abstracto*, quatenus est medium physicum ad effectus mere physicos producendos adhibitum, remota omni prorsus superstitione et circumstantia illicita, illicitus dici nequit; - ratio, quia, quum adsit naturalis proportio inter causam et effectum, seu inter media adhibita et fines connaturales quos aliquis intendit, res naturalis praesumitur; negari enim nequit nonnulla physiologica phoenomena magnetismi animalis, uti convulsiones, catalepsiae, per se causis physicis tribui posse. — Hinc. S. C. S. Off. interrogata de magnetismo in genere, die 13 Jum. 1840, et 28 Jul. 1847, respondit: « Remoto omni errrore, sortilegio, explicita aut implicita invocatione daemonis, merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodocumque pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res, aut effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et haereticalis ».

II. Magnetismus *in concreto* spectatus, et prout vulgo exercetur, adhibitus nempe uti medium physicum ad obtinendos effectus qui naturae viribus absolute cognosci et obtineri nequeunt, uti sunt fere omnes effectus superius recensiti, est omnino illicitus; - ratio, quia, quum nulla adsit naturalis propor-

[1] *D' Annibale*, II, 41 - 43.

tio inter causam et effectum [1], illi effectus, quum sint praeternaturales, repeti nequeunt neque a Deo, neque ab Angelis, sed solum a daemone ex expressa aut tacita ejus invocatione. Hinc est quod phoenomena magnetismi pluribus ab hinc annis fere omnibus persuasum est a spiritibus repetenda esse; unde, mutato nomine, negotium hoc, quod hucusque mesmerimus, seu magnetismus animalis dictum fuerat, ab ipsis magnetologis *spiritismi* nomen accipit. — Praeterea magnetismus in concreto spectatus, et prout vulgo exercetur, praeter peccatum superstitionis, saepe secum fert proximum periculum contra aliquam veritatem fidei, vel contra pudicitiam, vel contra famam proximi, aut moralitatem et sanitatem ipsius magnetizati qui in vitia et etiam in dementiam incidit [2]. - Hinc S. C. S. Off., literis

[1] Phoenomena magnetismi tribui nequeunt *fluido magnetico* animali (*biotico*) quem in nobis adesse aliqui dicunt, et per quem quisque movere potest membra non solum proprii corporis, sed etiam aliorum; nam, praeterquam quod plures negant adesse illum fluidum, quomodo talis fluidus movere potest membra corporum remotorum? et quum sit res materialis, quomodo movere potest voluntatem aliorum, producere effectus omnino intellectuales? — Nec tribui possunt *fascino oculorum;* ipsi enim physici et medici celebriores hodie rident et fluidum et fascinum hujusmodi. — Neque tribui possunt *imaginationi* et *phantasiae* magnetizati; quomodo enim hoc fieri potest in eo qui magnetizatur, si dormit? Phantasia autem, ait S. Th., q. I, 78, a 4 « est quasi thesaurus quidam formarum per sensus acceptarum ». At vero quomodo magnetizatus videre et loqui potest de iis quae nunquam vidit, nec apprehendere potuit? Ergo evidens est quod illi effectus causis physicis et naturalibus tribui nequeunt.

[2] POSTULATUM

Episcopi Lausanensis circa magnetismum.

« Cum hactenus responsa circa magnetismum animalem minime sufficere videantur sitque magnopere optandum, ut tutius magisque uniformiter solvi queant casus non raro incidentes; infra signatus Eminentiae vestrae humiliter sequentia exponit ».

« Persona magnetizata, quae plerumque sexus est feminei, in eum statum soporis ingreditur, dictum *somnambulismum magneticum*, tam alte, ut nec maximus fragor ad ejus aures, nec ferri ignisve vehementia illam suscitare valeant. A solo magnetizatore, cui consensum suum dedit (consensus enim est necessarius) ad illud exstasis genus adducitur, sive variis palpationibus gesticulationibusve, quando ille adest, sive simplici mandato eodemque interno, cum vel pluribus leucis distat ».

« Tunc viva voce seu mentaliter de suo absentiumque penitus ignotorum sibi morbo interrogata, haec persona evidenter indocta illico medicos scientia longe superat: morborum internorum in humano corpore, qui cognitu difficultuque peritis difficillimi sunt, causam, sedem, naturam indigitat, eorumque progressus, variationes et complicationem evolvit idque propriis terminis; saepe etiam dictorum morborum diuturnitatem exacte praenuntiat, remedia simplicissima et efficacissima praecipit ».

« Si adest persona, de qua magnetizata mulier consulitur, relationem inter utrumque per contactum instituit magnetizator; cum vero abest, cincinnus ex ejus caesarie eam supplet ac sufficit. Hoc enim cincinno tantum ad palmam magnetizatae admoto, confestim haec declarat, quid sit (quin adspiciat oculis), cujus sint capilli, ubinam versetur nunc persona, ad quam pertinent, quid rerum agat circaque ejus morborum omnia supradicta documenta ministrat, haud aliter atque si medicorum more corpus ipsa introspiceret ».

« Postremo magnetizata non oculis cernit, ipsis velatis, quidquid erit, illud legit legendi nescia seu librum seu manuscriptum vel apertum vel clausum seu capiti seu ventri impositum. Etiam ex hac regione ejus verba egredi videntur. Hoc autem statu educta vel ad jussum etiam internum magnetizantis vel quasi sponte sua ipso temporis puncto a se praenuntiato, nihil omnino de rebus in paroxismo peractis sibi con-

datis 4 Aug. 1856 ad omnes Episcopos, monuit: « Novum quoddam superstitionis genus invehi ex phoenomenis magneticis; quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student Neoterici plures, rati posse occulta, remota ac futura detegi magnetismi arte vel praestigio, praesertim ope mulierc ularum quae e magnetizatoris nutu pendent..... Hinc *somnambulismi,* et *clarae intuitionis,* uti vocant, praestigiis mulierculae illae gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumunt, magnum quaestum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturae. In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis, et scandalum contra honestatem morum ».

§ 7°

De hypnotismo

532. — *Q.* Quid est Hypnotismus, et quinam ejus effectus?

R.—Hypnotismus haberi potest veluti nova phasis ac perfectio magnetismi, est enim: « Ars producendi somnum nervosum quo, praeter alia portentosa phaenomena, hypnotizatus plene subiectus est nutui hypnotizatoris sui ». Huiusmodi *hypnosis* excitatur et desinit aut intuitu, aut uno verbo, aut tactu vel afflatu, imo etiam sola mentali suggestione [1]. Non omnes hypnotizari possunt, sed ii praesertim (sive viri sive mulieres) qui voluntate debiles sunt, vel nervoso morbo laborant: generatim ve-

scire videtur, quantumvis ille duraverit: quaenam ab ipsa petita fuerint, quae vero responderit, quae pertulerit, haec omnia nullam in ejus intellectu ideam nec minimum in memoria vestigium relinquunt ».

« Itaque orator infrascriptus tam validas cernens rationes dubitandi, an simpliciter naturales effectus, quorum occasionalis causa tam parum cum eis proportionata demonstratur, enixe vehementissimeque V. Eminentiam rogat, ut ipsa pro sua sapientia ad majorem Omnipotentis gloriam nec non ad majus animarum bonum, quae a Domino redemptae tanti constiterunt, decernere velit, an, posita praefatorum veritate, confessarius parochusve tuto possit poenitentibus aut parochianis suis permittere:

1° ut magnetismum animalem, illis characteribus similibusve praeditum exerceant, tamquam artem medicinae auxiliatricem atque suppletoriam;

2° ut sese illum in statum somnambulismi magnetici dimittendos consentiant;

3° ut, vel de se vel de aliis, personas consulant illo modo magnetizatas:

4° ut unum de tribus praedictis suscipiant, habita prius cautela formaliter ex animo renuntiandi cuilibet diabolico pacto explicito, omni etiam satanicae interventioni; quoniam, hac non obstante cautione, a nonnullis ex magnetismo hujusmodi vel iidem vel aliquot effectus obtenti jam fuerunt ».

Sacra Poenitentiaria, mature perpensis expositis, respondet; *Usum magnetismi, prout exponitur, non licere.* Die 1 Jul. 1841.

[1] Aertnys lib. III, 32.—« Il così detto Magnetismo animale di Mesmer e dei suoi seguaci è in genere una stessa cosa con l'Ipnotismo; ma in casi speciali e in mano di taluno diviene un misto di Ipnotismo e di Spiritismo, con prevalenza or dell'uno e or dell'altro ». (*Lapponi*—L'Ipnotismo e lo Spiritismo, cap. ult., 2).

ro asseritur, in statu vigiliae, neminem hypnotizari posse nisi consensum saltem implicitum praebuerit.

Quoad effectus vero, ex hypnotismo, qualis hodie a permultis medicis et scientiarum cultoribus adhibetur, quaedam phaenomena passim et facile prodeunt, alia vero difficilius et raro tantum obtinentur; unde alia ordinaria et communia, alia extraordinaria dici solent.

1. *Effectus ordinarii* sunt: hypnotizatum quaslibet suggestiones ab hypnotizatore prolatas pro veritate habere; pro illius libitu sibi videri quaelibet audire, videre, olfacere, gustare, dum contra illius suggestiones non potest aliquid facere, ne manum quidem vel pedem movere, neque aliud videre vel audire, sed ab ipso hypnotizatore omnino pendere. Inter ordinarios effectus recensentur etiam phaenomena *somalia*, seu quae in corpore hypnotizati locum habent, nempe *catalepsis*, *lethargia*, et alia quae *morbosa* dicuntur; imo etiam phaenomena quaedam *intellectualia*, qualia e. g. mentales suggestiones, saltem quae intra breve tempus exequi debent [1].

2. *Effectus extraordinarii* sunt: suggestiones quae nonnisi post longum intervallum, e. g. post annum, effectus suos producant; apparens personalitatis immutatio, ita ut e. g. puellam se vetulam, militem, sacerdotem reputet, et uti talem se gerat, loquatur etc.; sanguinis vel humorum effusio in eo corporis loco quem hypnotizator designavit.

Quidam dicunt ex hypnotismo quandoque prodire phaenomena prorsus *portentosa* et mirabilia, qualia sunt: ea quae in loco valde dissito fiunt, ab hypnotizato cognosci, imo ipsas humanas cogitationes nullo externo signo manifestatas; futura praedici; trans corpora opaca videri; sensus exerceri extra proprium cuiusque organum, etc. Haec tamen multi medici praestantes, in arte hypnotizandi versatissimi, negant sibi unquam contigisse, aut hypnotismo obtineri posse; sed ea potius ex *hypno-spiritismo* forte repeti valent [2].

533.—*Q.* Hypnotismus est ne licitus?

R.—Ad liceitatem vel illiceitatem hypnotismi decernendam, duo inter se prorsus distincta singillatim examinari debent, nempe: immunitas a superstitione, et conformitas cum regulis morum; primum enim sine altero comprobari optime potest. Hinc:

I. De *causa* naturali vel praeternaturali phaenomenorum hypnotismi valde disputatum est, tum inter medicos tum inter theologos, neque nostrum est hic quaestionem dirimere.—Attamen fere omnes conveniunt, quaedam saltem hypnotismi phaenomena a *naturali* causa repeti posse; haec autem sunt quae communiter ex hypnotismo a peritis obtinentur, et supra effectus *ordinarios* diximus. Quare:—1° probabilius immunis est a

[1] « L' Ipnotismo nella sua forma genuina è costituito da fenomeni morbosi determinati, tra loro sostituibili a vicenda ed anche artificialmente provocabili. I fenomeni morbosi dell' Ipnotismo hanno tutti un riscontro nei fenomeni fisio-patologici della vita comune; la suggestione rientra nel numero di cotesti fenomeni ». *Lapponi*, ibid. concl. 3.

[2] Conf. *Génicot*, I, 275; *Tanquerey*, II, 135; *Marc*, 566, q. 5.°; *Capellmann*, Medicina pastoralis, p. 43.

superstitione qui hypnotismum adhibet ad hos effectus obtinendos [1]. — 2° Phaenomena vero prorsus *extraordinaria* et *portentosa*, si quae sint, probabilius nunquam e simplici hypnotismo prodeunt, prout nonnulli eximii medici fatentur[2]; quod si quaedam in aliquo casu verificantur, quae nullo modo a naturae viribus repeti possunt, nisi fraus praestigiatoris intersit, ea supernaturali causae, ab hypnotismo genuino distinctae, tribui debent.— « Supernaturales autem effectus, ait Cl. Génicot, videntur : cognitio rerum quae hic et nunc in locis valde distantibus fiunt, vel quae ab hypnotizato nullis mediis naturalibus apprehendi possunt, ut : *clara* cognitio morborum et conditionis alicuius personae absentis, cuius capilli vel vestes hypnotizato exhibentur ; *suggestio* in distans per *merum* voluntatis imperium exercita; distincte proferre, lingua prorsus ignota, ea quae certo e nullo vestigio in memoria relicto provenire possunt ; scripta thecis ferreis ligneisque inclusa legere luminis *ordinarii* ope; ostendere scientiam, v.g. artis medicae, quae certe non fuerit antea naturaliter acquisita [3]».—3° Quando autem dubitatur utrum aliquis effectus naturalis sit an supernaturalis, probabilius uti naturalis haberi potest. Quum enim novae leges naturae, aut saltem novae applicationes earumdem, quotidie detegantur, et aliunde agentia supernaturalia *raro* intervenire soleant, tanquam naturale, probabiliter saltem, haberi potest factum *saepe* occurrens, quamdiu contrarium certo moraliter non constat.[4] In hunc sensum venit etiam recentius decretum C. S. Of. (d. 26 Iulii 1899) infra citandum.

II. Supposita etiam naturali causa hypnotismi, eiusdem usus *ordinarie* est immoralis ac proinde *illicitus*. Nam, praeter turpia media quae vulgo adhibentur ad somnum hypnoticum inducendum, uti e. g. tactus et aspectus inverecundos inter personas ordinarie diversi sexus, sequentia adsunt incommoda : 1° Per somnum illum hypnotizatus fere omnino sub potestate sui hypnotizatoris constituitur, ita ut vix non velut automatum qualescumque eius voluntates seu suggestiones exequatur; idque non in hypnosi tantum, sed in vigilia quoque et eo ipso tempore quod hypnotizator assignavit. Adde, saepe magnum periculum subesse cedendi nefariis suggestionibus hypnotizatoris, praesertim ubi quis iam ad mala pronus est. Plerumque etiam, qui semel se hypnotizanti tradiderunt, facillime ab eo iterum in hypnosim conjici possunt, etiam inviti. Porro talis abdicatio liberi arbitrii, cuius homo non est dominus, sed illud accepit a Deo ad moraliter vivendum, cum tantis periculis coniuncta, re-

[1] Conf. *Génicot*, I, 273 ; *Aertnys*, l. III, 24; *Tanquerey*, II, 136.

[2] « L' Ipnotismo non è verosimilmente, che una delle varie espressioni cliniche di una condizione morbosa individuale, forse di indole isterica congenita o acquisita, permanente o transitoria. Non si verifica mai nei soggetti perfettamente sani. Le sue manifestazioni perciò sono tutte di ordine naturale. Non esiste nessun fluido magnetico capace di dare origine ai ricordati fenomeni, la cui genesi naturale oggi é interpretata assai diversamente e assai più razionalmente che non facevasi nel passato » *Lapponi*, ibid., concl. 4.

[3] *Génicot*, I, 272; conf. *Lehmhukl*, Casus consc. v. I, 213.

[4] Conf. *Tanquerey*, t. II, 910, c.

gulariter licita esse nequit: Ergo.— 2° In statu hypnosis obvia erit occasio abutendi persona hypnotizata, sive ad turpia quaeque perpetranda, sive ad secreta extorquenda: quod sane est immorale ac illicitum.—3° Exinde consequi solet effraenis ad venerea propensio, et turpes passiones ac vesanus amor vehementer inflammatur; praesertim quia communiter a viris in feminas exercetur.—4° Denique gravibus periculis exponitur sanitas mentis et corporis, ut complures medici confessi sunt; et hoc etiamsi a peritis exerceatur, quando quis occulto quodam morbo laborat, magis vero ubi imprudenter vel ab imperitis hypnosis inducitur [1].

In *praxi* ergo, sedulo avertendi sunt fideles ab experimentis hypnoticis, quia ordinarie illicitum est, etiamsi certo constet nullam subesse causam superstitiosam, prout omnes fatentur [2]. Dixi *ordinarie:* nam si quando in aliquo casu omnia praedicta incommoda et pericula arcerentur, adhibitis cautelis, et simul *gravis causa* urgeret, permitti potest experimentum hypnotismi tentare, seclusa quavis superstitione [3]. Nemo tamen invitus licite potest unquam in hypnosim conjici.

Porro *cautelae adhibendae* in eo potissimum consistunt quod hypnotizans imprimis sit integerrimae probitatis, et insuper, durante hypnosi, fidus testis adsit: his enim removeri potest omne periculum quoad mores. Ad arcenda vero pericula quoad sanitatem, requiritur consilium probi medici et nota peritia hypnotizatoris, prout ipsi peritissimi medici testantur.— *Graves causae* autem, ob quas licite hypnotismus adhiberi queat, sunt praesertim: curatio morborum quibus sanandis desit aliud medium prorsus innocuum, et progressus quarumdam scientiarum, puta medicinae vel psychologiae: quandoque etiam inservire posset ad correctionem pravorum habituum [4].

—

[1] Conf. *Génicot*, I. 274; *Aertnys*, l. III, 32; *Ballerini* ad Gury; *Lehmkuhl*, Casus consc., I, 213; *Tanquerey*, t. II, 916; *Marc*, 566; *Capellmann*, p. 44.

[2] Eximius et christianus medicus *Lapponi* ait: « L'Ipnotismo è da ritenersi riprovevole e immorale, e perciò da interdire severissimamente, ogni qualvolta si pratica a scopo di curiosità o di sollazzo e senza determinate cautele. Ma qualche volta è ammissibile, e può applicarsi nei pubblici giudizii al fine di stabilire certe verità di fatto, e in Medicina a scopo di cura di talune malattie. Anche allora però non è lecito usarlo che sotto determinate condizioni e dentro certi limiti prestabiliti. (L'Ipnot. e lo Spir., cap. ult., concl. 6.)

[3] *Génicot*, I, 275; *Tanquerey*, 916.— Ad interrogationem cuiusdam medici, qui quaesivit, quid liceat in experimentis hypnoticis ad curandos infirmos, sive agatur de rebus jam exploratis, sive de nondum exploratis, quae num naturali modo explicari possunt necne, dubitatur; Cong. S. Of. die 26 Iulii 1899, respondit: « Quoad experimenta iam facta, permitti posse, modo absit periculum superstitionis et scandali, et insuper orator paratus sit stare mandatis S. Sedis, et partes theologi non agat.— Quoad nova experimenta, si agatur de factis quae certo naturae vires praetergrediantur, non licere; sin vero de hoc dubitetur, praemissa protestatione nullam partem haberi velle in factis praeternaturalibus, tolerandum, modo absit periculum scandali ». Hoc responsum Leo P. XIII adprobavit.— Vid. *Lehmkuhl*, casus consc., I, 216; *Gennari*, Consultazioni, I, 79.

[4] Vid. *Génicot*, I, 274; *Tanquerey*, 916, 918.

ART. II.

De irreligiositate.

534. — *Q.* Quid est irreligiositas?

R. Irreligiositas definitur: *Vitium quo Deus vel in se, vel in rebus aut personis sacris inhonoratur.* — Ejus species sunt: tentatio Dei, sacrilegium, simonia, perjurium et blasphemia. — De duobus ultimis dicetur in secundo Decalogi praecepto; nunc de aliis.

§ 1°

De tentatione Dei.

535. — *Q.* Quid est tentatio Dei, et quomodo distinguitur?

R. Tentationis nomen duplici sensu accipi potest: eo enim significatur vel seductio seu inductio ad peccatum, vel probatio seu experimentum; hic vero secundo sensu tantum accipi potest, uti patet. Quare tentatio Dei definitur: *Dictum vel factum tendens ad inordinatum experimentum de aliqua divina perfectione.* — Hoc autem ex duplici vitio oriri potest, nempe vel ex infidelitate seu dubitatione de aliquo Dei attributo, vel ex praesumptione, seu nimia confidentia aut curiositate.

Tentatio Dei alia est formalis, alia virtualis. Tentatio *formalis* seu *expressa*, habetur cum quis dubitans de aliqua Dei perfectione, v. g. de ejus providentia, justitia, etc., expresse eam experiri cupit, ut si quis se praecipitet ex turri, ut experiatur an Deus sit misericors et omnipotens, eum eripiendo a laesione. — Tentatio *virtualis*, seu *interpretativa*, habetur cum quis etsi expresse non intendat Deum tentare, id tamen dicit vel facit quod ex natura sua ad nihil aliud referri potest[1]; unde quoties quis *temere* tantum agit, *absque ullo ad Deum respectu*, quin certo divinae providentiae confidat, sed stulta quadam confidentia credens casu forte se superaturum tale vel tale periculum, non peccat contra religionem, sed contra quintum Decalogi praeceptum.

536. — *Q.* Tentatio Dei quodnam peccatum est?

R. — I. Tentatio *formalis* est peccatum ex toto genere suo mortale; — ratio, quia includit dubitationem de aliqua Dei perfectione, unde in Dei contemptum vel in gravem irreverentiam redundat, ideoque non admittit parvitatem materiae. Imo si accedit dubitatio positiva de aliqua Dei perfectione, tentatio etiam peccatum *haeresis* continet.

II. Tentatio *virtualis* est peccatum mortale ex genere suo, sed non ex toto, unde parvitatem materiae admittit. — Quare haec

[1] Duplici modo tentatio virtualis contingere potest: 1° Cum quis sine justa causa negligit remedia ordinaria, et a solo Deo temerarie expectat effectum extraordinarium, v. g. si quis graviter aegrotans, medicinam respuit, sanitatem a solo Deo sperans; non vero si tantum leviter esset aegrotus et sanitatem a natura ipsa, Deo adjuvante, speraret. 2° Cum quis sponte sua, absque ulla necessitate et utilitate se conjicit in tale periculum, ut vix sine miraculo se liberare possit, incolumitatem a Deo confidens: puta si quis probare vellet innocentiam duello, aut igni, venenive experimento, quorum usum Ecclesia interdixit. *Item* Deum tentat rudis qui absque praeparatione, sine necessitate et causa, vult concionari, sperans a Deo sibi suggerendos conceptus. S. Alph., L. III, 29.

tentatio materialis plerumque est tantum venialis vel ob ignorantiam, inconsiderationem, vel ob parvitatem materiae aut periculi. — Imo nullum esse peccatum si fieret ex justa causa, v. g. si adesset Dei inspiratio, vel necessitas, aut pia utilitas. — Utrum vero tentatio virtualis specifice differat a formali, controvertitur: *in praxi* discrimen explicandum erit in confessione, propter peccatum infidelitatis, quod in formali tantum reperitur[1].

§ 2°

De sacrilegio.

537. — *Q.* Quid est sacrilegium et quomodo dividitur?

R. Sacrilegium *(sacri laesio)*, stricte sumptum, est *violatio seu indigna tractatio objecti sacri, qua sacri.*

Sacrilegium triplex est: reale, personale, et locale, prout res, aut persona sacra, aut locus sacer violatur.

538. — *Q.* Sacrilegium quodnam peccatum est?

R. — I. Sacrilegium *directum*, seu commissum cum directa intentióne rem sacram violandi, est peccatum mortale ex toto genere suo, unde non admittit parvitatem materiae.

II. Sacrilegium *indirectum*, seu commissum cum advertentia quidem ad rei sacrae violationem, sed absque directa intentione rem sacram violandi, est etiam peccatum mortale ex genere suo; quia ex natura sua Deo injuriam semper involvit; sed non ex toto, unde materiae parvitatem admittit, ideoque peccatum erit grave vel leve pro ratione irreverentiae.

III. Sacrilegium personale, locale, et reale specie differunt inter se, quia objecta sunt formaliter diversa.

539. — *Q.* Quid requiritur ut res, vel persona, vel locus sacer sit?

R. — **1.** Ut *res* sacra sit, requiritur ut Deo sit sacrata actu publico et solemni, quia cum res sacra dicetur Deo ad usum communem, necessario requiritur publica auctoritas pro tali dedicatione.

2. Ut *persona* sacra dicatur, oportet ut Deo sit sacrata vel per sacram Ordinationem in clericis, vel per dedicationem ad perpetuum Dei cultum in aliquo statu ab Ecclesia approbato. — An vero simplex votum castitatis extra Religionem emissum reddat personam sacram, disput. Th. Multi affirmant, quia propria voluntas sufficit ad actus proprios vere Deo consecrandos. Multi tamen communius et probabilius negant, ob rationem supra allatam. Sed quidquid sit, conveniunt omnes Th. quod persona simplici voto castitatis ligata, si castitatem violat, certe duplex peccatum committit, unum contra virtutem, alterum contra votum.

3. Ut autem *locus* sacer dicatur, requiritur ut sit ab Episcopo consecratus, aut publica auctoritate Episcopi deputatus ad publica officia divina, ad missas celebrandas, et ad sacramentorum usum[2]. — Ergo ut locus fiat sacer, non est necessaria consecratio, sed

[1] *Génicot*, I, 278.

[2] Ubi agitur de sacrilegio ob violatam loci sacri immunitatem, loci sacri notio multo patet latius quam cum agitur de actibus directe oppositis loci sacri sanctitati. Nam quod ad hosce a-

sufficit deputatiò, quae fiat crucis erectione, aut per quamvis benedictionem, publica Episcopi auctoritate factam. Hinc oratoria privata non consecrata, nec benedicta, aut eremitoria non debent numerari inter loca sacra; licet enim Episcopus licentiam dederit celebrandi missam in ipsis, tamen cum ad nutum fundatoris converti possint in usus profanos, non gaudent privilegio loci sacri, eademque de causa non subsunt Episcopi potestati, aut juri visitandi, cum tamen omnia loca sacra eidem subdantur. Quod etiam dicendum est de xenodochio privata auctoritate erecto, cujus insuper administratio nullatenus ad Episcopum spectat, sed ad solum patronum aut fundatorem. — Si dubium sit, utrum oratorium publicum sit nec ne, signum esse solet campana publica posita in loco eminenti ad convocandos fideles, nam in privatis oratoriis non potest haberi campana nisi ad convocandos incolas domus [1].

540. — *Q.* Sacrilegium reale quot modis committitur?

R. Sacrilegium *reale* quatuor modis committitur: 1° indigna administratione, vel susceptione Sacramentorum; 2° indigna tractatione rerum sacrarum, v. g. vasorum sacrorum, Reliquiarum, sacrarum imaginum, vestium, ecclesiasticarum caeremoniarum, etc.; 3° abusu Scripturae, ejus verba in vana et derisoria detorquendo [2]; 4° furto vel usurpatione rerum sacrarum vel bonorum ad ecclesiam pertinentium, quaeque spectant ad sustentationem ministrorum ecclesiae, ad fabricam vel ornatum templorum, etc. — E contra sacrilegium non esset furtum bonorum ad Clericos pertinentium, quia sacra sunt tantum bona quae ad ecclesiam pertinent [3].

541. — *Q.* Sacrilegium personale quot modis committitur?

R. Sacrilegium *personale* quatuor modis committitur: 1° indigna tractatione, vel percussione clerici vel religiosi; 2° raptu monialis e monasterio, etsi ipsa consentiens sit; 3° traductione clerici ad forum laicale [4], vel impositione oneris servilis, v. g. militiae, tributi, etc., in casibus a jure non concessis; 4° violatione luxuriosa

ctus attinet, quibus et *pollui Ecclesia* potest, locus sacer dicit tantummodo ambitum loci benedicti ac deputati ad divina officia, aut ad mortuos sepeliendos a tecto usque ad pavimentum. Si vero de loci sacri immunitate sit sermo, hic exteriores quoque Ecclesiae partes, v. g. porticus, sacristiam, turrim, tectum, subterraneas cryptas, scalas ad templum, totamque exteriorem basim comprehendit. Eodem censu habentur coemeteria etiam disjuncta ab Ecclesia, Episcopi palatium, imo et domus parochi, si sit Ecclesiae conjuncta, religiosorum conventus cum horreis, hortis ac iis omnibus quae eorum ambitu concluduntur, hospitalia demum auctoritate Episcopi erecta et sacellum ad celebrandum habentia. *Ballerini* ad *Gury*, 285 (*b*).

[1] *Ballerini*, V. II, 147, 148.

[2] Valde reprobandus est abusus quorumdam etiam Sacerdotum, qui joci causa, relate ad Deum, vel B. M. V., vel Sanctos quasdam enarrant fabellas Deo, B. M. V., et Sanctis prorsus indignas.

[3] S. Alph., L. III, 40. — In dioecesi Taurinensi *abusus Sacrosanctae Eucharistiae aut Sacri Olei ad magicas artes, maleficia, aut superstitiones*, est casus reservatus 2^{ae} classis.

[4] Si confessarius, vel alius sacerdos interrogatus sit an liceat clericum ad tribunal laicale trahere, prudenter loquatur; ideoque non dicat non licere, ne forte inimicus homo ipsum accuset quod locutus sit contra legem civilem; sed simpliciter dicat quod in conscientia consensus superioris ecclesiastici requiritur.

personae Deo dicatae per sacram ordinationem vel per votum castitatis in Religione ab Ecclesia approbata[1]. — Unde detractio contra personam sacram per se non est sacrilegium, quia persona, non ejus fama, est sacra.

342. — *Q.* Sacrilegium locale quot modis committitur?

R. Sacrilegium *locale* etiam quatuor modis committitur: 1° loci sacri effractione, spoliatione, destructione, etc.; 2° loci sacri pollutione per omicidium, vel per criminosam humani sanguinis vel seminis effusionem, vel per sepulturam infidelis, aut excommunicati vitandi; 3° violatione immunitatis localis, seu asyli ecclesiastici; 4° spectacula profana in locis sacris repraesentando, vel actiones profanas peragendo, quae loci sanctitatem dedecent, etsi alias licitas, uti mercatus, conclamationes, strepitus judiciorum, nisi gravis causa excuset[2].

343. — *Q.* Peccata turpia, in loco sacro commissa, sunt ne sacrilegium?

R. Distinguo: Si peccata *turpia* sunt tantum *interna* nec adest desiderium peccandi intra ecclesiam, sacrilegium non sunt. — Si vero peccata sunt *externa,* vel si adsit desiderium peccandi *actu externo* in ecclesia, etiamsi illud extra ecclesiam habeatur, tunc an sint sacrilegium, duae adsunt sententiae. *Prima* tenet nullos actus impudicos malitiam sacrilegii contrahere, nisi actus sint consummati et notorii. *Secunda* vero, quae est, communior et verior tenet quod, seclusa ignorantia vel inadvertentia, omnia peccata externa impudica in ecclesiis commissa aliquam specialem irreverentiam includunt, ideoque esse sacrilegium grave vel leve prout illa actio externa gravem vel levem irreverentiam affert loco sacro. Sic actus consummati, etsi occulti, uti pollutio voluntaria et fornicatio, gravem afferunt irreverentiam; levem tantum aspectus. — Utrum vero gravem irreverentiam afferant peccata externa et gravia, v. g. sermones, tactus graviter turpes, controvertitur, sed probabilius affirmant. *Item* probabilius affirmant de copula maritali occulta, quia sanctitatem loci graviter dedecet, nisi fiat ex morali necessitate, ut esset si conjuges sint in periculo incontinentiae, vel si diu nempe per mensem in ecclesia permanere deberent[3].

344. — *Q.* Quid de furto in ecclesia?

R. Si res in ecclesia furata est sacra, vel ecclesiae commissa ut in ea reposita custodiatur, procul dubio est sacrilegium.

Si autem res ad ecclesiam non pertineat, sed per accidens in ecclesia reperiatur, ut si quis alterius crumenam vel horologium in ecclesia furetur, an tale furtum sacrilegium sit, disput. Th. Alii negant, quia nihil interest ecclesiae de alterius crumena, vel horologio. Sed alii probabiliter affirmant, quia ex decreto Joannis VIII: « *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non*

[1] Religiosus, qui sit etiam sacerdos, castitatem laedendo probabilius et verius unum sacrilegium committit, quia unam religionis virtutem offendit.

[2] Privata comestio in ecclesia non videtur grave peccatum, modo absit formalis contemptus, aut grave scandalum. S. Alph., L. III, 36.

[3] S. Alph., L. III, 458, 459.

sacrum de sacro, *vel sacrum de non sacro* »; ergo tale furtum ex circumstantia loci sacri non caret sacrilegii malitia, quae tamen cum sit levis, non erit necessario a poenitente exprimenda [1].

§ 3°

De simonia.

345. — *Q.* Quid est simonia; et quaenam requiruntur ad ipsam constituendam?

R. Simonia, a *Simone mago* sic dicta, definiri potest: *Studiosa voluntas emendi aut vendendi pro temporali aliquid spirituale, vel spirituali adnexum.*—Unde patet malitiam simoniae consistere in irreverentia, quae committitur dum res spirituales instar temporalium aestimantur, et contractibus subjiciuntur [2].

Ad simoniam constituendam tria necessario requiruntur: studiosa voluntas, materia et pretium.

Requiritur 1° *Studiosa voluntas.* Dicitur *studiosa voluntas* non solum quia, non secus ac alia peccata, deliberationem exigit, sed etiam quia ad essentialem simoniae malitiam non requiritur ut pactum mutuo consensu vel reipsa perficiatur, sed sufficit voluntas malitiosa, etiam solum interna, alterum obligandi ad dandum spirituale vel spirituali adnexum pro temporali, aut contra [3].

Requiritur 2° *Materia*, quae est *omnis res spiritualis, vel spirituali adnexa.* Nomine *rei spiritualis* intelliguntur omnia quae a Deo vel ab Ecclesia ad Dei cultum vel animae salutem ordinata sunt. Nomine vero *rei spirituali adnexae* intelliguntur omnia quae per se non sunt spiritualia, sed iis adhaerent, vel ad ea ordinantur [4]. — Res vero *spirituales* triplicis generis sunt. Aliae sunt spirituales in se, seu *formaliter*, uti gratia sanctificans, dona Spiritus Sancti. Aliae *causaliter*, quia sunt causa bonorum spiritualium, sicuti Sacramenta, concio, consilium, vel doctrina non ad mentis illustrationem sed ad animae salutem ordinata, preces, etc. Aliae *effective*, quatenus a causa spirituali procedunt, uti usus potestatis spiritualis, censuratio, absolutio, dispensatio votorum, collatio beneficii, etc. — Res autem *spirituali adnexae* triplici modo esse possunt. *Antecedenter*, quando res temporalis existit ante spirituale, ut vasa sacra quae consecrationi praeexistunt. *Concomitanter*, uti labor in administratione Sacramentorum, juxta sensum infra dicendum. *Consequenter*, quando temporale censetur posterius spirituali, ita ut ab eo pendeat, uti jus percipiendi

[1] *Ballerini ad Gury*, I, 286 (*a*).
[2] S. Alph., L. III, 49.
[3] *Ballerini ad Gury*, I, 288 (*a*)
[4] S. Alph., L. III, 49. — « Dupliciter aliquid potest esse annexum spiritualibus. *Uno modo* in quantum ex spiritualibus dependens: sicut habere beneficia ecclesiastica dicitur spiritualibus annexum, quia non competit nisi habenti officium clericale. Unde hujusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus; et propter hoc ea nullo modo vendere licet, quia, eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici. *Alio modo* in quantum aliquid ad spiritualia ordinatur, uti jus patronatus quod ordinatur ad praesentandum clericos ad ecclesiastica beneficia, et vasa sacra quae ordinantur ad sacramentorum usum. Unde hujusmodi non praesupponunt spiritualia, sed magis ea ordine temporis praecedunt; et ideo aliquo modo vendi possunt, non autem in quantum sunt spiritualibus annexa ». S. Th., 2ª 2ae, q. C, a IV.

decimas, vel fructus beneficii qui dantur propter officium spirituale[1].

Requiritur 3° *Pretium*, quod est quidquid lucrum vel utilitatem temporalem afferre potest, licet pecunia aestimari non possit, uti fama, libertas, etc.

Pretium triplex distinguitur : aliud dicitur munus a manu ; aliud munus a lingua ; et aliud munus ab obsequio.—Munus *a manu* comprehendit quodlibet temporale pretio aestimabile, uti essent pactio vendendi, mutuandi, debiti remissio vel solutio, cessio jurium, etc.— Munus *a lingua* comprehendit laudes, preces, favores, intercessionem et similia, quae pretio sunt aestimabilia. — Munus *ab obsequio* sunt omnia quae ad servitutem pertinent, ut v. g. famulari ad obtinendum aliquid spirituale.

546. — *Q.* Simonia quomodo dividitur?

R. Simonia dupliciter dividitur : ratione *juris* quo prohibetur, et ratione *modi* quo committi potest.

1. Ratione *juris* quo prohibetur, alia est *juris divini*, alia *ecclesiastici*. Quaenam sit simonia juris *divini* non conveniunt Th.; sed communius dicunt quod simonia juris divini est quando res per se spiritualis, uti Sacramenta, vel spirituali adnexa, uti beneficia ecclesiastica, qua talis datur pro re temporali[2]; et haec ob intrinsecam suam malitiam est simonia stricta et propria significatione. Simonia vero *juris ecclesiastici*, ideo mala est quia vetatur jure canonico, et est quando sine ecclesiae auctoritate datur res spirituali adnexa, pro alia re spirituali adnexa, ut in permutatione beneficiorum ; vel quando pro pretio rei temporalis datur officium quidem temporale sed ad res sacras institutum, ut si quis emat officium sacristae, oeconomi, thesaurarii, praefecti domus, advocati Ecclesiae, etc : quia omne pactum circa haec officia merito ab Ecclesia ex motivo religionis et reverentiae erga res sacras interdictum fuit[3].

2. Ratione *modi* quo committi potest, simonia, sive juris divini sive juris ecclesiastici, vel est mentalis, vel conventionalis, vel realis, vel confidentialis.

Simonia *mentalis* est quando quis dat temporale cum animo obligandi ad reddendum spirituale, vel e converso, sed cum occulta intentione simoniaca, idest absque ullo pacto, vel signo externo[4].

Conventionalis est quando inter-

[1] S. Alph., L. III, 49.

[2] *Billuart*, Tr. de Relig., diss. XI, a. 2. *Ballerini*, Op. Th. Mor. Tr. VI, n. 269. — « Vendere beneficia ecclesiastica probabilius est simonia juris divini ex D. Th. (2ª 2ae, q. 100, a. 5) qui docet, aliud esse temporale in calice, quod est antecedenter annexum ad spirituale; aliud quod subsequenter, ut in beneficiis, in quibus jus ad reditus subsequenter ita annexum est cum jure ad officia spiritualia, ut nullo modo separari possit, cum jus temporale essentialiter detur propter officium spirituale ». S. Alph., L. III, 70.

[3] Patrimonia ecclesiastica, legata pia, laicales capellaniae, et pensiones laicales, non sunt materia simoniae; ideoque possunt pretio aestimari. — Pensiones autem ecclesiasticae, et vicariae, coadjutoriae, beneficia manualia ab Ecclesia inducta, etsi beneficii naturam non induant, sunt tamen materia simoniae, quia sunt adnexa clericali officio, et postulant ministerium spirituale. Sed qui talia vendit vel emit non incurrit poenas simoniae; quia poenae sunt latae pro veris beneficiis. S. Alph., L. III, 112; *Marc*, 587.

[4] Etsi simonia sola intentione admitti possit, tamen qua est emptio aut venditio rei sacrae, sola intentione non fit; quamdiu igitur sola intentione continetur, simonia dici non solet, sed hoc no-

cedit pactum vel expressum vel tacitum; quod pactum, si a neutra parte executioni mandatum sit, dicitur *pure conventionalis;* si ab una parte tantum impletum, *conventionalis mixta.*

Realis est quando pactum effectu completum sit, saltem inchoate, ex utraque parte.

Simonia *confidentialis* vero est quae locum habet solum in beneficiis ecclesiasticis, ut dicetur inferius.

547. — *Q.* Simonia quale peccatum est?

R. — 1. Simonia *juris divini* est peccatum mortale ex toto genere suo, unde materiae parvitatem non admittit; - ratio, quia quaevis comparatio rei spiritualis cum re temporali est gravis irreverentia in Deum.

2. Simonia *juris ecclesiastici* est etiam peccatum mortale ex genere suo, sed non ex toto, unde admittit parvitatem materiae; - ratio, quia haec simonia ab Ecclesia prohibetur ad removendam omnem simoniae et avaritiae speciem, unde per hanc non fit proprie injuria rei sacrae, sed tantum violatur Ecclesiae praeceptum, in quo certe parvitas materiae datur [1].

548. — *Q.* Actus ordinis, jurisdictionis, et actus virtutum sunt ne materia simoniae?

R. Actus *ordinis*, uti missa, absolutio; vel actus *jurisdictionis*, uti dispensatio, certe sunt materia simoniae.

Quoad actus *virtutum*, uti v. g. jejunare, orare, Theologiam docere, inservire Episcopo vel infirmo, etc., distinguendum est: isti actus vel ordinati sunt ad nostram aliorumve utilitatem spiritualem, vel ordinati sunt ad illustrationem mentis aut ad utilitatem tantum temporalem. In primo casu materia sunt simoniae, quia eorum objectum immediatum est utilitas spiritualis; non autem in secundo casu, quia eorum objectum immediatum est res aut utilitas temporalis; et licet ab aliquo referantur etiam ad finem supernaturalem, haec tamen relatio temporalem ipsorum naturam mutare non potest.

Hinc: 1° Simonia esset Episcopo inservire in aliquo officio temporali eo fine ut *pro retributione* ipse conferat beneficium; sed non esset simonia inservire eo solo fine ut quis suam probitatem, aptitudinem demonstret; vel ut sibi conciliet benevolentiam. Nec simonia esset inservire in aliquo officio spirituali, v. g. in munere praedicatoris, caeremoniarii, cancellarii, etc., eo fine ut beneficium obtineatur. — 2° Simonia non est aliquid dare in eleemosynam, ad obtinendam aliquam gratiam, quia illa eleemosyna, licet res temporalis, habetur instar rei spiritualis. — 3° Simonia non est dare aliquod temporale sub conditione ut alter praestet rem spiritualem, vel actum virtutis in commodum tamen sui ipsius, uti si promittas dotem puellae si ingrediatur in monasterium; vel munera adolescenti si frequentet sacramenta; quia haec est simplex donatio, licet sub conditione, quae tamen non addit onus [2].

549. — *Q.* Est ne materia simoniae omissio actus spiritualis?

R. Si omissio est de re directa a potestate spirituali, et adest obligatio eam ponendi, uti esset

men subit ex quo iniri coepta fuit aliquo facto externo. *D' annibale*, III, 88.

[1] S. Alph., L. III, 50.
[2] S. Alph., L. III, 59.

omissio absolutionis, dispensationis, electionis, etc., certe est simonia.

Si vero omissio est de aliquo actu spirituali pendente a libertate agentis, uti esset omissio orandi, celebrandi, largiendi eleemosynam, tunc non est simonia, dummodo omittens non teneatur ex justitia ad id praestandum[1].

550. — *Q.* Est ne simonia 1° permutare; aut 2° vendere res sacras?

R. — **1.** Si res sunt ambae mere spirituales, v. g. missa et rosarium, utique licitum est eas permutare; quia non datur spirituale pro temporali; et res ejusdem ordinis bene invicem aestimantur.

2. Si vero sunt mixtae, distinguendum est: Si temporale est *consequenter* adnexum spirituali, uti fructus beneficii, tunc omnis permutatio sine auctoritate superioris est simonia, non ex jure divino, sed ex jure positivo. — Si vero temporale est *antecedenter* spirituali adnexum, ut argentum vasis sacri, pannus vestium sacrarum, etc., tunc, seclusa speciali prohibitione, bene possunt vendi et permutari, modo habeatur ratio tantum pretii intrinseci rei. — Dixi: *seclusa speciali prohibitione*, quia quaedam sunt quae jure ecclesiastico vendi non possunt, uti esset chrisma, aut oleum benedictum. Usus tamen invaluit in cathedralibus ecclesiis, ut aliquid ab ecclesiis particularibus accipiatur pro compensandis sumptibus factis ad materiam comparandam. — Nec vendi potest ex jure canonico locus *communis* in coemeterio; imo si vendatur ut locus sacer esset simonia juris divini. Potest tamen emi locus *dignior,* veljus sepulcri, quia tunc pretium exigeretur ratione non sepulturae, sed oneris alios ibi non sepeliendi; quod quidem est quid temporale, et usus probat.

Vendere ceram benedictam, sacras reliquias capsulis pretiosis inclusas, etc., si propter rem ipsam sacram majore pretio haec vendantur, certe est simonia, secus si vendantur tantum ratione pretii temporalis adnexi. — Attamen pluribus decretis S. C. Indulg. interdictum est ne rosaria, cruces, aut numismata benedicta, quibus adnexae sunt indulgentiae, venditioni exponantur; in quo casu et ipsae indulgentiae ex Decreto S. C. Indulg. amittuntur[2].

551. — *Q.* Est ne simonia pretium dare mediatori pro beneficio obtinendo?

R. — **1.** Si pretium mediatori datur pro labore ab ipso suscipiendo, v. g. pro itinere, vel pro alia simili causa, simonia non est. Item si aliquid datur v. g. famulo Episcopi ut facilem tribuat aditum ad ipsum, quia haec valde remote se habent ad consecutionem rei spiritualis.

2. Si pretium mediatori datur pro ipsa mediatione, sed mediatio mediata tantum est, nempe mediator intercedit solum penes tertium, qui sua vice intercedit penes habentem jus conferendi beneficium, an simonia sit, disput. Th. Sententia probabilior, juxta S. Alph., affirmat; sed sententia sat probabilis negat, quia remote tantum paratur via ad beneficium[3].

3. Si vero intercessio immediata est, nempe mediator interce-

[1] S. Alph. Hom. Ap. T. IV, 48.
[2] *Marc,* 590, 4°.
[3] S. Alph., L. III, 65.

dit penes ipsum qui jus habet in beneficium, tunc, an sit simonia, distinguendum est: — Si inter pecuniam dantem et habentem jus in beneficium adfuit aliquod pactum dandi rem spiritualem pro temporali, et intercessio seu mediatio ponitur ad hoc pactum simoniacum perficiendum, certe simonia est, et mediator complex est simoniae in beneficiis. — Si autem habens jus in beneficium non est conscius hujus pacti inter alios duos, nec ipsi ex tali pacto obvenit aliquod temporale emolumentum, tunc utrum pactum inter pretium dantem et mediatorem simonia sit nec ne disput. Th. Communiter cum S. Alph. affirmant [1], quia pecunia datur non cum spe solum, sed cum pacto ut mediator intercedat ad rem spiritualem obtinendam, unde intercessio est quaedam virtualis beneficii collatio. Non desunt tamen qui non improbabiliter negant, quia intercessio quae in casu emitur et venditur, non est res spiritualis, sed temporalis. Jus canonicum mediatores quidem de simonia damnat, sed pro mediatoribus illos intelligit qui hoc officio functi sunt ad contractum simoniacum conficiendum inter duos qui de re spirituali pro alia temporali contrahebant [2]. Ceterum haec esset simonia juris tantum ecclesiastici.

552. — *Q.* Simoniace acceptum est ne restituendum, et quibusnam?

R. — **1.** Si res simoniace accepta est res *spiritualis*, sed non beneficiaria, nihil est restituendum, quia vel restitui nequit, uti esset Sacramentum simoniace acceptum, vel res non est restituenda nisi post sententiam judicis, uti esset reliquia sacra, quia jus id non praecipit. — Si vero est res *beneficiaria*, tunc beneficium simoniace acceptum ipso facto dimittendum est, et restitui etiam debent fructus injuste percepti, retenta tamen parte quae labori respondet; qui fructus restitui possunt vel Ecclesiae, vel pauperibus; et si adest justa causa etiam compositio a Papa obtineri potest.

2. Si autem res simoniace accepta est res *temporalis*, tunc si res accepta fuit absque laesione justitiae commutativae, non adest obligatio, ex jure, illam restituendi ante sententiam judicis; *excepta materia beneficiali*, in qua datum et acceptum ante omnem sententiam judicis in foro conscientiae est restituendum, non ex jure naturali, sed ecclesiastico tantum [3]. — Si autem res accepta fuit cum laesione justitiae commutativae, tunc certe ante judicis sententiam restituenda est.

Ad cognoscendum vero cuinam restituendum sit, distinguere oportet. — Si res spiritualis nondum tradita est, pretium injuste acceptum restitui debet illi qui dedit, nisi aliter judex decreverit. — Si vero jam tradita sit et pretium

[1] S. Alph., L. III, 65.

[2] *Ballerini*, Op. Th. Mor. Tr. VI, 235 et seqq. *Gury*, Casus Consc. Edit. 3ª, I, 287.

[3] Hac de causa simoniae quidem reus est, sed ad pretium restituendum non tenebitur (ante judicis sententiam) quisquis contra ecclesiasticas leges; 1° vendat temporale Ecclesiae officium, v. g. oeconomi, custodis, etc,; 2° qui pretio valorem materiae non excedente vendat oleum sacrum, et alia hujusmodi; 3° qui pecuniam recipiat pro admissione alicuius in Religionem; 4° qui contra specialem prohibitionem, titulo tamen stipendii ad sustentationem pecuniam pro functione spirituali accipiat; 5° qui stipendium alioquin lege non interdictum accipiat tamquam functionis spiritualis, v. g. sacrificii pretium; etc. *Ballerini ad Gury*, I, 295, q. 2 (*c*).

pro re beneficiali acceptum fuit, restitui debet Ecclesiae in qua situm est beneficium, vel, si Superior velit, pauperibus. Quod si pretium fuit acceptum pro alia re spirituali, tunc ei qui dedit restitui potest.

De causis a simonia excusantibus.

553. — *Q.* Adsunt ne causae a simonia excusantes?

R. Si proprie loqui velimus, nullae dantur causae excusantes a simonia; attamen aliquae adsunt causae, quae efficiunt ut simonia non sit, quod primo aspectu talis videtur. Hae causae quinque recensentur: 1° liberalitas; 2° debita sustentatio; 3° legitima consuetudo; 4° labor extrinsecus et indebitus; 5° redemptio ab injusta vexatione.[1] Hinc versus:

« *Hanc gratis exhibitum, dona et stipendia vitae,*
« *Hanc usus, labor, hanc et justa redemptio tollunt* ».

554. — *Q.* Quandonam liberalitas excusat?

R. Ut liberalitas vel gratitudo a simonia excuset, duo requiruntur: 1° ut temporale detur omnino gratis, sine ullo pacto sive explicito sive implicito; 2° ut donatio nulla lege ecclesiastica prohibita sit, uti esset in concursu.

555. — *Q.* Est ne simonia aliquid accipere pro administratione Sacramentorum?

R. Si quod accipitur, accipitur solum pro labore *extrinseco*, puta si Sacerdos deberet celebrare cum cantu, vel tali hora, loco et simili non est simonia. — Si vero accipitur pro labore *intrinseco*, quo constat materialiter ipsa res, uti in sacro faciendo est ipsa missae celebratio, tunc, si illud accipitur uti pretium illius laboris intrinseci, est simonia, non vero si accipitur uti stipendium sustentationis[2].

556. — *Q.* Est ne simonia functiones sacras peragere principaliter ob temporale emolumentum?

R. Disput. Th.: alii omnino affirmant; sed alii probabilius sic disting.: si temporale emolumentum accipitur principaliter uti pretium rei sacrae, certe est simonia; secus vero si accipitur principaliter non uti pretium, sed uti stipendium ex justitia debitum ad sustentationem ministri, qui in proximi gratiam occupatur. — Ceterum, ait S. Alph.[3], videtur non posse excusari saltem a veniali, qui spiritualia munia ad bonorum temporalium acquisitionem ordinat[4].

557. — *Q.* Licet ne pretio injustam vexationem redimere?

R. — I. Si injusta vexatio afficit jus jam acquisitum in beneficium, licet ipsam pretio redimere, seu removere, dummodo nihil spirituale tradatur, puta beneficium.

[1] Addi potest *dispositio Sum. Pontificis:* potest enim S. Pontifex simoniam juris ecclesiastici *directe* tollere, abrogando legem; simoniam juris divini potest tollere *indirecte*, e. g. titulum compensationis aut poenae, uti fit in dispensationibus matrimonialibus, votorum, etc. *Marc*, 588, 5.

[2] S. Alph., L. III, 35; Hom. Ap. T. IV, 45.

[3] S. Alph. Hom. Ap., Tr. IV, 45.

[4] Plures Th. etiam a veniali excusant eum, qui spiritualia munia ad bonorum temporalium acquisitionem ordinat, modo illa bona non unice intendat, et modo agatur de acquisitione aliqua bonorum quidem temporalium, sed honesta; siquidem etiam pro rebus temporalibus possumus et debemus Deum orare. Vide S. Thomam, 2ª 2ae, q. 83, a. 1.

2. Si vero injusta vexatio afficit jus adhuc acquirendum, distinguendum est: vel injusta vexatio provenit ab iis qui aliquod jus in beneficium habent, ita ut beneficii consecutioni etiam prodesse possint, vel ab iis provenit qui nullum jus habent, et beneficii consecutioni tantum possunt obesse; in primo casu est simonia aliquid dare ad tollendam injustam vexationem, non vero in secundo [1].

Ex dictis plura sequuntur corollaria: 1° Duos inter se contendentes non posse transigere circa aliquod beneficium absque simonia. 2° Probabilius licere pro possessione ineunda jam adepti beneficii vexationem pecunia redimere, quia possessio est res mere temporalis. Trident. tamen praecipit Episcopis ne permittant pro admissione ad possessionem beneficii solutionem ullam, aut promissionem, utpote simoniacae labis aut sordidae avaritiae suspicionem habentes, reprobata quacumque consuetudine in contrarium; et tantum permittit, si sit consuetudo, dare aliquid in usus pios convertendum. Sed haec intelliguntur non de omnibus beneficiis, sed tantum de canonicatibus et praebendis in ecclesiis cathedralibus, aut collegiatis, ut probabiliter dicunt plures Th. [2]. 3° Simoniam non esse pro indigno removendo aliquid electoribus tradere, quia Ecclesia habet jus ne sibi detur indignus [3]. 4° Demum posse quempiam, saltem juxta plures, Sacerdoti praebere pecuniam sibi in necsssitate injuste Sacramenta deneganti, et sic removere impedimentum pravae voluntatis, nempe injustae vexationis.

De simonia speciatim circa ordines, religionis ingressum, beneficia, et de simonia confidentiali.

558. — *Q.* Quandonam committitur simonia circa ordines?

R. Simonia circa *ordines* committitur quando aliquid pro ipsa collatione, vel susceptione alicujus ordinis, et, juxta plures, etiam tonsurae, accipitur vel datur praeter id quod est a jure permissum; vel quando pro functionibus ordinum tam majorum quam minorum aliquid, ut pretium ipsarum functionum, exigitur.

559. — *Q.* Quandonam committitur simonia circa religionis ingressum?

R. Simonia circa *religionis ingressum* committitur quando aliquid datur pro ingressu in aliquam religionem cum votis solemnibus, quia tunc adest commutatio rei spiritualis cum re temporali; vel quando aliquis admittitur ex sola spe aliquod temporale ab eo recipiendi.

E contra simonia non est aliquid dare ut facilius ex gratitudine recipiatur, vel aliquid exigere pro ingredientis sustentatione, si monasteripm est pauper. Si vero monasterium est opulentum, an liceat aliquid accipere pro sustentatione ingredientis, Th. admittunt: 1° pro tempore *novitiatus*; 2° si recipiendus est *infirmus*, *senex*, etc., ratione extraordinarii incommodi temporalis quod monasterio affert; 3° quando agitur de *monialibus*, quia Clemens VIII

[1] S. Alph. Hom. Ap. Tr. IV, 49.
[2] S. Alph., L. III, 90.
[3] S. Alph., L. III, 103.

ipsis indulsit posse pacisci de dote recipiendarum pro earum sustentatione — Seclusis his tribus casibus, an monasterium opulentum possit licite aliquid accipere, disput. Th.: S. Alph. cum aliis negat; ratio potissima, et S. Doctori valde urgens est quia postulans, etsi ante receptionem nullum jus habeat ad bona monasterii, postquam tamen receptus est, habet quidem jus ad illa pro sua sustentatione.[1]

560. — *Q.* Quandonam committitur simonia circa beneficia?

R. Simonia circa *beneficia* committitur quando fit aliquod pactum circa illa sine legitima superioris auctoritate; uti esset venditio, vel transactio, vel permutatio, vel resignatio conditionata beneficii, etc. Dixi: *sine legitima superioris auctoritate,* quia simonia non esset si partes volentes transigere, vel permutare, vel resignare beneficium, inter se convenirent de honestis conditionibus transactioni, permutationi, vel resignationi apponendis et legitimo superiori proponendis.

561. — *Q.* Quandonam committitur simonia confidentialis?

R. Simonia *confidentialis* committitur quando quis, dum alteri beneficium dat utcumque (idest aut eligendo, aut praesentando, aut postulando, aut conferendo, aut in alterius favorem resignando), aliquid propria auctoritate, sub certa confidentia, seu cum pacto expresso aut tacito, vel circa beneficii fructus, vel circa ipsum beneficium, sibi reservat[2]. — Haec autem reservatio circa ipsum beneficium quatuor modis locum habere potest: — 1° Per *accessum*, quando quis volens conferre beneficium alicui inhabili ob aetatem, illud confert alteri cum pacto ut beneficium resignet statim ac inhabilis habilis fiat. — 2° Per *ingressum*, quando quis beneficium sibi collatum ante captam ejus possessionem alteri resignat, servato sibi jure possessionem beneficii ingrediendi, si iste beneficium sit dimissurus. — 3° Per *regressum* quando quis beneficium, quod possidet, alteri resignat cum pacto quod postea beneficium sit regressurum ad ipsum renuntiantem, vel ad aliam personam ab ipso designatam. — 4° Per *pensionem* seu per *stipulationem fructuum*, quando quis suum beneficium alteri resignat reservans sibi vel alteri ex privata auctoritate aliquam pensionem[3].

Tria autem requiruntur ut simonia confidentialis adsit, nempe: 1° ut pactum sit circa idem beneficium, vel circa fructus ejusdem beneficii; quamobrem non erit simonia confidentialis si quis aliquid sibi reservaverit super alio beneficio, vel quid aliud super beneficio ipso; 2° ut pactum sit de se validum si non obstaret simonia, sic, v. g. non esset de se validum si quis beneficium non in manu Episcopi, sed propria auctoritate renuntiaverit[4]; 3° ut ille cui beneficium procurat, confert, etc., jure aliquo in ipsum polleat, uti esset praesentans, collator, etc.[5].

[1] S. Alph., L. III, 92.
[2] S. Alph., L. III, 49.
[3] Licet permutatio beneficiorum sit quaedam quasi mutua resignatio, quia tamen in odiosis versamur, simoniam confidentialem locum non habere verius est. *D'Annibale*, Comment. Ed. 4ª, 132.
[4] *D'Annibale*, Ib., 132.
[5] S. Alph. L. III, 85 et seqq.

De simoniae poenis.

562. — *Q.* Quandonam incurruntur poenae ob simoniam?

R. — 1. Si simonia est *pure mentalis*, nulla incurritur poena, quia Ecclesia de internis non judicat.

2. Nec poena incurritur si simonia est *pure conventionalis;* imo in communiori et probabiliori sententia, neque si est simonia *conventionalis* ; sed requiritur simonia *realis*, nempe traditio sive rei, sive pretii saltem partis pretii.

3. Nec poena incurritur, in probabiliori sententia, si simonia est juris tantum ecclesiastici, nam cum in odiosis stricta interpretatione utendum sit, et cum simonia excommunicatione coërceatur, simoniam accipimus *juris divini*, quia haec vere ac proprie simonia est [1].

4. Delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam. **Can. 2392.**

Nomine *officii* venit quodlibet munus regiminis spiritualis v. g. Superioris Generalis, Provincialis, Guardiani aut aliud simile in aliquo regulari ordine.

Nomine *beneficii* inxta Codicem, can 1409 venit beneficium ecclesiasticum nempe ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos. Hoc nomine intelligitur quodlibet beneficium sive sit saeculare, sive regulare, sive curatum, sive simplex ; at non est beneficium pensio, cappellania laicalis, etc.

Nomine *dignitatibus ecclesiasticis* veniunt Rectores qui praesertim in cathetralibus, aut collegiatis ecclesiis quadam fruuntur honoris praerogativa seu praeminentia et administratione ac iurisdictione, ideoque etsi cum reliquis canonicis unum corpus efficiant, ab eis tamen propter hanc administrationem, praeminentiam et iurisdictionem distinguuntur. Unaquaeque ecclesia suas habet consuetudines ; hanc dignitatem in una ecclesia obtinet Archidiaconus, vel Archipresbyter ; in altera eam obtinet Decanus, vel Praepositus, vel Primicerius .

Praeter excommunicationem perpetrantes delictum simoniae praedictae ipso facto privati in perpetuum manent iure eligendi praesentandi, nominandi si quod habeant.

Si clerici sint praeterea suspendantur.

2: *Nullitas actus*, unde electio, praesentatio, institutio, etc., est ipso jure nulla, et simoniacus nec retinere potest beneficium, nec beneficii fructus facere suos. — Quod si simonia facta sit a tertia persona, actus est etiam nullus, licet beneficiatus eam invincibiliter ignoraverit; exceptis tribus casibus: 1° si ille tertius simoniam commisit eo fine ut illum redderet inhabilem ad beneficium ; 2° si beneficiatus et prohibuit et protestationem fecit contra simoniam, et postea, simoniam ignorans, be-

[1] S. Alph. L. III, 103 ; *D' Annibale*, I, 184 (25).

[2] De Siena, Commentarius de Censuris.

neficium occupaverit; 3° si bona fide, pacifice, per tres annos in beneficii possessione permansit.

8. *Inhabilitas* ad idem beneficium obtinendum; et etiam inhabilitas ad alia bebeficia obtinenda, sed post judicis sententiam, saltem declaratoriam criminis. — Quoad beneficia vero antea obtenta, Th. communiter dicunt ipsis non privari ante sententiam judicis condemnatoriam, quia nulla lex habetur quae hanc poenam expresse ipso facto incurrendam designet. Nonnulli excipiunt examinatores, qui occasione examinis ad Paroeciam aliquid recipiant, *ex Trid. sess.* 24, *cap.* 18; sed ali Th. censent hanc poenam cum tanto rigore non esse receptam: unde *in praxi* sententia declaratoria expectari potest [1].

IV. Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines *scienter* promoverint vel *receperint*, sunt suspecti de haeresi; clerici praeterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam. **Can. 2371.**

V. Incurrunt ipso facto in excommunicationem Apostolicae Sedi simpliciter reservatam quaestum facientes ex indulgentiis [2]. **Can. 2327.**

Quaestum faciunt ex indulgentiis qui indulgentias concedunt, vel publicant, vel publicari faciunt sive fictas, sive etiam veras, non ad salutem animarum, sed ad lucrum capiendum; sed ad poenam incurrendam requiritur ut lucrum realiter captent [2].

NOTA. In antiqua disciplina simonia *confidentialis* specialibus poenis subiecta erat; sed Codex a ceteris simoniae speciebus non discernit, ideoque poenis communibus subiicitur.

[1] S. Alph. L. III, 102.

[2] Ex Codice iuris canonici adest excommunicatio in omnes, qui quaestum faciunt ex indulgentiis, aliisque gratiis spiritualibus. — ~~Item in eos qui colligunt eleemosynas majoris pretii pro missis, et ex iis lucrum capiunt, faciendo eas celebrare in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent.~~

DE SECUNDO DECALOGI PRAECEPTO

Secundum Decalogi praeceptum ita se habet: *Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra* (Exod. XX, 7).

Hoc praeceptum uti *negativum* directe prohibet illos irreligiositatis actus, quibus vel ipse Deus, vel ejus SS. Nomen dehonoratur: quod fit praecipue per vanam Dei Nominis usurpationem, per blasphemiam, perque juramentum aut votum illicitum vel violatum. Uti vero implicite *affirmativum*, praecipit illos religionis actus quibus SS. Dei Nomen honoratur, praesertim vero omnis juramenti ac voti adimpletionem.

Haec dissertatio in tria capita dividitur: 1. *agit de vana Dei Nominis usurpatione et de blasphemia;* 2. *de juramento;* 3. *de voto.*

CAPUT I.

De vana Dei Nominis usurpatione, et de blasphemia.

ART. I.

De vana Dei Nominis usurpatione.

564. — *Q.* Quid est vana Dei Nominis usurpatio, et quale peccatum est?

R. Vana usurpatio seu profanatio Dei Nominis est *omnis appellatio Nominis Dei, vel Christi, vel B. M. V. aut Sanctorum, facta sine justa causa, vel sine debita reverentia.* Sic profanatio Dei Nominis est dicere: *Christum, Christum Sanctum, per Deum, Sacrum Nomen Dei,* etc., si fiat ex impatientia, seu cum ira non gravi, vel ex admiratione per modum exclamationis, vel ex levitate aut mala consuetudine [1].

I. Vana usurpatio seu profanatio Divini Nominis *per se* est peccatum tantum veniale, licet inter venialia grave [2]. Est peccatum, quia laedit reverentiam divino Nomini debitam; est vero tantum veniale, quia illam reverentiam laedit non graviter.

II. Profanatio divini Nominis *per accidens* potest esse peccatum mortale: — 1° Ratione *conscientiae erroneae,* cum quis putat quaedam sacra verba proferre, uti *Christum, Sacramentum, Corpus Dei,* etc., esse peccatum grave, et tamen profert; — 2° Ratione *con-*

[1] Usurpare nomen *diaboli* sine imprecatione per se non est peccatum, sed assidua diaboli nominatio christianum non decet, et potest esse peccatum ratione scandali.

[2] S. Alph., L. III, 128.

temptus formalis in Deum. Dixi: *formalis,* nam contemptus virtualis, qui generatim adest in quolibet defectu reverentiae erga Deum, gravitatem reatus non inducit[1]; — 3° Ratione *gravis scandali,* vel *gravis periculi* blasphemandi; ut si quis animadverteret se, ex mala consuetudine Nomen Dei in vanum usurpandi, esse in proximo periculo in blasphemias incidendi; — 4° Ratione *irae gravis,* cum qua illa sacra Nomina quis profert, quando ira ad formalem Dei contemptum progreditur, vel quando contra Deum fertur, quia tunc adest injuria in Deum.

565. — *Q.* Qui illa sacra verba profert ira gravi et magna quidem, at non in Deum, sed in creaturas, in homines, belluas, etc., peccat ne graviter?

R. Disput. Th. *Prima sententia* affirmat; quia illa sacra verba non sunt consideranda in se, bene vero in sensu populi; sed apud nos, in sensu populi, pro magna et gravi irreverentia erga Deum habentur; ergo a peccato mortali excusari nequeunt. Praeterea huic gravi contra Deum irreverentiae scandalum superadditur, quatenus viri sic pessime habituati in causa sunt cur in familiis et paroeciis istae blasphemiae perpetuentur[2]. — *Secunda sententia* vero communior negat, quia ira utut gravissima non immutat naturam verborum. Quoad scandalum vero, etiamsi foret scandalum directum, profecto impulsus ad culpam per se venialem non potest esse mortalis. Et si Cl. Scavini tenet hujusmodi locutiones in ore Sacerdotum esse mortale peccatum ob magnum scandalum in fideles, ratio aliunde petenda est, ex eo scilicet quod propter hoc in fidelibus generatim minuatur tum peccati horror, tum ecclesiasticorum virorum existimatio, non secus ac quando vir e clero deprehenditur aut mendax aut semiebrius, aut rei alienae, utut in materia levi, fraudator[3].

Et haec *in praxi* sedulo attendenda sunt praesertim a concionatoribus, ne dum vehementer haec vitia insectantur, falsam de gravitate culpae conscientiam injiciant, et sic gravis hujus culpae ac ruinae spiritualis plurimorum ipsi vere sint artifices, *ad gehennam aedificantes*[4].

[1] *Ballerini ad Gury,* I, 297 (*b*).
[2] *Berardi,* Praxis, 86.

Art. II.

De blasphemia.

566. — *Q.* Quid est blasphemia?

R. Blasphemia definitur: *Locutio contumeliosa in Deum.* — Quare ad rationem blasphemiae tria requiruntur:

I. *Locutio,* quia blasphemia, quum opponatur laudi Dei, fit per *verba.* Hinc ad blasphemiam *proprie dictam* requiritur verbum formale; sufficit tamen verbum scriptum, quia scriptum tam expressam significationem habet quam ore prolatam, et loco illius substituitur. Probabilius veniunt etiam *cogitationes,* seu verba Deo contumeliosa quae mente tantum voluntarie pronuntiantur; nam sicut Dei laus, ita et blasphemia etiam solo animo fit. *Facta* autem, e. g. gestus, quibus Deo contumeliam irrogatur, praesertim si vim verborum habent in significando, ut e.

[3] *Ballerini ad Gury,* I, 296 (*a*).
[4] *Ballerini ad Gury,* I, 297 (*b*).

g. spuere in coelum tamquam Dei sedem, Crucifixum pede conculcare, etc., dicuntur etiam blasphemiae, sed *improprie* tantum [1]

2. Ut haec locutio sit *contumeliosa*, quae nempe contumeliam seu contemptum vel injuriam in Deum contineat. Hoc vero quatuor modis fieri potest: — 1° Aliquid falsi Deo tribuendo, v. g. si quis diceret Deum esse tyrannum, vel injustum; vel aliquid veri Ipsi denegando, v. g. si negaret eum esse justum, sanctum, providum, etc. — 2° Id quod est Dei proprium, v. g. infallibilitatem, omnipotentiam, etc., creaturae tribuendo. — 3° Deo, vel iis quae Dei sunt, uti rebus sacris, imprecando: hinc alicui *creaturae maledicere,* in quantum ipsa consideratur ut creatura Dei, est blasphemia, secus non [2].
— 4° Tandem Deum, vel quae Dei sunt, injuriose vel irrisorie enuntiando [3]. Ceterum, quandonam verba contumeliosa sint, judicandum erit vel ex verborum significatione; vel ex modo loquendi, uti si quis irato in Deum animo illa verba proferat; vel ex aliis rerum circumstantiis, quia res magis facti est quam juris [4].

3. *Ut sit in Deum*, vel in se, vel in creatura considerata in ordine ad Deum, quatenus in ea elucet specialiter aliqua divina perfectio. Hinc locutio contumeliosa in Sanctos, uti tales, est blasphemia; si autem uti *homines* qui in terris fuerunt, ut si quis sanctos Crispinum et Crispinianum *sutores,* vel sanctos Joannem et Paulum *eunuchos* vocaret, non ex odio aut ex contemptu, sed solum ex joco qui auferat omnem irreverentiam in Deum, blasphemia non esset [5].

Ad rationem autem verae blasphemiae, ut communiter dicunt Th., non requiritur ut blasphemia sit *directa*, nempe ut quis blasphemando directe intendat Dei dehonorationem, quod diabolicum esset; sed sufficit ut verba blasphemiae proferat, quae scit et animadvertit esse Deo contumeliosa [6].

[1] Quum blasphemia per *facta* sit tantum impropria, ideo censura et reservatione (sicubi latae sunt in blasphemos), eximitur. *D' Annibale*, 72, 56 (3).

[2] Hinc maledicere ventis, pluviae, igni, etc., non est blasphemia, nisi Dei nomen addideris, v. g. *ignis Dei.* — Maledicere autem *mortuis*, si quis in tali maledictione eorum animas respicit, peccat mortaliter peccato blasphemiae, cum in anima Dei imago reluceat. Secus per se non est blasphemia; sed tantum maledictio plerumque levis quia neque per se, neque ex mente proferentis mortuis infertur gravis injuria. S. Alph., L. III, 127, 130.

[3] Hinc ut communiter dicunt Th. non est blasphemia dicere contra homines, belluas, v. g. *Corpo di Dio*, nisi indignatio sit directa contra Deum. — Nec dicere: *Nego Deum si te non percussero;* qui enim haec verba profert, vult tantum significare, quod certe percutiet. — Nec dicere: *Hoc est verum sicut Deus*, quia tunc communiter non aequiparatur veritas creata cum increata, sed solum indicatur quaedam similitudo mixta cum aliqua hyperbole. S. Alph., L. III. 124.

[4] *D' Annibale*, II, 56. — Hinc, quando quaedam mulieres, alioquin piae, dicunt: *Deus vere oblitus est mei! Cur Deus me creavit?* licet haec verba per se sint blasphemiae, per accidens tamen blasphemiae non sunt, quia illae haec verba proferunt modo loquendi humano, vel ex levitate, vel ad ostendendam doloris aut taedii gravitatem.

[5] S. Alph., L. III, 125.

[6] Ut autem confessarius rite judicet de blasphemiis (et idem dicito de aliis linguae vitiis) inadvertenter et solum vi habitus prolatis, adhibeat oportet principia tradita ubi *De Actibus humanis* n. 28; et *De peccatis* n. 216.

567. — *Q.* Blasphemia quomodo distinguitur?

R. Blasphemia distinguitur: — 1° Ratione *objecti*, et alia est *immediata*, si in Deum profertur; alia *mediata*, si in Sanctos. — 2° Ratione *intentionis*, et alia est *directa*, si directe intenditur Dei dehonoratio; secus dicitur *indirecta*: alia est *formalis*, et alia *materialis*. — 3° Ratione *modi* quo profertur, et alia est *interna*, alia *externa*, prout in corde sistit vel foris manifestatur. Blasphemia externa, si verbis perficitur, *propria*, si factis, *impropria* vocatur.—4° Ratione *verborum* quibus blasphemia exprimitur, et alia est haeretica, alia haereticalis, alia simplex. Dicitur *haeretica*, si aliquid contra fidem continet cum errore ex parte intellectus, et pertinacia ex parte voluntatis; si sejuncta a tali errore et pertinacia, dicitur *haereticalis;* si autem nihil contra fidem continet, *simplex* vocatur. Haec autem est vel *imprecativa*, cum quis Deo malum imprecatur; vel *dehonestativa* si vera quidem de Deo profert, sed per contumeliam et contemptum.

568. — *Q.* Blasphemia quale peccatum est?

R. — I. Quaevis blasphemia formalis et deliberata, sive immediata sit sive mediata, sive directa sive indirecta, *ex parte objecti* est peccatum mortale ex genere suo *toto*, unde parvitatem materiae non admittit, quia quaelibet contumelia in Deum gravem injuriam Ipsi affert [1].

II. Blasphemia *ex parte subjecti*, potest esse peccatum tantum veniale, ex imperfectione actus, seu ex defectu plenae advertentiae vel pleni consensus, puta si quis non habitu, vel habitu jam debite retractato, ex subito irae motu et sine sufficienti advertentia verba blasphemiae proferret [2].

569. — *Q.* Blasphemiae differunt ne specie inter se?

R. — I. Blasphemiae *haeretica, haereticalis* et *imprecativa*, cum procedant illae ex infidelitate, ista ex desperatione vel ex odio, certe specie differunt tum inter se, tum a simplici *dehonestativa;* quia continent aliam malitiam specie diversam, nempe contra fidem si est haeretica; contra praeceptum fidem exterius profitendi, si est haereticalis; contra spem, si est imprecativa ex desperatione, vel contra caritatem Dei, si est imprecativa ex odio.

2. Blasphemia *directa* utrum

[1] In dioecesi Taurinensi recensetur inter culpas reservatas 2ae Classis *blasphemia contra Deum, aut SS. ejus Matrem, vel uno praesente, qui advertat, prolata.* Unde ad reservationem requiritur: 1° ut blasphemia sit propria; 2° ut sit in Deum vel in B. M. V.; 3° ut sit a reservationis conscio; 4° ut sit prolata cum actuali vel virtuali advertentia coram aliquo advertente. — *Item*, in dioecesi Neapolitana, *quicumque blasphemaverint etiam pro una vice Deum, vel B. Virginem coram pluribus supra quatuor* incurrunt casum Ordinario reservatum, sed sine censura. — Casus XIII secundae classis.

[2] « Blasphemia potest absque deliberatione ex surreptione procedere *dupliciter: Uno modo* quod aliquis non advertat hoc, quod dicit, esse blasphemiam, quod potest contingere cum aliquis subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat; et tunc est peccatum veniale, et non habet proprie rationem blasphemiae: *Alio modo*, quando advertit hoc esse blasphemiam, considerans significationem verborum; et tunc non excusatur a peccato mortali, sicut nec ille qui ex subito motu irae aliquem occidit juxta se sedentem ». S. Th., 2a 2ae, q, 13, a. 2.

specie differat ab *indirecta,* necne, disput. Th. Alii negant, et dicunt quod, nisi accedat malitia odii in Deum, directa continet solum circumstantiam notabiliter aggravantem, quia directa intentio rei prohibitae non est eo ipso contemptus formalis legis prohibentis [1]. Sed S. Alph. cum aliis affirmat, ideoque dicit quod in confessione exprimendum est si quis (quod tamen raro contingit) directe et formaliter Deum inhonorare intenderit, aut Ei formaliter iratus fuerit; secus si tantum ex ira blasphemet [2].

3. An vero blasphemia *in Deum* specie differat a blasphemia in *B. M. V.* vel *Sanctos,* alii probabiliter affirmant; sed alii etiam probabiliter negant; - quia blasphemia profertur in Sanctos non ob propriam eorum excellentiam, sed quatenus ad Deum mediate referuntur, unde peccatum non est contra dulia, sed contra latriam. Quare juxta secundam sententiam, blasphemus non tenetur explicare *quem* blasphemaverit, Deum ne, an Deiparam, an Sanctos; et si plures Sanctos blasphemavit, opus non est explicare *quos,* vel *quot* [3].

570. — *Q.* Quaenam in *praxi* Confessarius observare debet quoad blasphemos?

R. Confessarius quoad *culpam* observet: 1° quaenam verba saltem in genere poenitens protulerit, ut cognoscat utrum verae blasphemiae sint, an non; plures enim se blasphemasse confitentur, dum verba protulerunt quae certe blasphemiae non sunt. In dubio vero utrum illa verba prolata blasphemiae sint an non, attendendum est ad proferentis intentionem; et si Confessarius noverit poenitentem ex erronea conscientia peccasse, illum a pernicioso errore revocet; 2° quando vero poenitens veram blasphemiam protulerit, observet utrum sit haeretica, an haereticalis, vel imprecativa; nam hae continent malitiam specie diversam, ut supra dictum est; 3° an blasphemiam protulerit ex aliqua occasione, v. g. in ludo, in caupona; 4° an coram filiis, famulis, etc.; 5° quod si poenitens haec verba inadvertenter ex pravo habitu protulerit, observet utrum ille ab hac prava consuetudine se liberare studeat, an negligat, quia si emendationem vere studeat, tunc non est amplius reus: non in actu, quia illa verba sine ulla advertentia protulit; non in causa, quia retractata. E contra si blasphemator animadverterit tum ad suum pravum habitum, tum ad obligationem se emendandi, et nihilominus hanc emendationem ex gravi negligentia non curavit, tunc illae blasphemiae sunt voluntariae indirecte seu in causa.

Quoad *remedia* vero Confessarius curet: 1° ut poenitens gravitatem blasphemiae perpendat, considerans ipsam rem diabolicam esse, et flagella Dei super familias et nationes propter blasphemias gravare; 2° ut concipiat et retineat firmam voluntatem se a tam gravi peccato emendandi, remedia opportuna adhibendo, nempe occasiones blasphemiarum fugiendo, uti cauponam, ludum, etc.; 3° ut quoties in blasphemiam prolabitur, aliquam saltem levem poenitentiam sibi imponat, ut offensam Dei illico reparet cum actu contritionis, vel saltem cum ali-

[1] *Ballerini, Opus Mor.,* vol.2, T.VI, 20.
[2] S Alph., L. III, 126.
[3] S. Alph., L. III, 132. *D' Annibale,* II, 59 (23).

qua brevi jaculatoria, v. g. *laudetur Jesus Christus;* 4° tandem ut Sacramentum poenitentiae frequentet; 5° suadere etiam potest iis qui consuetudinem habent blasphemandi ut loco blasphemiarum quaedam sonora verba adhibeant quae nihil pravi significant: hoc enim modo facilius emendatio obtinetur, quam si quis vellet ut ab omni indecoro verbo se abstineant.

CAPUT II.

De juramento.

ART. I.

De juramenti essentia.

571. — *Q.* Quid est juramentum et quomodo dividitur?

R. Juramentum definitur: *Invocatio Divini Nominis ad fidem faciendam vel ad promissionem firmandam.* Haec invocatio fieri potest sive verbis, sive actione aliqua, puta erectione manus, tactu Evangeliorum, et etiam verbis et actione simul.

Juramentum multipliciter dividitur:

1. Ex parte *objecti* seu *materiae*, aliud est *assertorium,* aliud *promissorium,* prout fit ad confirmandam assertionem vel promissionem.

2. Ex parte *subjecti* seu jurantis, aliud est *explicitum,* aliud *implicitum.* Illud, cum Deus expressis verbis vocatur in testem; hoc, cum juratur per creaturas, si invocantur cum relatione ad Deum.

3. Ex parte *modi,* aliud est *contestatorium,* quando Deus simpliciter invocatur ut testis; — aliud *execratorium,* vel *imprecatorium,* quo quis sibi vel aliis malum imprecatur si falsum proferat; et ad hoc juramentum refertur haec formula: *Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia,* quibus verbis bona sibi precatur si verum dicit, secus maledictionem;—aliud est *comminatorium,* quando jurans sub attestatione Divini Nominis alteri poenam comminatur, v. g. *Testor Deum quod te verberabo* [1]; — aliud est *solemne,* quod fit solemnitatibus ex jure vel consuetudine praescriptis; aliud *simplex,* quod fit sine illis; aliud *suppletorium,* quod emittitur in supplementum probationis, sed in causis tantum civilibus; aliud est *decisorium,* quod fit causa litis finiendae.

572. — *Q.* Quaenam requiruntur ad essentiam juramenti?

R. Ad essentiam juramenti duo requiruntur: intentio, et formula juratoria.

I. Requiritur *intentio,* saltem *virtualis,* jurandi seu invocandi Deum in testem, quia juramentum pendet ab intentione seu voluntate jurantis; ergo si talis intentio non adsit, nec adest juramentum. — Hinc, *pro foro interno* semper ac deest animus jurandi, deest et juramentum, quaecumque formula adhibeatur [2]. E contra quo-

[1] Si haec proferantur a parentibus in filios, ordinarie non obligant, quia juramentum vel fuit de re inutili, vel potius de re mala, seu de vindicta inordinata, vel factum cum intentione eos simpliciter terrendi.

[2] Ex defectu hujus intentionis jurandi non sunt juramentum quaedam verba quae rustici et juvenes aliquando proferunt, v. g. *juro; juro rem ita esse.* Et si ipsi confitentur se jurasse in proferendis quibusdam vulgaribus verbis, opportunum erit eos monere, has voces nullum importare verum juramentum, indecorum tamen esse iisdem uti. *Gousset, de Juramento,* n. 15.

ties adest intentio formalis aut virtualis jurandi, toties habetur juramentum, quaecumque verba adhibeantur. At *pro foro externo,* si certo non constat de intentione, attendenda erit formula quae adhibita fuit.

2. Requiritur *formula juratoria* verbis vel signis expressa, qua vel explicite vel implicite Deus invocetur ut testis dicti vel promissi.

573. — *Q.* Quaenam formulae juramentum continent?

R. Ex formulis aliae certe juramentum continent, v. g.: *Juro per Deum; testis est mihi Deus; puniat me Deus, si...,* etc.

Aliae e contra certe juramentum non important, v. g.: *in rei veritate; in mea conscientia; in fide probi viri,* etc. Qui enim aliquid ita asserit, intendit solum aperire rem uti est, vel prout est in sua conscientia, etc.

Aliae demum sunt dubiae, et de istis ex circumstantiis judicium erit efformandum. Sic v. g. dicere: *juro rem ita esse,* per se non est juramentum, quia his verbis nec explicite nec implicite Deus in testimonium vocatur; sed esset juramentum *si praecesserit interrogatio de jurejurando,* quia tunc per interrogationem praecedentem illud *juro* satis determinatur ad verum juramentum. Hae autem formulae: *Deus scit; Deus videt; loquor coram Deo; per Deum; per Nomen sacrum Dei,* et aliae quae vulgo adhiberi solent, si proferantur *invocative,* quod ex circumstantiis vel intentione loquentis dignoscitur juramenta sunt; si vero *narrative* tantum, juramenta non sunt, aut sunt juramenta solum materialia, non autem formalia[1]. Qui diceret: *hoc est verum tanquam Evangelium;* vel: *sum innocens ut B. M. V.,* si per haec verba vult tantum significare quamdam *similitudinem,* nempe rem quam asserit esse in suo ordine tam certam quam sunt veritates fidei pro modo suo, juramentum non esset; si autem intenderet *veram invocationem et aequalitatem,* tunc illa verba continerent juramentum cum blasphemia[2].

574. — *Q.* Quandonam habetur *implicita* invocatio Dei ut testis?

R. Implicita invocatio Dei ut testis habetur quando quis jurat per creaturas, ipsas invocando vel adducendo cum relatione ad Deum. Porro ad cognoscendum utrum in hisce casibus adsit juramentum an non, observandum erit: si in hisce creaturis nihil divinae bonitatis specialiter elucet, ut si dicas: *juro per hanc vestem, per hunc equum,* etc., tunc haec verba non censentur juramentum, quia vestis et equus non censentur adduci cum relatione ad Deum. — E contra censentur juramentum, si in ipsis specialiter elucet aliquod Dei attributum; tunc enim per eas accipitur earum Creator, qui in iis singulariter residet ac relucet. Sic v. g. dum juratur *per coelum,* intelligitur istius habitator; dum *per terram,* is cujus haec est scabellum; dum *per templum,* is qui ibi colitur; dum *per aliquod Sacramentum,* is qui illud instituit; dum *per Crucem,* is qui in ea fi-

[1] Idem dicendum de presbytero interponens *fidem sacerdotalem,* aut *sanctam consecrationem;* et de Regibus et Principibus qui loco juramenti spondent *in fide* vel *per fidem Regis, Principis, militis,* etc. *Ballerini ad Gury,* I, 308 (*a*).

[2] S. Alph., L. III, 134 et seqq.

xus est; dum *per Evangelia* ea tangendo aut nominando, is cujus ea verba sunt[1].

Art. II.

De liceitate juramenti, et de conditionibus ad illam requisitis.

575. — *Q.* Juramentum est ne licitum et bonum?

R. Juramentum, debitis conditionibus factum, licitum est et bonum. Constat:

1. Ex Scriptura: *Dominum Deum tuum timebis... ac per nomen illius jurabis*[2].

2. Ex universali doctrina Sanctorum Patrum et praxi Ecclesiae et omnium populorum. Unde propos. Wiclephi, quae juramentum uti illicitum tradebat, a Conc. Constantiensi damnata fuit.

3. Ex ratione. Et sane: Ille actus est bonus ideoque licitus, qui Deum maxime honorat et ejus attributa veneratur. Atqui tale est juramentum; nam in ipso Deus invocatur tamquam summa veritas in testimonium alicujus rei, quod certe Deum maxime honorat, ejusque attributa veneratur. Ergo[3].

576. — *Q.* Quaenam conditiones requiruntur ad liceitatem juramenti?

R. Tres conditiones requiruntur ad liceitatem juramenti: 1° veritas nempe ut res quae juratur sit vera; 2° justitia, ut res sit justa, seu bona et honesta; 3° judicium, seu ut juramentum fiat ex justa causa, juxta illud: *Jurabis: Vivit Dominus in veritate, in judicio, et in justitia*[4].

577. — *Q.* Quid de *veritate* requisita ad juramentum?

R. Prima conditio ut juramentum licitum sit est *veritas*, nempe conformitas verborum cum cognitione et intentione jurantis. — Veritas autem in juramento duplex est: *objectiva* quae se tenet ex parte rei, et *subjectiva* quae se tenet ex parte subjecti.

Porro ad licite jurandum non requiritur veritas *objectiva*, quae excludit omnem errorem, sed requiritur et sufficit *subjectiva*, quae se tenet ex parte jurantis, quaeque excludit omne mendacium. Nec requiritur certitudo absoluta, sed sufficit *certitudo moralis*. Unde esset reus perjurii qui praecipitanter et absque morali certitudine temerarie juraret.

Cognitio veritatis, undenam habita sit, nihil interest in juramento privato, dummodo sit moraliter certa. At in foro judiciali requiritur scientia propria, habita ex visu si de facto agatur, ex auditu si de verbis. Qui tamen in tali foro deponeret ex scientia aliena, dummodo sit certa, non peccaret contra religionem, nec contra justitiam commutativam, sed tantum contra legalem.

578. — *Q.* Defectus veritatis in juramento quodnam peccatum est?

R. — **1.** Defectus veritatis (seu perjurium)[5] in juramento *asserto-*

[1] S. Alph., L. III, 138.

[2] Deut., VI, 13.

[3] Attamen primarius finis juramenti non respicit Dei cultum et honorem, sed fidem faciendam, corrigendumque vitium incredulitatis inter homines. Et ideo, ait S. Th.: « Juramentum est habendum, non inter ea quae sunt per se appetenda, sed inter ea quae sunt huic vitae necessaria; sicuti medicina, qua non habitualiter, sed raro et caute utendum est ».

[4] Jer., IV, 2.

[5] Perjurium *late* sumptum est quodlibet juramentum destitutum aliqua ex conditionibus ad juramenti honestatem

rio est semper peccatum grave, sive materia gravis sit sive levis, et propos. contraria damnata fuit; - ratio, quia Deum vocare in testem falsitatis est gravis irreverentia in Ipsum, quasi vel Ipse veritatem nesciat, vel velit aut possit decipere testando falsum [1].

2. In juramento *promissorio* advertendum quod veritas subdividitur in veritatem praesentem seu dicti, quae refertur ad intentionem jurantis, et in veritatem futuram seu facti, quae refertur ad implementum intentionis.—Porro defectus veritatis *dicti* est semper peccatum grave; defectus autem veritatis *facti,* seu ipsa transgressio juramenti promissorii, an parvitatem materiae admittat dicetur inferius.

579. — *Q.* Restrictio mentalis quid est; et est ne licita?

R. Restrictio mentalis est *actus mentis ad aliud detorquentis verba quibus utimur in loquendo, quam ad id quod naturaliter significant.* Alia est pure mentalis, alia late mentalis. *Pure mentalis* est quando sensus a loquente intentus neque ex aliis verbis, neque ex modo dicendi, neque ex aliis circumstantiis ab audiente percipi potest; *late mentalis* e contra.

Restrictio *pure mentalis* est illicita, quia est verum mendacium; constat ex propos. damnatis ab Innoc. XI sub n. 26, 27, 28.

Restrictio vero *late mentalis* est licita cum hisce duabus conditionibus: prima ut non adsit *obligatio veritatem fatendi* (ideoque ipsa uti non licet coram judice vel praelato *legitime* interrogante, quia tunc tenemur veritatem fateri); secunda ut adsit *justa causa veritatem occultandi;* tunc enim non intenditur deceptio proximi, quae est semper illicita, sed permittitur quod ille decipiatur. Positis ergo hisce duabus conditionibus, licet non solum uti aequivocatione, sed etiam eam juramento firmare.

Non riquiritur autem causa absolute gravis, sed sufficit quaelibet rationabilis causa, pu a ad se liberandum ab importuna et injusta interrogatione alterius. — Defectus vero justae causae, secundum probabiliorem sententiam, esset tantum peccatum veniale, cum non laedat veritatem vel justitiam, sed tantum judicium in juramento [2].

580. — *Q.* Quid de *justitia* requisita ad juramentum?

R. Secunda conditio ut juramentum licitum sit est *justitia,* nempe ut res quae juratur licita sit et honesta. — Hinc juramentum de re illicita, v. g. de servando secreto quando quis rem manifestare tenetur, nullum est; et si res jurata postea licita evadit, juramentum tamen non reviviscit juxta regulam Juris: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.*

581. — *Q.* Defectus justitiae in juramento quodnam peccatum est?

R. — **1.** Defectus justitiae in juramento *assertorio* juxta aliquos est peccatum grave vel leve pro

requisitis. At *stricte* sumptum significat juramentum *veritate* destitutum, nempe cum quis falsum scienter jurat.

[1] In dioecesi Neapolitana, *excommunicatione* Ordinario reservata ipso facto plectuntur « omnes et singuli qui, etiam sine damno tertii, cum juramento falsum deponunt in causa sive civili, sive ecclesiastica. In eamdem poenam et reservationem incidunt quoque ad id crimen inducentes, secuto tamen perjurio ». — Casus V secundae classis.

[2] S. Alph., L. III, 151.

ratione materiae; sed juxta sententiam probabiliorem regulariter est solum peccatum veniale; - ratio, quia Deus invocatur ut testis rei prout est vera, non prout est mala, unde non videtur gravis injuria. Dixi: *regulariter,* nam esset grave si juramentum assumeretur uti *medium* ad peccatum, ut si quis puellae juraret de suo amore ad ipsam seducendam, vel si assumeretur ad firmandam pravam actionem v. g. detractionem; in hisce enim casibus Deus invocaretur ut testis iniquitatis vel injustitiae, quod est grave peccatum.

2. In juramento *promissorio,* si quis juraret se facturum rem *graviter* malam, tunc si Deus invocetur ut fidejussor peccati, certe peccatum grave est, est enim gravis injuria Deo, ejus auctoritate se velle obligare ad peccatum, quasi Ipse peccatum probare possit. Si autem invocetur solum ut testis promissionis, tunc disput. Th. Sed sententia communis tenet quod peccatum est semper grave, quia gravem injuriam videtur irrogare Deo, qui Ipsum sponsorem facit suae pravae voluntatis [1].

Qui vero jurat facere rem *venialiter* malam aut vanam, aut inutilem, an peccet graviter vel leviter disput. Th. Alii tenent peccare solum leviter, quia levis tantum irreverentia censetur; sed alii cum S. Alph. verius tenent peccare graviter, quia videtur gravis irreverentia invocare Deum in testem ac fidejussorem peccati quamvis levis [2]. — Qui autem aliquid jurat contra consilia evangelica, v. g. se non ingressurum religionem, peccat graviter si hoc facit ex contemptu, secus peccat venialiter tantum; ad juramentum tamen non tenetur, quia nullum. Quod si illud observat, secluso contemptu, per se non peccat.

582. — *Q.* Licet ne jurare in publicis perturbationibus?

R. An liceat jurare in publicis perturbationibus, hoc plerumque a variis circumstantiis pendet. Perpendendum est quid postulet justitia, vel bonum publicum, quales sint obligationes juramenti, utrum positivae an solum negativae seu passivae. — Ceterum in hisce salebrosis rerum adjunctis omnino consulendi sunt superiores ecclesiastici [3].

[1] *D' Annibale,* II, 26.

[2] S. Alph., L. III, 146.

[3] Quaesitum fuit: « *An liceat praestare juramentum a Gubernio Romanae Ecclesiae hostili propositum verbis, quibus illimitata obedientia promittitur* ».

R. « Juramentum prout exponitur, non licere; tolerari autem posse juramentum obedientiae mere passivae, in iis omnibus quae legibus divinis et ecclesiasticis non adversantur, juxta formam a S. M. Pii VII approbatam ». S. Poenit. 10 Dec. 1860, sub n. 14.

Porro *formula,* quam Pontifex (anno 1809) *approbavit,* est tenoris sequentis: « Promitto et juro, me cujuslibet generis conjurationi sive conventui contra actualem Gubernium operam numquam daturum; itemque me eidem subjectum fore atque obtemperantem in iis omnibus, quae nec Dei nec Ecclesiae legibus adversantur ».

2° Quaesitum fuit: « *An possit Episcopus rogatus a praefato Gubernio, jusjurandum proferre* ».

R. « *Negative:* tum quia a Ss. Canonibus prohibitum est Ecclesiasticis juramentum emittere coram auctoritatibus laicis, tum quia juramentum prout proponitur est illicitum, uti constat ex responso in Litteris 10 Dec. 1860, sub n. 14 ». S. Poenit. 14 Dec. 1866.

In Galliis tamen, vi Concordati initi anno 1801, Episcopi coram Capite Gubernii praestant juramentum obedientiae et fidelitatis. *Marc,* 611, 4.

583. — *Q.* Quid de *judicio* requisito ad juramentum?

R. Tertia conditio ut juramentum licitum sit est *judicium*, quod in eo consistit ut quis absque necessitate atque utilitate non juret.

Duae ergo sunt conditiones quae requiruntur ad judicium: 1° *necessitas*, nempe ut alia via veritas facile probari non possit; 2° *utilitas*, nempe ut juramentum cedat in utilitatem publicam, vel saltem privatam; deficientibus hisce duabus conditionibus, Nomen Dei in vanum assumeretur.

584. — *Q.* Defectus judicii in juramento quodnam peccatum est?

R. — 1. Defectus judicii ex se peccatum veniale est, si res vera et honesta juratur. Ita Th. communiter. Dixi *ex se*, quia est mortale si adsit scandalum, vel periculum perjurii, quale esse solet in iis qui frequenter et absque necessitate et utilitate jurant.

2. Peccat non solum qui sine justa causa jurat, sed eodem modo peccat etiam qui sine justa causa juramentum ab alio petit.

585. — *Q.* Quid dicendum de eo qui consuetudinem jurandi habet?

R. Triplex in hoc genere distingui potest consuetudo: 1° consuetudo jurandi sine necessitate, sed tamen cum debita advertentia ad veritatem rei quae juratur; 2° consuetudo jurandi, sed absque tali advertentia ad veritatem rei juratae; 3° consuetudo mentiendi, non curando neque mendacium neque perjurium.

Prima consuetudo solum sub levi; *secunda* et *tertia* sub mortali fugiendae sunt, ratione periculi proximi falsum jurandi. — Hinc *in praxi* qui cognoscunt se habere hanc pravam consuetudinem jurandi sine advertentia ad veritatem rei juratae, nempe an verum vel falsum sit quod jurare solent, nec eam deponere curant, versantur in statu lethalis peccati [1].

586. — *Q.* Quinam jurare possunt?

R. Jure *naturae* jurare possunt omnes rationis compotes. Jure autem *positivo* quidam repelluntur a juramento in judicio, uti impuberes (vide *Cod. civ.*); et in causis criminalibus etiam puberes qui nondum ad 21um annum pervenerint, exceptis quibusdam casibus gravioribus.

Ex jure vero *canonico* Clerici nequeunt comparere coram judice laico et juramentum praestare absque licentia Ordinarii. — Clericus autem, quando causa non est ita ardua et gravis, jurat *manu pectori admota*; secus jurat more laicorum [2].

587. — *Q.* Licet ne petere juramentum 1° a viro infideli, vel 2° ab eo qui est pejeraturus?

R. Ad 1um: A Judaeo licitum est juramentum exigere, dummodo simpliciter juret per Deum. Si autem infidelis jurat per falsos Deos, vel Judaeus jurat quidem per Deum verum, sed juxta suum ritum, tunc quum talis ritus sit superstitiosus et protestativus, sine causa non licet ab ipsis juramentum exigere. Quod si justa et gravis causa intercedat, licitum est; tunc enim exigitur a proximo quod ab ipso sine culpa praestari potest, nempe juramentum; si autem hoc ipse praestet per fal-

[1] S. Alph., L. III, 145, 3.

[2] *Scavini*, T. II, 2.7.

sos Deos vel ritu superstitioso, id ipsius malitiae attribuendum est.

Ad 2um: A pejeraturo juramentum petere licet: 1° si adest dubium an sit pejeraturus; 2° si ille, qui juramentum exigit, est persona publica et exigit ad instantiam partis; 3° si est persona privata, et agit causam alterius, et ratio sui officii postulat ut petatur juramentum, vel sperat illum metu et reverentia Divini Nominis non ausurum pejerare, et alias magni sua interest juramentum petere.—Seclusis his casibus, graviter peccat qui ab altero exigit juramentum sciens eum esse pejeraturum.

ART. III.

De obligatione juramenti promissorii in specie, et de illius cessatione.

588. — *Q.* Quaenam obligatio juramenti promissorii?

R.—I. Obligatio juramenti promissorii duplex est: una ex virtute justitiae vel fidelitatis, quae ex simplici promissione oritur; altera ex virtute religionis; ratio, quia tali juramento Deus invocatur sive ut testis promissionis, sive ut fidejussor executionis.

II. In juramento promissorio promissio est principale, juramentum accessorium, unde juramentum sequitur naturam principalis, ideoque ejus obligatio ab intentione promittentis et a natura promissionis desumenda erit [1].

III. Jusiurandum promissorium sequitur naturam et conditiones actus cui adiicitur. Si actui directe vergenti in damnum aliorum, aut in praeiudicium boni publici vel salutis acternae jusiurandum adiiciatur, nullam exinde actus consequitur firmitatem. **Can. 1318.** § I. § 2.; ideoque non obligat; secus obligat [2].

IV. Juramentum promissorium de re illicita aut prorsus vana et indifferenti, quae nempe neque ex fine neque ex aliqua circumstantia honestatur, nullam indueit obligationem, quia juramentum nequit esse vinculum iniquitatis aut rei prorsus vanae, ad quam Deus non vult nos obligari.

V. Juramentum promissorium, quando de intentione non constat, si recta fide factum sit, *stricte* interpretandum est, seu in favorem jurantis; quia jurans censetur voluisse se obligare quam minime potuit; si autem factum sit verbis dolosis, interpretandum est in favorem illius cui juratum est. — In juramentis homini factis subintelliguntur semper sequentes conditiones: *si potero; salvo jure superioris; salva rei natura;* vel *legis dispositione;* vel *si res non mutatur*, etc.

589. — *Q.* Obligatio juramenti promissorii quandonam desinit?

R. Obligatio juramenti promissorii desinit: 1° Si remittatur ab eo in cuius commodum juramentum emissum fuerat. — 2° Si res jurata substantialiter mutetur,

[1] Hinc promissio in favorem hominis juramento firmata, et nondum acceptata, revocari potest, quia tunc juramentum quum sit accessorium sequitur naturam promissionis; secus autem si promissio principaliter fuit facta Deo. S. Alph., L. III, 192.

[2] Iuramentum est strictæ interpretationis quia in eo Deus venit ut testis; e contra votum est benignae interpretationis, quia in eo Deus venit uti promissorius.

aut, mutatis adiunctis, fiat mala sive omnino indifferens, aut denique maius bonum impediat. — 3° Deficiente causa finali aut conditione sub qua forte iusiurandum datum sit. — 4° Irritatione, dispensatione, commutatione ad normam sequentis canoni 1319.

Qui irritare, dispensare, commutare possunt votum, eamdem potestatem habent circa iusiurandum promissorium; sed si iusiurandi dispensatio vergat in praeiudicium aliorum qui obligationem remittere recusent, una Apostolica Sedes potest iusiurandum dispensare propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae. **Can. 1320.**

589 *bis.* — *Q.* In transgressione juramenti promissorii datur ne parvitas materiae?

R. Disput. Th. Alii negant, quia tunc non violatur solum promissio simplex, sed promissio coram Deo jurata, ac proinde quaevis violatio hujus promissionis juratae gravem injuram Deo affert. — Alii vero probabilius affirmant, quia obligatio juramenti promissorii oritur ex virtute justitiae ac fidelitatis et ex virtute religionis, quae virtutes (ut patet ex doctrina Theologorum de voto) parvitatem materiae semper admittunt.

590. — *Q.* Juramentum non ludendi obligat ne etiam cum ludus est licitus et modicae quantitatis?

R. — 1. Si juramentum sit de non ludendo *in genere,* conveniunt Th. non obligare ab abstinendum a ludo honesto et moderato.

2. Si vero juramentum *expresse* et *specialiter* sit de abstinendo etiam a ludo licito et moderato, tunc disput. Th. Alii obligare negant, quia talis ludus pertinet ad virtutem eutrapeliae. Sed communiter affirmant, quia actus majoris virtutis est se abstinere etiam ab aliquo actu virtuoso ad majorem perfectionem. Hinc si jurans majus bonum expresse intenderit in abstinendo se a ludo, puta, ut Deo vacet, se mortificet, etc., tenetur implere; secus si sine tali fine juraverit. In hoc autem ludo bene potest dari parvitas materiae, quae metienda est a gravitate finis intenti a jurante. Potest etiam talis jurans dare pecuniam alteri ad ludendum, et illum observare, et etiam adjuvare, quia hoc proprie non est ludere [1].

591. — *Q.* Quomodo obligat juramentum 1° servandi statuta alicujus collegii, congregationis, etc., 2° servandi secreta in congregationibus circa electiones, vel alia?

R. Ad 1um: Attendendum est ad quatuor sequentes regulas: 1^{a} Tale juramentum intelligitur de statutis editis, non de edendis. 2^{a} Juramentum intelligitur obligare sub gravi aut sub levi, vel tantum ad poenam, vel tantum sub consilio, prout obligat statutum. 3^{a} Tale juramentum non obligat ad statuta quae non observantur ob impossibilitatem vel ob desuetudinem, vel quia sic sunt usu recepta, etiamsi juramentum praestetur de aliquo statuto particulari. 4^{a} Neque etiam obligat si aliquod statutum a majore parte communitatis non observetur. Hinc officiales qui jurant servare taxam praescriptam, non peccant aliquid aliud recipiendo, si taxa sive stipendium sit insufficiens [2].

Ad 2um: Obligat graviter vel

[1] S. Alph., L. III, 178.

[2] S. Alph., L. III, 181.

leviter juxta nocumentum quod revelatio secreti afferre potest, quia obligato juramenti sequitur obligationem secreti. Idem dicendum de juramento servandi secretum circa artem conficiendi aliquam medicinam. Imo, non obstante juramento, teneris ex caritate eam revelare, si aliter quis subiret grave periculum mortis, cum juramentum non sit vinculum iniquitatis [1].

592.—*Q.* Juramentum 1° ex dolo vel errore emissum, 2° ex metu gravi et injusto extortum obligat ne?

R. Ad 1um: Si dolus vel error versetur circa rei promissae substantiam, juramentum certe non obligat. Si autem versetur circa aliquam circumstantiam quae si ab initio cognita fuisset jurans nec promissionem nec juramentum emisisset, tunc probabiliter non obligat, quia non adesset vera intentio se obligandi; secus obligat ob contrariam rationem.

Ad 2um: Si juramentum ab ipso jure vel ecclesiastico vel civili irritum declaratur ob bonum commune, non obligat. Si vero nullo jure irritum evadit, tunc in *foro externo*, si praesumitur non adfuisse animus jurandi, certe non obligat. In foro vero *interno* iusjurandum per vim aut metum gravem exortum valet, sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest. **Can. 1317.** § 2. — Iusiurandum nec vi nec dolo praestitum quo quis privato bono aut favori renuntiat lege ipsi concesso, servandum est quoties non vergit in dispendium salutis aeternae. **Can. 1317.** § 3.

593. — *Q.* Quale peccatum ert juramentum promissorium fictum, et ad quid obligat?

R. Distinguo: tripliciter potest quis ficte promittere cum juramento: 1° vel jurando sine animo jurandi; 2° vel sine animo se obligandi; 3° vel sine animo implendi. Hoc posito:

1. Si quis ficte jurat, seu *sine animo jurandi*, tunc cum juramentum sit nullum ob intentionis defectum, jurans certe peccat [3], quia adest vana Divini Nominis usurpatio; et peccat graviter si jurat sine animo implendi promissionem; si autem cum animo implendi, tunc si jurat in contractibus vel coram judice, graviter peccat, quia adest gravis deceptio contra justitiam; secus peccat tantum venialiter, ut communissime dicunt Th.

2. Idem dicendum de juramento promissorio emisso *sine animo se obligandi*. — An autem sic jurans teneatur ad servandum juramentum, probabilius negant, quia juramentum promissorium sequitur naturam promissionis: at promissio sine animo se obligandi non est vera promissio, sed simplex propositum; ergo...

3. Qui autem jurat cum animo jurandi et se obligandi, sed *sine animo implendi*, certe peccat mortaliter quia tunc etiam deficit veritas; et obligatur ad implendum promissum, quia viget essentia et obligatio juramenti. Et hoc dicendum etiamsi is nullum habuerit animum se obligandi ex vi promissionis; quia obligatio oritur non ex vi promissionis, sed ex ipsa natura juramenti, quod ob

[1] S. Alph., L. III, 183.

[2] Propositio quae asserebat: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive sit gravis*, damnata fuit ab Innoc. XI.

Divini Nominis reverentiam obligat ad verificandum quod juratur: qui enim vult actum, vult consequenter ejus proprietates. E contra non tenetur ad implendum qui ignorat obligationem juramenti; quia nemo obligationem contrahit, nisi sciens et volens sibi illam imponat [1].

594. — *Q.* Quomodo cessat obligatio juramenti?

R. Obligatio juramenti cessare potest sive ab intrinseco, sive ab extrinseco.

1. Cessat ab *intrinseco:* 1° Si contingit notabilis rei juratae mutatio, nempe si res fiat illicita, vel vana, vel impeditiva majoris boni, vel si adsit periculum gravis damni in ea exequenda. In dubio autem an mutatio sit notabilis, juramentum tenet. 1 Si detegitur aliqua circumstantia, quae si a principio cognita esset, juramentum praestitum non fuisset. 3° Si cessat causa finalis juramenti; v. g. si ille pauper cui promisisti eleemosynam, postea fiat dives. Secus vero, si cesset causa tantum impulsiva quae consensum non affecit.

2. Cessat ab *extrinseco:* 1° Per irritationem, quae fieri potest a quolibet qui potestatem dominativam habet, uti pater, maritus, praelatus, tutor, etc. (ut infra dicetur ubi de voto). 2° Per dispensationem aut per commutationem, quae dari possunt a jurisdictionem habente in foro externo. — Sed si juramentum factum sit in favorem tertii et ab ipso acceptatum, regulariter solum ab eo, cui juratum est, concedi potest relaxatio. Dixi *regulariter*, quia etiam superior tale juramentum irritare potest si est in praejudicium sui juris, vel in damnum commune, vel fuit metu aut dolo extortum, vel aliqua culpa intervenit ex parte illius in cujus favorem juratum est [2].

APPENDIX

De adjuratione.

595.—*Q.* Quid est adjuratio?

R. Adjuratio definitur: *Invocatio seu obtestatio Divini Nominis vel rei sacrae ad inducendum aliquem ad aliquid faciendum vel o mittendum.*

Adjuratio ergo affinitatem habet cum juramento, quia invocat Nomen Dei; sed ab ipso in hoc distinguitur, quia non invocat Deum in testem, sed tantum Nomen Dei invocat ad rem exoptatam efficacius obtinendam ob reverentiam Divinitati, vel rebus sacris debitam. — Si adjuratio fit per invocationem Divini Nominis est actus religionis; secus si fit per invocationem hominis, v. g. obtestor te per amorem patris tui.

Adjuratio alia est *solemnis*, quae fit a ministris Ecclesiae et modo ab Ecclesia constituto, alia *privata*. Alia est *deprecativa* si precibus fiat, alia *imperativa* si imperio.

596. — *Q.* Quaenam conditiones requiruntur ut adjuratio licita sit?

R. Ut adjuratio licita sit, tres conditiones requiruntur sicut in juramento: veritas, justitia et judicium; nempe ut fiat per verum Deum; ut nec vana nec curiosa exquirantur aut praecipiantur; ut fiat cum necessitate vel utilitate (Recole dicta de requisitis ad licitum juramentum).

[1] S. Alph., L. III, 172.

[2] S. Alph., L. III, 188, 189.

Adjuratio privata cuilibet licita est, quia est actus religionis ; sed publica seu solemnis competit solis Ecclesiae ministris, et quidem ex hodierna *praxi* non sine expressa licentia Ordinarii [1], et tunc in exorcismis faciendis Rituali Romano utendum est.

597. — *Q.* Quinam adjurari possunt ?

R. Possunt adjurari *directe :* 1° Deus, deprecative tantum, vel per se ipsum, nempe per ejus bonitatem, misericordiam, etc., vel per merita Christi, ut in Litaniis fieri solet, vel per intercessionem B. M. V. vel Sanctorum; qui modus *obsecratio* vocatur.— 2° B. M. V., Angeli et Sancti Dei item deprecative, dum exoramus ut nobis subveniant propter Deum. v. g. quia sanguine Christi redempti sumus. — 3° Homines viatores, sive deprecative, quando quis alium adjurat ut amore Dei vel B. M. V. aliquid ei praestet; sive imperative, quando adjurans aliquam habet auctoritatem super adjuratum. — 4° Daemones vero solum imperative adjurari possunt, nimirum per virtutem Divini Nominis eos repellendo et cohibendo, ne nobis noceant spiritualiter vel corporaliter. Et haec adjuratio venit sub nomine *Exorcismi.*

Possunt autem adjurari *indirecte* creaturae irrationales, uti sol, aqua, nubes, locustae, mures, etc., adjurando Deum ut earum usu nos adjuvet, vel daemones ut per eas nocere desistant.

598. — *Q.* Adjuratio seu Exorcismus erga quos praecipue fit ?

R. Adjuratio praecipue fit erga obsessos a daemone. — Dari autem hos obsessos clare constat ex S. Scriptura, praecipue ex Evangelio, et ex perpetua traditione ac Patrum consensu; hinc, teste Tridentino, exorcismi in Ecclesia semper in usu fuerunt. Sacerdos autem deceptionis et incautae credulitatis pericula vitabit, si Rituali Romano atque ejus signis, quibus daemonis infestationes distinguere possit, studiose inhaereat, illasque regulas sobria prudentia applicare conetur.—Ceterum in hisce casibus ante omnia consulendus est Episcopus.

Signa obsessionis praecipua sunt: loqui idiomate prorsus ignoto ; ignota manifestare quae ab homine naturaliter cognosci nequeant; obedire mandato mere interno sacerdotis; majorem experiri daemonis vexationem aut majorem pacem ex contactu ignoto rerum sacrarum, etc.

In dubio vero de possessione daemonis, exorcismis uti licet si Episcopus, re plane cognita, id approbet; sed a scandalo et Ecclesiae contemptu sedulo cavendum est.

599. — *Q.* De quibusnam rebus daemon interrogari potest ?

R. Exorcista potest daemonem interrogare de omnibus generatim quae ad ejus expulsionem conducunt, cujusmodi esset quaerere numerum et nomina eorum qui in obsesso habitant, et a quanto temtore, ut habetur in Rituali Rom. Item de causa ingressus et de signo egressus. Item licet quaerere imperative a daemone manifestationem alicujus veritatis, si id conducat ad divinam gloriam.

E contra, si curiose quis daemonem interrogat de iis quae ad rem non faciunt, peccat et quidem graviter *per se* si multos sermones inutiles cum ipso obsidente

[1] Vid. *Gènicot*, I, 309.

habeat, et a fortiori si cum ipso jocetur; leviter vero, si unam vel alteram tantum quaestionem curiosam modo imperativo interponat [1].

CAPUT III.

De voto.

ART. I.

De natura voti et de requisitis ad ejus validitatem.

600. — *Q.* Quid est votum, et quomodo dividitur?

R. Votum communiter a Th. definitur: *Promissio deliberata Deo facta de meliori bono.* — Tria ergo ad essentiam voti requiruntur: vera promissio; ut fiat Deo; ut sit de meliori bono.—Requiritur igitur: 1° *Vera promissio:* unde non sufficit simplex desiderium, vel propositum [2]; nam vera promissio est actus voluntatis quo quis quamdam legem sibimetipsi imponit, et erga Deum se obligat ad aliquid agendum vel omittendum: dum propositum, quantumvis firmum, legem non importat, ideoque probabiliter nec vinculum obligationis. — 2.° *Ut fiat Deo:* nude patet quod votum est actus latriae soli Deo debitus [3]. Quare dum vovemus quaedam Sanctis, intentio est vovendi Deo in ho-

[1] S. Alph., L. III. App. de adjur. n. 5. Exorcista, ut obsessus vere liberetur, sedulo curet sequentia observare: 1° Prius bene exploret an ille revera obsideatur a daemone. — 2° Muniat se fide fiducia et caritate, insuper et oratione, jejunio et maxime humilitate; alias parum proficiet. – 3° Inducat obsessum ad confessionem, confidentiam et orationem. — 4° Utatur exorcismis in Ecclesia Romana vel saltem in sua dioecesi approbatis; utatur etiam invocatione Nominis Jesu et Mariae, signo crucis, reliquiis Sanctorum, aut aqua benedicta, agno Dei, etc. — 5° Caveat ne cum daemone jocetur, sed potius pauca proferat, et non permittat eum plura loqui, sed illum jubeat tacere. — 6° Caveat etiam, ut advertit Rituale Romanum, ne ob dictum daemonis confugiat ad magos ut maleficium dissolvant. Jubeat tamen daemonem dicere an ibi sit ob maleficium, et ut signa malefica reddat vel revelet. 7° Regulariter exorcismum faciat in ecclesia, januis apertis, nisi honesta adsit causa (ut dicitur in Rituali) ut fiat domi. — 8° Excludat mulieres, pueros et viros otiosos, quorum modica fides expulsioni obstare potest. — 9° Repetat pluries comminationem et verba quibus observat daemonem magis angi, semper augendo poenam — 10° Demum advertat nulla adesse signa infallibilia egressus. Probabilia tamen signa sunt: *a*) si per longum tempus obsessus sit a molestiis immunis; *b*) daemonum confessio, ingens vomitus rerum putridarum, vel halitus valde foetidus; *c*) magni clamores qui ibi audiantur; *d*) si obsessus remaneat in terram dejectus et quasi mortuus, et similia. —Vide Rituale Rom., tit. *De exorcizandis obsessis.*

[2] Quoad vota facta, confessarius diligenter exquirat a poenitente si illud quod emisit sit verum votum; quia vulgus saepe confundit desideria aut proposita cum votis. Ad haec distinguenda parum juvabit illum interrogare, ut nonnulli solent, an unquam habuerit intentionem se voto obligandi sub gravi peccato; siquidem rudes sic interrogati facile negant; satius erit interrogare, si tunc cum votum emisit, existimabat se graviter peccaturum fuisse an non, si postea non satisfecisset; et ita melius cognoscitur an sub gravi vel sub levi se voto obligavit. S. Alph. *Praxis confessarii*, 25.

[3] Id quod fit ex voto magis laudabile est et meritorium, quam quod sine eo fit; tum quia votum est actus latriae, quae est praecipua inter virtutes morales; nobilioris autem virtutis est opus melius et magis meritorium; tum quia ille qui vovet aliquid et facit, plus se Deo subjicit; tum quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum; facere autem aliquid ex voluntate firmata in bonum, pertinet ad per-

norem simul Sanctorum. Quod si quis aliquid voveret Sanctis sine ulla relatione ad Deum, tunc non adesset votum, sed solum quaedam promissio ex virtute duliae obligans. — 3° Ut sit *de meliori bono*; nempe ut id quod promittitur sit in se magis Deo gratum, quam suum oppositum.

Votum multipliciter dividitur:

1. Votum est *publicum*, si nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptetur, secus *privatum*.

2. *Solemne*, si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum, secus *simplex*.

Reservatum, cuius dispensationem sola sedes Apostolica concedere potest.

Personale, quo actio voventis promittitur; *reale*, quo promittitur res aliqua; *mixtum*, quod personalis et realis naturam participat. **Can. 1308.**

3. In *absolutum*, *conditionatum*, et *poenale*: absolutum est quod fit sine ulla conditione, v. g. voveo eleemosynam; conditionatum, quod fit sub aliqua conditione, ita ut si deest conditio desit et intentio se obligandi, v. g. voveo eleemosynam si sanitati restituar; poenale, quod in eo consistit ut quis poenam subeat nisi hoc faciat vel illud omittat.

4. In *expressum* seu *explicitum*, et *tacitum* seu *implicitum*: expressum illud est quod verbis aut signis exterius exprimitur, ut communiter fieri solet; tacitum vero est quando quis aliquid vult, cui scit votum esse adnexum.

5. In *perpetuum* et *temporarium*, prout ad totam vitam extenditur, vel solum ad tempus.

601. — *Q.* Quaenam requiruntur ad voti validitatem?

R. Ad voti validitatem, *ex parte voventis*, requiritur subjectum capax, et intentio vovendi et Deo se obligandi. — *Ex parte materiae* requiritur ut sit apta, seu ut res quae vovetur sit possibilis, bona, ac melior suo opposito.

§ 1°

De subjecto voti, et de intentione ad votum requisita.

602. — *Q.* Quodnam subjectum voti capax?

R. Subjectum voti capax est quicumque sufficientem habet usum rationis, ut cognoscere possit naturam voti; neque a vovendo legitime impeditur per auctoritatem Ecclesiae [1], aut per dependentiam ab eo cui subjicitur vel ratione personae vel ratione materiae.

603. — *Q.* Quaenam intentio requiritur in vovente?

R. In vovente requiritur intentio vera, deliberata et libera, tum vovendi seu promittendi, tum se obligandi. Requiritur ergo:

1. Intentio *vera*, quae sufficit si est virtualis et implicita. — Hinc invalide vovit qui, nesciens voti obligationem, nec explicite nec implicite illam suscipere intendit. — E contra valide vovit qui obligationis voti est conscius, quamvis reflexe ad eam non adverat, vel advertat in confuso,

fectionem virtutis (S. Th., 2ª 2ae, q. 88, a. 6). Quare confessarius caveat ne a votis alienus sit, aut quod pejus esset iisdem contrarius se ostendat.

Fideles tamen monendi sunt ne imprudenter voveant, sed post maturam deliberationem, et antequam votum emittant, judicium confessarii expostulent. Frequenter enim accidit ut quis in magno devotionis ardore vel in aliqua gravi calamitate vota emittat; at illis accidentibus transactis, res promissa nimis difficilis videtur, et peccaminose omittitur.

v. g. si voluerit vovere modo ordinario quo alii vovent, quia tunc implicite saltem voti obligationem contrahere vult [1]. — Item valide vovit qui animum habet vovendi et se obligandi, licet non adimplendi, quia essentia voti in prima et secunda intentione consistit, non vero in tertia. — Qui vero votum emittit sine animo se obligandi peccat tantum venialiter ob quamdam irreverentiam; mortaliter vero si ita vovit in professione religiosa vel in susceptione Ordinis sacri, quia esset deceptio in re gravissima [2].

2. Intentio *deliberata;* unde requiritur advertentia plena et perfecta ad obligationem voti, et non sufficit semiplena, uti in semidormientibus, vel ex repentino animi motu, etc. — Valet autem votum factum in devotionis fervore, in vehementi alicujus rei desiderio; quia satis adhuc est deliberatum. Idem dic de voto facto ex iracundia vel alia passione, vel ex animi levitate, modo cum deliberatione [3].

3. Intentio *libera;* et hic requiritur libertas perfecta, qua quis libere et *directe* in se aliquid promittere vult. — Hinc invalidum est votum *indirecte* emissum, puta in ebrietate, licet antea praevisa fuerit emissio; item votum emissum ex metu aut errore.

604. — *Q.* Quandonam metus votum invalidat?

R. — **1.** Metus si est gravis, ab extrinseco et injuste incussus ad votum extorquendum, certe invalidat votum solemne, et probabilius etiam votum simplex, non quia vota cum tali metu emissa non sint voluntaria, sed quia vel jus ea irritat, vel Deus non acceptat ne det vim injustae coactioni. — Imo, juxta aliquos, votum invalidat etiam metus respective levis, si injustus et reipsa causa vovendi fuerit [4].

2. Si autem metu sest levis, nec causa formalis voti; vel si gravis, est ab intrinseco; vel si ab extrinseco, juste incutitur; vel si injuste, tamen non incutitur ad extorquendum votum, tunc votum non invalidat; - ratio, quia hujusmodi votum est simpliciter voluntarium et deliberatum [5].

605. — *Q.* Quandonam error votum invalidat?

R. — **1.** Error, licet concomitans aut supinus, si est circa *substantiam* voti, nempe si res est moraliter diversa ab ea quam quis vovere intendebat; — vel est circa *conditionem* aut *circumstantiam substantialem*, seu magni momenti; — vel circa *causam finalem;* votum invalidat, quia deficiente perfecta cognitione, deficit etiam vera intentio.

2. Si vero error est circa aliquam *circumstantiam accidentalem*, vel circa *causam impulsivam* seu *secundariam*, probabilius votum non invalidat, quia actus est sufficienter voluntarius quoad substantiam; excepto casu quo consensum afficiat, ita ut votum quis non emisisset si a principio errorem cognovisset [6].

606. — *Q.* Quid in dubio an vovens verum votum emiserit?

R. — **1.** Vovens in tali dubio tenetur dubium purificare, si potest.

2. Si dubium purificare nequit, vel si adhibita debita diligentia du-

[1] *Marc*, 625, 3°.
[2] S. Alph., L. III, 201, q. 2.
[3] *Del Vecchio*, 1, 704.
[4] *Ballerini ad Gury*, 322 (b).
[5] S. Alph., L. III, 197.
[6] S. Alph., L. III, 198.

bium perseverat, tunc si dubium est circa *substantiam* seu *existentiam voti*, nempe dubitat an votum emiserit, vel utrum habuerit intentionem emittendi votum an simplex propositum, votum non obligat, quia tunc possidet libertas. — E contra si dubium est circa *validitatem* voti, seu an in voto emittendo adfuerit plena deliberatio; vel in dubio an vovens emiserit votum metu coactus, vel an metus fuerit gravis; vel in dubio an de facto votum emissum jam impletum fuerit, in hisce casibus, juxta S. Alph., votum tenet et obligat, quia possessio stat pro voto [1]. Sed non desunt auctores probati, qui in omni dubio positivo, sive de voti emissione sive de ejus adimpletione, absque ulla distinctione stant pro libertate, quia in primo casu debitum voti est incertum ab initio, et in secundo casu evasit incertum postea; debito autem incerto, obligatio certa imponi nequit [2]. (v. dicta n. 79).

§ 2°

De materia voti.

607.—*Q.* Materia voti qualis esse debet?

R. Materia voti debet esse possibilis, bona, ac melior suo opposito.

1. Debet esse *possibilis*. Ergo votum physice vel moraliter impossibile invalidum est; moraliter vero impossibile accipere debemus quod ex fragilitate humanae naturae, sine speciali prorsus divinae gratiae auxilio, perfici nequit [3]. — Quod si materia voti partim possibilis est, partim impossibilis, tunc, si materia divisionem non admittit, votum invalidum est, si autem divisionem admittit, et vovens ad tale votum se obligavit in quantum potuisset, validum est, secus invalidum [4].

2. Debet esse *bona*, et quidem in ordine morali. Hinc invalidum est votum cujus materia est *mala* ex jure naturali vel positivo; — vel partim bona et partim mala, aut minus bona; — vel omnino indifferens, nec bona fit ex fine vel ex circumstantiis; — vel bona quidem in se, sed votum emissum fuit ob finem totaliter aut primarie malum; — vel ob finem indifferentem; — vel ad obtinenda ea bona temporalia, quae rationabiliter a Deo peti nequeunt.

3. Debet esse *melior suo opposito*. Quaenam autem melior sit, judicatur non solum ex se, sed etiam ex circumstantiis personae, temporis, causae, etc. Sic non esset votum de meliori bono si mulier praegnans voveret jejunare, aut medicus orationi incumbere dum tenetur aegrotos curare. Hinc invalidum est votum quod sit contra consilia evangelica, vel votum non vovendi, quia non sunt de meliori bono. Item invalidum est votum quod, licet in se bo-

[1] S. Alph., L. III, 196. — Si voverit qui suae mentis est, vel qui amens est, sed habet lucidos intervallos, et postea uterque dubitet an sui compos voverit, *ille* obligatur quoad constiterit non fuisse compotem sui; *is*, quamdiu non apparet sui compotem fuisse, non obligatur; - ratio, quia in dubiis sequimur quod plerumque fieri solet; ergo in primo quod actus sit humanus judicatur, non in secundo. *D'Annibale*, I, 150 (39).

[2] *Berardi*, 110; *Gury*, I, 80, 322.

[3] *D'Annibale*, III, 192 (5).

[4] Sic. e. g. si voveris jejunare *in pane et aqua*, vel ire Lauretum *peditem*, et nequeas sic jejunare et ire, teneris jejunare ut *alias*, ire *equo* vel *curro*. *D'Annibale*, III, 192, 6.

num, tamen est *impeditivum majoris boni* [1].

608. — *Q.* Valet ne votum vitandi omnia peccata?

R. Votum vitandi omnia peccata mortalia, vel vitandi aliquod speciale peccatum veniale, validum est, quia de re possibili. — An vero validum sit votum vitandi omnia peccata venialia deliberata, disput. Th. Sed S. Alph. verius affirmat si agatur de persona quae christianae perfectioni impense studet [2].

609. — *Q.* Valet ne votum 1° non vovendi nisi cum licentia confessarii; 2° et quid si quis postea sine illa vovit, v. g. jejunium?

R. Ad 1um Votum non vovendi nisi de licentia confessarii, validum est, quia de meliori bono.

Ad 2um Vovens peccavit emittendo secundum votum. Attamen vovens, primo voto non obstante, tenetur ad secundum, quod, cum habeat objec um satis bonum, est validum.—Excipe si ille statuerit nolle futura vota valere nisi accesserit confessarii consilium; in hoc casu nullum erit secundum votum, modo primum non retractetur explicite vel implicite, quod fieret si quis memor primi voti secundum emitteret [3].

610. — *Q.* Valet ne votum de non petenda voti dispensatione?

R. Hoc votum valet, dummodo non cognoscatur quod dispensatio sit utilior profectui spirituali voventis. Hoc tamen votum semper a superiore relaxari potest, cui salva semper est ejus potestas. Insuper talis vovens, si non dispensationem, saltem commutationem semper petere potest [4].

611. — *Q.* Valet ne votum nubendi?

R. Th. communiter dicunt: 1° Quod hoc votum, per se loquendo, nullum est, etiamsi sit de ducenda paupere, meretrice, vel ad tollenda aliena peccata, quia semper coelibatus est Deo gratior. 2° Quod e contra si quis ad nuptias tenetur vel ex justitia, vel ratione boni publici, validum est. — Si quis vero hoc votum emisit ob expertam sui ipsius fragilitatem, an ad illud teneatur disput Th.; sententia probabilior affirmat. Sed *in praxi* qui opportunis mediis vere uti velit, bene omnia peccata vitare potest, unde tale votum non obligaret [5].

Art. II.

De voti obligatione.

612. — *Q.* Quaenam obligatio voti?

R. — I. Votum validum obligat per se ex virtute Religionis, ut-

[1] Quidam sacerdos regularis, confessarius S. Joann. Franciscae de Chantal, ab ea haec quatuor vota exegit: ipsi confessario obediendi; secretum inviolabile circa verba confessarii servandi; ipsum nunquam deserendi; demum de propria conscientia nunquam cum aliis loquendi.

Confessarius ille valde imprudens fuit in hisce quatuor votis exigendis, quippe quae poenitentem nonnisi anxiam nimisque exagitatam reddere poterant.

Quare S. Franciscus Salesius de validitate illorum quatuor votorum interrogatus, post longas preces Deo fusas, necnon et consilium a viris doctrina, pietate et prudentia praeditis acceptum, S. Joan. Franciscae respondere non dubitavit: Illa quatuor vota invalida esse, utpote ejus conscientiae paci et tranquillitati contraria. — *Bougaud.* Vita S. Joann. F. de Chantal, Vol. I, cap. VI.

[2] S. Alph., L. III, 203.

[3] S. Alph., L. III, 210.

[4] S. Alph., L. III, 208.

[5] S. Alph., L. III, 209.

pote lex sibi a vovente imposita coram Deo ad illius honorem, ejusque obligatio ex genere suo gravis est. Quod si materia voti est *necessaria*, seu aliunde praecepta, duplex aderit obligatio, una ex parte voti, altera ex parte rei praeceptae.

II. In individuo, ut votum obliget sub gravi, duo simul requiruntur : 1° materia gravis ; 2° intentio se obligandi sub gravi.

III. Obligatio voti solum voventem stringit ; - ratio, quia haec obligatio ex propria voluntate nascitur, et nulli jus competit promittendi rem aut actionem alterius. Unde si quis vovet factum alterius, sensus est, se omni licito modo curaturum, ut factum illud executionem sortiatur.

613. — *Q.* Gravitas materiae undenam desumitur ?

R. Gravitas materiae desumitur non solum ex se, sed etiam ex fine a vovente sibi proposito, vel ex aliis circumstantiis ; ita ut si materia ex se, vel attentis circumstantiis, multum confert ad Dei gloriam vel utilitatem voventis aut proximi, vel si ab Ecclesia praeciperetur graviter obligaret, gravis censenda sit; secus levis. Hinc consequitur :

1. Si res ex omni parte est levis, nonnisi levis erit obligatio voti, etiamsi vovens intenderet se obligare sub gravi; quia non est in potestate hominis obligationem gravem alligare rei quae non est capax illius obligationis, nec Deus videtur acceptare talem obligationem irrationabilem [1].

2. E contra si materia gravis quidem est, sed vovens intendit se obligare solum sub levi, obligatio erit solum levis, quia obligatio voti a voluntate voventis pendet [2]. Excipienda tamen sunt tum vota solemnia, in quibus, ex Ecclesiae lege, vovens tenetur se obligare sub gravi ; tum vota quae emittuntur in Congregationibus approbatis, quibus ex implicito pacto vovens pariter sub gravi tenetur se ligare.

614. — *Q.* In dubio utrum intentio voventis fuerit se obligandi sub gravi an sub levi, quomodo judicandum ?

R. Si facto voto, de intentione voventis clare non constat, proindeque exurgit dubium utrum intentio fuerit se obligandi sub gravi an sub levi, tunc recurrendum est ad materiam voti, quae si ex natura sua vel ex circumstantiis gravis est, intentio fuisse praesumitur se obligandi sub gravi, secus si levis ; - ratio, quia in dubio actus praesumitur factus juxta ejus naturam.

[1] S. Alph., L. III, 211.

[2] Ad prudentiam Confessarii pertinet ea de re monere poenitentes, qui sponte voverint, ne scilicet (quod subinde contingit) ex conscientia erronea graviter peccent, etiam ubi voti materia gravem obligationem non admittit.

Ad eamdem prudentiam pertinet quod poenitenti vovendi cupido Confessarius suadeat ut, etiamsi gravis sit materia, levem tantum nihilominus assumat voti obligationem ; quo scilicet graviter offendendi Deum longissime absit occasio. Quae quidem causa extitit, ut plures sanctissimi et sapientissimi religiosorum Ordinum Institutores, utut regularis observantiae cupidissimi, attamen ad avertendas divinae offensae occasiones, statuerint ut regulae, Dei instinctu conditae, nullam *per se* ac *vi sua* obligationem inducerent, quae violatores peccati reatu constringeret.

Et quidem nihil impedit, quominus votum sub levi obligatione nuncupari possit in illa quoque materia, quae spectato jure naturae sub gravi obligat, v. g in materia castitatis. — *Ballerini ad Gury*, I, 325, (*a*).

615. — *Q.* Plures materiae leves in votis possunt ne in unum coalescere, et peccatum mortale constituere?

R. — **1.** Si illae materiae promissae fuerunt separatim, seu *per modum rerum singularium*, et ex natura sua quid unum non constituunt, nec vovens ad omissiones supplendas se obligavit, tunc secum non coalescunt, et voti violationes, quum consistant in actibus disjunctis parvi momenti, tot peccata venialia sunt.

2. Si vero diversae illae materiae leves promissae sunt uno eodemque voto et *per modum unius*, et ex natura sua quid unum constituunt; vel si vovens rei totalitatem ita Deo obtulit, ut in casu defectuum partialium ad supplendum se obligare intenderit, tunc secum coalescunt in unum et, si ad materiam gravem pertingant, peccatum mortale constituunt.

3. In dubio vero de intentione voventis, resolutio fit juxta communem sensum Doctorum, qui tenent diversas materias esse ad modum unius et coalescere in votis realibus, non in personalibus. Sic esset votum *reale*, si quis voveat dare quotidie per annum parvam eleemosynam; *personale*, si voveat recitare quotidie per annum tres *Ave*.

616. — *Q.* Ad quid tenetur qui dubitat de qualitate vel quantitate materiae?

R. In dubio *de qualitate* vel *quantitate materiae*, obligatio voti erit interpretanda judicio boni viri; vel *ex fine* quem vovens sibi praestituit, quia ex eo cognoscitur ejus intentio; vel *ex communiter contingentibus*, quia quisque praesumitur se obligare voluisse eo modo quo alii se obligant; vel *ex natura* et *conditione materiae*, quisque enim praesumitur voluisse se obligare eo modo quo in data materia obligat lex ecclesiastica.

Hinc qui vovit quotidie audire missam probabiliter die festo non tenetur audire duas. Qui vovit recitare rosarium, sufficit ut recitet tertiam partem, et utique satisfacit si cum socio recitet. Qui vovit jejunium in honorem alicujus Sancti, et ejus vigilia in die dominica occurrit, potest, juxta morem Ecclesiae, jejunium in sabbato anticipare. Qui vovit jejunare quolibet sabbato, probabiliter non tenetur si eo die occurrat Natalis Domini, modo expresse hoc etiam non promiserit [1].—Ceterum in dubio obligatio voti, utpote odiosa, semper juxta benigniorem partem interpretanda est.

617. — *Q.* Quaenam obligatio voti *disjunctivi*?

R. Praemitto: Votum dicitur *disjunctivum* quando vovens promittit praestare unum de duobus aut de pluribus, electionem sibi reservando. Hoc posito:

1. Si electio jam facta fuit, pars electa praestanda est, etsi altera pars pereat, vel impossibilis reddatur.

2. Si electio nondum facta sit, et una pars pereat vel impossibilis reddatur, non teneris ad alteram, quia tunc deest libertas electionis sub qua tantum te obligasti ad votum; excipe si tua culpa res perierit, aut fueris in mora culpabili tradendi.

3. Electa autem una parte, vovens probabiliter semper eligere potest alteram, si malit [2].

[1] S. Alph., L. III, 224.

[2] S. Alph., L. III, 224.

618. — *Q.* Quaenam obligatio voti *conditionati ?*

R. Praemitto : Conditio potest esse : 1° de praeterito, vel de praesenti, vel de futuro ; 2° de re honesta, vel de re turpi. Hoc posito :

1. Si conditio est *de praeterito*, vel *de praesenti,* et extat, votum validum est, nisi sit *de re turpi*, ut mox dicetur.

2. Si vero est *de futuro,* tunc vel est de re impossibili vel de possibili. Si de re *impossibili*, votum nullum est et irrisorium si scienter fiat. — Si autem est de re *possibili,* tunc si hoc futurum est *necessarium,* votum statim validum est ; sed voti executio suspenditur usque ad conditionis eventum, quia talis videtur esse mens voventis [1]. Si vero hoc futurum est *contingens* et conditio est honesta, tunc, licet votum nondum obliget, vovens tamen ex virtute religionis tenetur non impedire malitiose quominus conditio impleatur. Adimpleta autem conditione, votum statim tenet et obligat, quia absolutum fit absque novo consensu.

3. Si conditio est *de re turpi,* tunc varii distinguendi sunt modi quibus ipsa conditio turpis ponitur : 1° Si conditio est per se turpis et est finis principalis voti, v. g. si voveas eleemosynam quia litem injustam vicisti, vel inimicum occidisti, votum nullum est. Si vero finis est secundarius, v. g. si religionem voveas primario amore perfectionis, et secundario ut commode vivas, votum tenet. 2° Si autem conditio non est in se turpis, sed tantum ex circumstantiis, nempe ad obtinendum effectum per se bonum proficiscens a causa mala quae per se non intenditur, ut si incolumis evasero ex duello ; vel ad gratias agendas de illo bono effectu, votum pariter tenet (v. dicta n. 607).

619. — *Q.* 1° Quid si conditio tantum aequivalenter impletur ; 2° vel ejus eventum quis impedierit ?

R. Ad 1um : Probabilius non sufficit ut conditio aequivalenter tantum impleatur, sed debet impleri *specifice*, v. g. vovisti religionem si soror tua nupserit, non sufficit si moriatur [2].

Ad 2um : Si conditio est *potestativa*, nempe pendet a voluntate ejus qui eam posuit, vel si conditionis eventum quis impedierit sine culpa vel tantum precibus, nec peccat, nec ad votum tenetur. — Si autem *studiose* impedierit per dolum, vim aut malitiam, certe peccat. — An autem in hoc casu ad votum teneatur, disput. Th. ; sententia satis probabilis per se loquendo negat ; - ratio, quia non censetur vovens voluisse se obligare nisi impleta conditione, quamvis ejus culpa contingat quod dicta conditio non ponatur in esse. Dixi *per se loquendo,* quia si mens voventis fuisset se obligandi in casu quo a seipso praecise penderet appositam conditionem non impleri, contrarium concludendum foret [3].

[1] Si quis ignorans vovit sub conditione quae jam extitit, tunc si votum est *per modum impetrationis*, v. g. quis aliquid vovit sub conditione quod ejus filius sanitatem recipiat, et jam convaluerit filius, tunc votum cessat ; quod si per *modum gratiarum actionis*, v. g. aliquid quis vovit sub conditione quod ejus uxor pepererit masculum, et illa jam marem enixa fuerit, votum tenet. — *D' Annibale*, III, 199, (24).

[2] S. Alph., L. III, 219.

[3] S. Alph., L. III, 218.

620.—*Q.* Quaenam obligatio voti *poenalis* ?

R. Votum poenale non obligat ad poenam si vovens inculpabiliter votum violat.

Si vero culpabiliter illud violat, tunc si votum est *simplex*, nempe de solvenda poena sialiquid egerit, v. g. si luserit, sufficit ut poenam solvat pro prima vice tantum. Si autem votum poenale est *duplex*, cum nempe quis duplex votum emittit, v. g. unum de non ludendo, alterum si luserit de poena solvenda, tunc quoties transgreditur votum toties debet solvere poenam, nisi haec sit gravissima, uti peregrinatio, elargitio magnae eleemosynae, quae non soleat communiter repeti [1].

621. — *Q.* Votum potest ne impleri per alium ?

R. Si votum est personale non potest per alium impleri, quia afficit personam et cum ea expirat. Si autem est reale, per alium impleri potest [2].

622.—*Q.* Vota defuncti transeunt ne ad haeredem ?

R. Vota *personalia* non transeunt ; vota vero *realia* vel *mixta* qua parte sunt realia et pars realis est divisibilis, tamquam debitum, ad haeredem transeunt, si defunctus morte praeventus illa adimplere nequiverit. **Can. 1310.** Et sane, si defunctus promisisset alicui centum libellas, et promissio ab alio acceptata fuit, nonne teneretur haeres hanc promissionem acceptatam adimplere ? Ergo a fortiori tenetur de promissionibus Deo factis, sive vota fuerint facta in favorem tertii et ab ipso acceptata, sive solum facta coram Deo, dummodo de illis constet; tenetur autem non vi voti, sed ex justitia, ex titulo acceptae haereditatis, sicuti tenetur solvere alia defuncti debita, legata, etc. [3].

Haeres tamen per exceptionem non teneretur ad vota realia defuncti : 1° si ex rei adjunctis aut ex sufficientibus indiciis satis pateret quod vovens se ipsum personaliter dumtaxat, non vero haeredem, obligare voluerit ; 2° si essent in damnum suae legitimae, vel ultra vires haereditatis ; 3° si essent in damnum aeris alieni. Unde haeres tenetur primo solvere debita justitiae ; dein vota realia defuncti ; postremo legata, quia haec sunt liberalitatis [4].

Ceterum ubi sunt plura vota realia ab haerede adimplenda, nec sufficit haereditas ad omnia persolvenda, aeque omnibus *pro rata* satisfaciendum est, quia omnia eodem modo ex virtute religionis obligant [5].

623.—*Q.* Quaenam obligatio voti *personae moralis*, uti Collegii, Municipii, etc. ?

R. Si votum est *reale*, et voventes etiam posteros adstringere voluerunt, tunc etiam posteri ad votum reale tenentur, uti dictum est de haerede.

Si vero votum est *personale*, nequit alios praeterquam ipsos voventes adstringere qua votum.—

[1] S. Alph., L. III, 223.

[2] Vota realia solvenda sunt ex proprio unde qui nequit ex suo non tenetur ab alio mendicare. Quod si possit ex suo, et tamen alius sive rogatus, sive sponte pro ipso velit solvere, id valet ; quia tunc quod alter dat, fit ipsius, imo bene satisfacit voto eleemosynae, qui illam, ab alio eo fine praestitam, ipso inscio, postea ratificat cum noverit, quia tunc jam adimpletur votum cum consensu voluntatis. S. Alph., L. III. 217.

[3] S. Alph., L. III, 213, 6.

[4] *Berardi*, 110, VIII° ; *Gury*, I, 800.

[5] *Layman*, *Sanchez*, *Gury*, etc.

Potest tamen obligare etiam posteros, quando Ordinarius votum approbaverit et inter *statuta dioecesana* censuerit ; sed in hoc casu obligabit vi legis latae, licet ex virtute religionis, et Ordinarius illud revocare potest sicut cetera sui ipsius *statuta* [1].

624. — *Q.* Quonam *tempore* votum obligat ?

R. Votum si est *negativum* obligat semper et pro semper. Si vero *positivum,* et tempus praefixum fuit, obligat tempore praefixo; secus obligat statim moraliter, idest quamprimum commode adimpleri potest.

Si autem *indeterminatum*, v. g. quotidie recitandi rosarium, obligat perpetuo, nisi ex circumstantiis aliud colligatur. In dubio autem utrum votum fuerit ad annum an ad mensem, non teneris nisi ad minus [2].

625. — *Q.* Dilatio adimpletionis voti quodnam peccatum est?

R. Si votum est *perpetuum*, ut votum ingrediendi religionem, qui ultra sex menses differt sine rationabili causa, communiter dicunt illum graviter peccare. — Si autem votum est *ad tempus*, ut sunt vota peregrinationis, rosarii, etc., alii dicunt quamcumque dilationem nunquam pertingere ad mortale, nisi ex dilatione adsit periculum oblivionis vel impotentiae adimplendi ; sed S. Alph. cum aliis verius dicit quod peccat graviter qui differt ultra duos vel tres annos [3].

626. — *Q.* Transacto tempore voti, cessat ne ejus obligatio ?

R. Si tempus appositum fuit *ad finiendam obligationem*, transacto tempore, cessat ejus obligatio; secus si tempus appositum fuit tantum *ad sollicitandam obligationem.* Hoc autem colligi debet ex intentione voventis, ex causa ob quam votum elicitum est, et ex aliis circumstantiis. Unde si determinatio temporis habet specialem relationem illi tempori propriam censetur apposita ad finiendam obligationem, quia tunc circumstantia temporis aeque principalis est ac res promissa. Sic regulariter manebit obligatio, e. g. jejunii promissi in gratiarum actionem, etiam transacto tempore ; non manebit e contra si jejunium promissum sit in pervigilio festi B. M. V.

In dubio autem utrum tempus appositum fuerit ad finiendam an ad sollicitandam obligationem, in votis *personalibus* tempus jure praesumitur positum ad finiendam obligationem ; ad sollicitandam vero in votis *realibus.*

627. — *Q.* Qui praevidet non posse votum adimplere tempore praefixo, tenetur ne illud anticipare ?

R. Si votum fuit affixum diei, praevenire non tenetur, imo nec potest, et si praevenit non satisfacit, nisi hoc faciat animo votum in melius commutandi. — Si autem tempus fuit praefixum solum propter commodum, tunc si praevidet in posterum adimplere non posse, et tempus implendi jam utile est, praevenire tenetur quia obligatio jam est incoepta.

[1] *D'Annibale*, III, 212. — Votum *Communitatum*, celebrandi nonnulla Festa de praecepto cum vigilia et processione, quantum est *vi voti*, licet ab Episcopo confirmatum, non obligat nisi voventes. Decr. S. R. C., n. 834, ap. *Gardell.* n. 1444.

[2] S. Alph., L. III, 221.

[3] Est grave differre sine justa causa vota *temporaria* ultra duos tresve annos; *perpetua* (quia dilatione minuuntur) ultra sex menses; imo brevius, si exinde ejus aut obliviscendi, aut non implendi periculum subeas. *D'Annibale*, III, 198.

628. — *Q.* Obligatio voti adimpletur ne cum quis opus debitum ponit vel immemor voti, vel cum intentione non satisfaciendi ?

R. Si quis immemor voti, praestet opus debitum, bene satisfacit per voluntatem generalem, quam quisque censetur habere satisfaciendi prius suis obligationibus quam operibus supererogatoriis [1].

An vero voto satisfaciat qui opus debitum ponit cum intentione non satisfaciendi, disput. Th. (v. dicta *de Legibus*, n. 164).

ART. III.

De voti cessatione.

629. — *Q.* Quot modis cessat voti obligatio ?

R. Voti obligatio quinque modis cessare potest: 1° per cessationem causae ; 2° per notabilem mutationem materiae ; 3° per irritationem ; 4° per commutationem ; 5° per dispensationem. — Primo et secundo modo dicitur cessare *ab intrinseco;* aliis tribus *ab extrinseco.*

§ 1°

De cessatione causae.

630. — *Q.* Quomodo cessat voti obligatio per cessationem causae ?

R. — I. Voti obligatio cessat totaliter quando cessat causa *finalis* seu *motiva*, vel etiam *impulsiva* tantum si vovens huic consensum ligavit; ratio, quia tunc corruit fundamentum obligationis. Sic si vovisti te Cajo utpote pauperi quotidie eleemosynam facturum, vel non ingressurum quamdam domum propter Aspasiam lascivam puellam, et nunc Cajus dives factus est, et Aspasia ab illa domo discessit, cessat voti obligatio, quia cessat ejus causa [2].

II. Si plures fuerint causae finales voti, et una sufficiens subsistat, etiam cessantibus aliis, voti obligatio permanet.

III. Si causa voti cessat non in perpetuum, sed tantum ad tempus, tunc votum potius suspensum erit; unde si reviviscit causa, etiam reviviscit ejus obligatio.

§ 2°

De mutatione materiae.

631. — *Q.* Per quamnam mutationem materiae cessat voti obligatio ?

R. Voti obligatio cessat per mutationem notabilem materiae voti; seu quando superveniunt tales circumstantiae, quae si ab initio praevisae fuissent, votum non fuisset emissum ; ratio, quia per talem mutationem res jam non est eadem quae promissa fuerat [3].

[1] S. Alph., L. III, 224.
[2] *D'Annibale*, III. 201, (3).
[3] S. Alph, L. III, 226
Regula ista, nempe quod voti obligatio cessat *si superveniunt tales circumstantiae, quae si ab initio praevisae fuissent, votum non fuisset emissum*, in substantia est justa; agitur enim de promissione gratuita, cujus executionem ne homines quidem in tali casu exigerent : sed *practice* (maxime si agatur de voto castitatis) valde fallax esse potest; quisquis enim, quem emissi voti taedeat, de facili a passione hallucinatus, falso credere potest quod, si circumstantias postea subortas praevidisset, votum non emisisset. Advertendum est insuper quod ille, quem emissi voti poenitet, illudque saepius violat, nunquam considerare poterit hanc poenitudinis circumstantiam tamquam legitimam, nec jure credere poterit se a voto jam esse liberum, eo quod, si circumstantiam istam praevidisset, illud non emisisset. *Berardi*, Praxis, 109.

Haec autem mutatio duobus modis contingere potest : uno si materia fiat illicita, vel indifferens, vel impeditiva melioris boni [1]; altero, si fiat impossibilis physice aut moraliter, nempe quando quis sine gravi incommodo vitae, famae, bonorum votum implere nequeat.

Vota tamen *solemnia*, valida emissa in professione religiosa vel in susceptione sacrorum Ordinum, firma manent quaecumque circumstantia aut mutatio non praevisa superveniat ; quia religiosus vel sacerdos in hoc casu non consideratur ut persona particularis, cui melius tunc conveniat non esse voto adstrictum, sed ut pars et membrum communitatis Ecclesiae, cui praestat postponere suum bonum privatum bono communi.

Idem Th. communius dicunt cum S. Alph., contra alios, de voto *simplici* castitatis, etsi qui tale votum emisit vehementibus stimulis carnis *impraevisis* agitetur cum evidenti periculo incontinentiae : alias vix ullum votum huius generis firmum remaneret, cum vix reperiatur qui hac in re graves tentationes interdum non sentiat [2].

—

§ 3°

De irritatione voti.

632. — *Q.* Quid est irritatio voti, et quomodo dividitur ?

R. Irritatio voti definitur: *Voti rescissio vel suspensio facta ab eo qui potestatem habet vel in personam voventem, vel in materiam voti.*

Voti irritatio duplex est: directa et indirecta. — *Directa* est quae attingit ipsam personam voventem, et haec irritatio prorsus obligationem voti extinguit, ita ut nunquam reviviscere possit nisi vovens, cognita tali irritatione, novum votum emittat. — *Indirecta* vero est quae attingit materiam voti, et est potius voti suspensio quam annullatio ; unde, cessante obstaculo, reviviscit obligatio voti [3].

633. — *Q.* Quinam et quomodo vota irritare possunt ?

R. — I. Qui potestatem dominativam in voluntatem voventis legitime exercet, potest eius vota valide et, ex iusta causa, etiam licite irrita reddere, ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat. **Can. 1321.** § 1. hinc irrita sunt etiam vota implenda cum vovens suae potestatis erit; [4] ratio, quia inferior, cum voluntatem

[1] Casus. — Conjugata, ne filiis ultra gravetur, vovit debitum non petere, et maritum rogare ne petat; sed ex metu quod vir ab ipsa alienus fiat, servato primo, secundum quod vovit non servat. Q. An graviter contra votum deliquerit ?

R. *Neg.* si metus sit vere prudens ; ratio, quia voti obligatio cessare videtur quoties ex ipsa voti executione aliquod grave damnum prudenter timeatur, per quod votum non amplius de meliori bono dicatur, quodque si tempore voti emissi cognitum fuisset, nunquam prudentis judicio tale votum emissum foret. — Benedictus XIV, Casus Consc. Anno 1739, mense Nov.

[2] S. Alph., L. V, 50.

[3] Potestatem irritandi vota *directe* alii ex jure naturali repetunt, quasi sponte fluat e dominio quod in alterius voluntatem obtinetur; alii probabilius censent eam jure naturae suaderi tantum, minime formaliter constitui, quia dependentia filiorum a parentibus, religiosorum a praelatis, etc. omnino stare potest cum eorum facultate vovendi, dummodo salva sit potestas irritandi vota indirecte.

suam voluntati superioris subjicere debeat, nequit de se ipso contra superioris voluntatem disponere. Quare vota subditorum intelliguntur semper emissa sub tacita conditione *si superior consenserit*, vel saltem, *si non obstiterit;* unde vota subditorum valida sunt quousque superior non contradixerit, ipso autem declarante voti nullitatem, omnis suscepta obligatio extinguitur.

II. Superior *in personam voventis* nunquam jus suum amittit erga subditum; etsi permittit ut subditus votum emittat, vel post factum ratum illud habet, tamen sive permissionem datam, sive votum factum et ratum probabil us semper retractare et irritare potest; ratio, quia in probabiliori sententia, auctoritatem suam abdicare nequit.

III. Superior *in personam voventis* si vota irritat sine iusta causa, vel non peccat juxta plures, quia utitur jure suo, vel nonnisi venialiter, juxta communem sententiam, quia in hoc casu sine ulla causa profectum spiritualem alterius impedit.

IV. Qui potestatem non quidem in voluntatem voventis, sed in voti materiam habet, potest voti obligationem tandiu suspendere, quandiu voti adimpletionem sibi praeiudicium afferat. **Can. 1312.** § 2; ratio quia ex una parte ipse jus habet ut in rebus proprio dominio subjectis a nemine laedatur; et ex altera, vi legis naturalis, nemo potest alteri promittere aliquid in praejudicium tertii [1].

Hinc, Papa *directe* irritare potest vota omnia religiosorum, utpote supremus eorum Superior.— Item Praelati religionum, etiamsi sint tantum superiores locales, possunt directe irritare omnia vota *particularia* suorum subditorum post professionem emissa, exceptis votis a praelato superioris gradus approbatis, et voto transeundi ad religionem strictiorem— Episcopi et abbatissae idem possunt quoad moniales sibi subjectas.

Indirecte vero Papa irritare potest vota fidelium; et Episcopus vota subditorum in quantum ipsis superioribus praejudicant.—Item Praelati religionum indirecte irritare possunt vota novitiorum, quae exercitia novitiatus impediunt [2].

Pater potestatem habet vota irritandi non solum quoad filios legitimos, sed etiam quoad filios illegitimos. Quod vero dictum est de patre dic etiam de avo paterno in defunctu patris, de tutore respectu pupilli, de curatore respectu minoris. — Mater etiam in horum defectu, eorum vota certe irritare potest. An vero mater, vivente patre, possit filiorum vota irritare, duplex adest sententia probabilis: alii negant et alii affirmant. Certum est autem quod pater potest filiorum vota irritare, contradicente licet matre, non vero mater contradicente patre. Unde, in casu quo mater votum filii approbat, pater vero reprobat, praevalet non ratio in matre, sed auctoritas in patre.

635.—*Q.* Conjuges quaenam vota irritare possunt?

R. — I. Vir non potest nec directe neque indirecte irritare vota

[1] Hinc Pater iuste irritat vota quae praeiudicant domesticae gubernationi, uti vota longae abstinentiae, peregrinationis ieunii incompatibilis cum modo vivendi familiae, etc.

[2] S. Alph., L. III, 242.

ab uxore emissa *ante matrimonium*, quia ipsa tunc sui juris erat, sed bene potest illorum suspendere executionem si praejudicent suae potestati. Si autem vota facta sint ab uxore *post matrimonium*, vir potest certe indirecte, et juxta plus etiam directe, irritare illa omnia quae praejudicant usui matrimonii, prolis educationi, vel gubernationi domesticae. — An vero directe irritare possit etiam illa vota, quae bonis matrimonii non praejudicaut, disput. Th.; sententia saltem extrinsece probabilior, affirmat; ratio, quia ad bonum matrimonii expedit ut uxor voluntatem totaliter a viro dependentem habeat. Quare vir irritare potest uxoris vota castitatis, religionis, etc., quamvis post ejus mortem exequenda.

2. Uxor nequit irritare vota viri nisi sibi praejudicent, ut votum longae peregrinationis, magnae abstinentiae, vestiendi habitum eremitae et similia, et etiam votum non petendi, quia sibi praejudiciale.

3. Si autem conjuges voveant castitatem aut religionem independenter unus ab alio, hoc votum ambo irritare possunt; sed si illud emittunt communi consensu, tunc certe uxor votum viri irritare nequit.—An vero vir irritare possit votum uxoris, disput. Th. Alii negant, quia vir virtualiter cessit juri suo; sed alii, inter quos videtur esse S. Alph., affirmant, quia vir juri suo cedere nequit [1].

636. – *Q.* Quorum nam servorum vota irritare possunt domini?

R. Domini irritare possunt vota illorum servorum qui mancipia dicuntur (*schiavi*) et potestati dominorum subduntur, modo eorum vota sibimetipsis praejudicent, ut votum religionis, longae peregrinationis; non vero votum castitatis, moderatae orationis, jejunii, etc.

Vota autem aliorum famulorum nequeunt ab heris irritari, sed tantum suspendi pro tempore famulatus, si debitis obsequiis praejudicant [2].

§ 4°

De commutatione voti.

637.—*Q.* Quid est voti commutatio, et quot modis fieri potest?

R. Voti commutatio definitur: *Substitutio unius materiae in locum illius quae voto promissa fuit, facta sub eadem voti obligatione.*

Commutatio triplici modo fieri potest; 1° *in melius*; melius vero accipitur quod est utilius voventi, uti est semper frequentia sacramentorum [3]; 2° *in aequale* (intellige aequalitate morali, non mathematica); 3° *in minus*.

638. — *Q.* Commutatio voti a quibusnam fieri potest?

R. — I. Commutatio *in melius* ab ipso vovente, propria auctoritate, fieri potest etiam sine speciali causa; ratio, quia bonum in meliore continetur. Excipe vota Papae reservata, nisi commutentur in votum religionis; et vota emissa in utilitatem tertii determinati, et ab eo jam acceptata.

II. Commutatio *in minus* vel *in dubie aequale*, solum Ecclesiae auctoritate fieri potest; ratio, quia talis commutatio rationem habet dispensationis, quae nonnisi a superiore concedi potest. **Can. 1314.**

[1] S. Alph., L. III, 234, 239.
[2] S. Alph., L. III, 240.
[3] S. Alph., L. III, 243.

III. Vota perpetua commutari possunt in temporalia, dummodo adsit debita proportio.—Item vota realia commutari possunt in personalia; et personalia in realia.

IV. Commutari non possunt vota Papae reservata, nisi commutatio fiat in alia vota pariter reservata et meliora, puta votum religionem ingrediendi.—Nec commutari possunt vota emissa in utilitatem tertii determinati, si iste tertius determinatus, puta talis pauper, talis Ecclesia, votum acceptavit.

V. Qui habet potestatem ordinariam vel delegatam dispensandi in votis, potest etiam ea commutare, quia commutatio est pars dispensationis, et qui potest majus, etiam minus in eodem genere potest.— E contra qui potest tantum commutare non potest dispensare, quia majus in minore non continetur [1].

639.—*Q.* Commutatio *in certe aequale* potest ne fieri ab ipso vovente?

R. Olim lis erat inter Theologos, nunc vero lis finita est; sic enim habet codex iuris canonici: Opus voto non reservato promissum potest in melius vel in aequale bonum ab ipso vovente commutari. **Can. 1314.** Ergo si vovens propria auctoritate votum in certe aequale commutavit, et materiam commutatam praestare praefert, tuta conscientia praestare potest.

640. — *Q.* Ad commutationem voti requiritur ne justa causa?

R. — 1. Ad commutationem in aequale requiritur justa causa; et pro hac sufficit minoratio periculi transgressionis, et etiam major propensio voventis.—Quod si commutatio est in opus dubie aequale, vel in paulo minus, pro justa causa sufficit notabilis molestia in voto adimplendo [2]. — Ceterum causa justa intelligitur vel sola petitio voventis, nempe ut promptiori et alacriori animo impleat votum [3].

2. Commutatio in minus si fiat sine justa causa certe illicita est. — An vero valida, disputant Th. Sed verius et aequius valida judicatur cum obligatione tamen supplendi quod deest [4]. — In dubio autem utrum causa commutationis fuerit necne sufficiens, docet S. Thomas posse voventem acquiescere judicio commutantis [5].

641. — *Q.* Facta commutatione vovens potest ne ad primum votum redire?

R. Si votum commutatum est in minus vel in aequale, procul dubio ad primum redire potest. Imo probabilius etiam si commutatio facta sit in melius cognitum et acceptatum, quia commutatio facta est in favorem voventis cum tacita conditione si ei placuerit [6].

642. — *Q.* Quid si materia commutata fiat impossibilis?

R. Si commutatio facta fuerit a legittimo Superiore, et res sub

[1] Si facultas *commutandi* alicui concedatur, non potest fieri subrogatio operis notabiliter minoris; attamen aliquantulum minoris, praesertim si dicitur facultas *commutandi dispensando*; quare principaliter tunc fieri debet commutatio, sed cum aliqua dispensatione. Si vero dicitur tribui facultatem *dispensandi commutando*, intelligitur principaliter dispensatio, at non absoluta, sed cum aliqua commutatione (in rem etiam notabiliter minorem) conjuncta. *Lehmkuhl*, I, 476.

[2] S. Alph., L. III, 244.

[3] *D'Annibale*, III, 209.

[4] *D'Annibale*, III, 209 (20).

[5] S. Alph., L. III, 245.

[6] S. Alph., L. III, 248.

rogata fiat impossibilis vel indifferens, et hoc etiam ex culpa voventis, tunc non tenetur hic ad primum votum redire: v. g. eleemosynae subrogatum fuit jejunium pro tali die, si tunc jejunare omisisti, peccasti, sed non teneris ad eleemosynam, quia per talem commutationem prima obligatio extinguitur [1].

Si vero commutatio facta fuerit ab ipso vovente suaque auctoritate, tunc Th. communiter dicunt quod non extinguitur prior obligatio, quia commutatio facienda est auctoritate Ecclesiae; unde si non impletur secundum opus, implendum est primum. Sed Cl. D'Annibale ait: Hoc minus consequenter dici videtur; nam commutatio fit inter creditorem et debitorem, et heic Dei quasi creditoris acceptatione innititur tota; aut igitur haec acceptatio deest, et commutatio nec in re meliori valet; aut adest, et prior obligatio extinguitur ipso jure, et in novam obligationem transit. Atqui adest [2].

643. — *Q.* Commutato voto reservato, remanet ne etiam reservata materia subrogata?

R. Commutato voto reservato, non remanet reservata materia subrogata, quia licet haec habeat idem vinculum voti, cum tamen materia per se reservata non sit, secum non trahit reservationem, quae primae tantum addicta erat [3].

---

[1] S. Alph., L. III, 244.
[2] *D'Annibale*, III, 201, (4).
[3] S. Alph., L. III, 260,
[4] Dispensatio differt ab *irritatione*, nam irritatio pertinet ad potestatem dominativam, quam quis habet in voluntatem voventis, vel in materiam voti, et fit nomine proprio irritantis; dispensatio e contra pertinet ad potestatem jurisdictionis, et fit nomine Dei: unde irritatio fieri potest etiam invito vovente, non ita vero dispensatio.
[5] Matth. XVI, 19; XVIII, 18.

§ 5°

De dispensatione voti.

644. — *Q.* Quid est dispensatio; et quibusnam competit?

R. Dispensatio est *absoluta obligationis voti condonatio, nomine Dei facta* [4]. Hinc:

I. Dispensatio competit Ecclesiae, quia Cristus ipsi hanc potestatem concessit, sive in votis sive in juramentis; dixit enim Petro: *Quodcumque solveris*, etc., et omnibus Apostolis: *Quaecumque solveritis*, etc. [5]. Et ecclesia hac potestate semper usa est.

II. Haec potestas competit jure proprio et ordinario omnibus qui in Ecclesia habent jurisdictionem ordinariam in foro externo.—Hinc: 1° Papa dispensare potest pro tota Ecclesia in omnibus votis etiam solemnibus.—2° Vota non reservata possunt iusta de causa dispensare, dummodo dispensatio ne laedat ius aliis quaesitum:

A) Loci Ordinarius quod attinet ad omnes suos subditos, atque etiam peregrinos.

B) Superior religionis clericalis exemptae quod attinet ad personas quae **Can. 514. §. 1.** enumerantur.

C) Ii quibus ab apostolica Sede delegata fuerit dispensandi potestas. **Can. 1313.**

D) Qui irritare, dispensare, commutare possunt votum, eandem potestatem eademque ratione

habent circa iusiurandum promissorium; sed si iusiurandi dispensatio vergat in praeiudicium aliorum qui obligationem remittere recusent, una Apostolica sedes potest iusiurandum dispensare propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae. **Can. 1320.**

III. Potestas dispensandi vel commutandi vota pertinet quidem ad forum conscientiae, sed non ad forum sacramentale; et ideo confessarius ipsam exercere potest etiam extra confessionem, excepto casu Jubilaei [1]. Neque requiritur quod sit confessarius ordinarius voto obstricti. — Qui vero habet facultatem dispensandi, sive ordinariam sive delegatam, potest etiam dispensare cum se ipso, quia est actus jurisdictionis voluntariae quae non requirit distinctam personam [2].

645 — *Q.* Ad validam dispensationem requiritur ne causa; et quaenam censetur causa justa?

R. — I. Ad validam dispensationem justa causa requiritur;— ratio, quia cum vota soli Deo fiant, Ecclesia in iis dispensat non nomine proprio nec in propria lege, sed nomine Dei et in lege Dei: at in lege aliena sine justa causa valide dispensari nequit. — Ceterum, si dispensatio data sit, uti valida habenda est quosque non appareat justam aut sufficientem causam defuisse [3].—In dubio vero an causa sit sufficiens, dispensatio concedi potest, si aliqua speretur utilitas et nullum scandalum timeatur [4].

2. Justa causa esset bonum Ecclesiae, vel communitatis, vel familiae, aut ipsius subiecti, nempe si dispensatio esset illi majoris utilitatis, puta quia vovens vexatur magnis scrupulis. *Item* justa causa esset notabilis difficultas in observantia voti, etiamsi praevisa fuerit; vel etsi procedat ex communi fragilitate hominum, non vero si ex voventis malitia. *Item* causa justa esset imperfectio actus in voto emittendo, v. g. si votum emissum sit immature, ex levitate juvenili, cum nimia facilitate, vel ex metu etiam levi, vel sine perfecta deliberatione, aut libertate. — Ex hisce rationibus vota impuberum absque alia causa dispensari possunt sine ulla commutatione. *Item* si imperfecta deliberatio aut libertas in vovendo processit ex tristitia, aut ira, aut metu intrinseco mortis, naufragii, vel alterius gravis mali.

Si vero causa non est sufficiens pro dispensatione, potest haec concedi adjuncta aliqua commutatione [5].

646. — *Q.* Potest ne dispensari votum emissum in utilitatem tertii?

[1] Quin, concessa facultate absolvendi a casibus et censuris reservatis et commutandi vota, *auditis confessionibus*, multi putant, ea verba, *auditis* etc., ad casus dumtaxat et censuras referenda esse, quorum sententiam, nec ipse Bened. XIV. est ausus reprobare. *D'Annibale*, III, 207 (4).

Facultas delegata ad dispensandum in votis facultatem includit dispensandi etiam in juramento, si hoc factum sit in voti ipsius confirmationem; nam in hoc casu juramentum est voto accessorium, proindeque, *ablato principali*, *tollitur accessorium*. Secus vero dicendum si juramentum factum sit independenter a voto, quia tunc habentur duo vincula distincta et expressa, quorum unum non dependet ab alio, ideoque per dispensationem unius non tollitur alterum.

[2] S. Alph. L. III, 256,

[3] *D'Annibale*, III, 207.

[4] *D'Annibale*, III, 208.

[5] S. Alph., Hom. Ap. T. V. 40.

R.—**1.** Si tale votum fuit emissum principaliter in utilitatem tertii, et iste tertius determinatus fuit, v. g. talis pauper, talis ecclesia, et pauper vel ecclesia votum acceptavit, tunc vovens non solum ex religione, sed etiam ex fidelitate promissionem servare tenetur, ideoque tale votum nec dispensari nec commutari potest ; quia ille pauper vel illa ecclesia verum jus acquisivit ad rem, quo, citra injuriam, absque ejus consensu, expoliari nequit.

2. Si votum Deo factum fuit aliquid dandi personis indeterminatis, v. g. pauperibus, tunc votum semper dispensari potest, etsi promissio alicui ex pauperibus postea manifestata fuerit, et ab ipso acceptata.

3. Si vero votum factum sit principaliter in honorem Dei, et secundario in utilitatem alicujus tertii determinati, tunc distinguendum est: vel iste tertius qui promissionem acceptavit ad nihil se obligavit in commodum promittentis, vel se obligavit ad aliquid; in *primo casu*, votum dispensari potest, quia ille tertius jus non acquisivit ad rem promissam, nisi dependenter a promissione Deo facta, quae remitti potest; in *secundo casu* vero, votum dispensari nequit, quia, quum ille tertius ad aliquid etiam ex parte sua se obligaverit, tunc intercedit veluti contractus bilateralis, ideoque utrinque obligatorius. Ita contingit in omnibus votis onerosis, quale v. g. votum *perseverantiae*, quod emitti solet in aliquibus Congregationibus, uti in Congregatione presb. Missionis S. Vincentii a Paulo, et in Congregatione SS. Redemptoris fundata a S. Alphonso M. de Lig. In hisce enim Congregationibus licet votum perseverandi toto vitae tempore in eadem Congregatione principaliter emittatur in honorem Dei, attamen quia Congregatio subjectum acceptando se obligat ad ipsum toto vitae suae tempore sustentandum, nec dimittendum sine justa et gravi causa (de qua Superiores non tenentur dimissis rationem reddere), ideo, quum intercedat veluti contractus bilateralis, votum perseverantiae dispensari aut remitti nequit nisi a Papa vel a Superiore Generali ipsius Congregationis, prout in Bulla Fundationis constitutum fuit [1].

647.—*Q.* Quaenam sunt vota Papae reservata; et quid requiritur ut sint reservata ?

R. Praeter vota in communitate religiosa emissa, vota privata Sedi Apostolicae reservata sunt tantummodo votum perfectae ac perpetuae castitatis et votum ingrediendi in religionem votorum solemnium, quae emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum aetatis annum. **Can. 1309.**

Horum autem votorum reservatio, quum sit odiosa, stricte accipienda et interpretanda est; quare ut haec vota sint reservata requiritur ut sint vota proprie dicta, facta sub gravi, deliberata seu omnino libera, perfecta seu ex amore virtutis principaliter emissa, determinata, absoluta et praecisa quoad substantiam, non vero quoad circumstantias, ita ut si ex parte aliqua deficiant, quamvis valida, tamen non sint amplius reservata. — Requiritur igitur:

[1] S. Alph, L. III, 258.

1. *Ut sint vota proprie dicta, et facta sub gravi* [1]; unde non esset reservatum votum quod non sit principaliter emissum in honorem Dei; nec votum emissum sub obligatione levi [2].

2. *Deliberata*, seu *omnino libera*; unde non esset reservatum votum emissum ex metu ab alio incusso, quia tunc non sunt facta cum plena libertate.

3. *Perfecta*, seu *ex amore virtutis principaliter emissa;* unde ut votum castitatis reservatum sit requiritur ut sit de perfecta et perpetua castitate, nempe excludat in perpetuum omnem actum venereum, etiam internum; ideoque non esset reservatum votum non nubendi, non fornicandi, non adulterandi, non petendi debitum; nec votum servandae virginitatis, si per virginitatem intelligatur sola carnis integritas. — *Item* non est reservatum votum religionis nisi sit de religione approbata, in qua nempe vota solemnia fiunt.

4. *Determinata*; unde reservatum non esset votum disjunctivum, v. g. aut jejunii aut religionis, etiamsi postea electa sit pars reservata, nempe votum religionis; excipe si utraque pars disjunctiva reservata sit.

5. *Absoluta*; unde reservatum non esset votum poenale, aut conditionatum, etiam impleta condi tione, quia tunc votum magis ex affectu ad conditionem quam ad objectum voti procedit. — Secus vero dicendum est si conditio est de futuro necessario, quia tunc conditio habetur ut non apposita; vel si est de futuro contingenti et communi, v. g. *si vixero, si potero ;* vel si est de praeterito aut de praesenti, et extat [3].

6. *Et praecisa quoad substantiam;* unde quamvis votum reservatum sit, reservatae tamen non sunt ejusdem voti circumstantiae; v. g. si quis voveat ingressum in Religionem arctiorem, poterit ab Episcopo dispensari ut benigniorem ingrediatur dummodo religio sit votorum solemnium ; aut si quis voveat *statim* religionem ingredi, poterit Episcopus cum causa dispensare, ut differatur ingressus.

648. — *Q.* Quid notandum est quoad vota Papae reservata ?

R. Haec tria notanda sunt;

1. Facultas dispensandi in votis Papae reservatis non intelligitur concessa a Papa nisi adsit concessio specialis, vel saltem generalis per clausulam, qua talis facultas expresse concedatur. —Si vero facultas conceditur dispensandi in votis reservatis, ipsa ad omnia extenditur, nisi aliquod votum excipiatur.

2. Episcopi, et alii similem jurisdictionem habentes possunt recte dispensare in votis reservatis *in casu urgentis necessitatis*, nempe quando non adest facilis accessus ad Papam, et in mora adsit periculum gravis damni vel temporalis, uti gravis infamiae, vel spiritualis , uti violationis voti, scandali, etc. In hoc tamen casu dispensatio non est concedenda nisi quatenus necessitas obliget;un-

[1] Si quis non votum, sed juramentum de his emiserit, v. g. perfectam et perpetuam castitatem juraverit, an tale juramentum sit reservatum, disput. Th.; sententia probabilior negat, quia voti et juramenti non est par ratio. S. Alph.; L. III, 259.

[2] S. Alph, L. III, 258.

[3] S. Alph., L. III, 261.

de si sufficit voti suspensio, non potest concedi dispensatio.

3. Episcopi dispensare possunt cum conjugibus in voto castitatis, etiam perfecto et absoluto ante matrimonium emisso, ad petendum debitum, ex consuetudine quae jurisdictionem praebet [1].

[1] S. Alph., L. III, 258.

Nonnulla monita pro praxi

1. Confessarius prudens valde sit in permittenda emissione alicujus voti praesertim perpetui. Saepe enim accidit quosdam poenitentes, mulieres praesertim ac puellas, intensiori et momentaneo fervore ductos, aut gravi urgente calamitate, vota imprudenter emittere, qui dein frigescente fervore, vel calamitate superata, nimis difficile sentiunt votum emissum; nec tam cito votum permittat, sed prius curet ut poenitens rite et per aliquod tempus in illa virtute se exerceat quam vovere desiderat. Quum autem poenitentem reperierit vere illam virtutem callere, ipsius votum permittere quidem potest, sed tantum ad tempus, v. g. a mense ad mensem, vel ab aliqua B. M. V. festivitate ad aliam festivitatem, vel ad summum ad annum; votum autem perpetuum alicujus virtutis nonnisi raro et quidem solummodo personis in illa virtute firmioribus simulque aetate provectis permittat. Quidam juvenis a S. Francisco Salesio licentiam petiit quotidianam recitationem SS. Rosarii B. M. V. perpetuo vovendi; cui Sanctus prudentiam esse duxit illam licentiam denegare. Quamobrem obstupefactus juvenis ille respondit: Te quoque primis ab annis hoc votum emisisse novi; cui S. Franciscus: Verum quidem, at propterea experientia doctus, te ab hujusmodi voto dissuadere volo.

2. Nunquam permittat vota nimis difficilia, vel indeterminata, vel pluribus conditionibus subiecta; quia januam pluribus anxietatibus et scrupulis aperiunt.

3. Quando emissionem alicujus voti permittit, poenitenti innuat ut illud emittat sub obligatione tantum levi, ad cavendum ne in aliquod periculum se injiciat peccati gravis (V. dicta n. 613, in nota).

4. Emisso autem voto, si poenitentem ob difficultatem illud observandi noverit in periculo versari illud transgrediendi, et votum reservatum non est, illud ipsi commutet in aliud opus melius vel saltem aequale; et meminerit quod pro justa causa commutationis in opus etiam aequale sufficit minoratio periculi transgressionis, vel sola petitio voventis ut promptiori et alacri animo votum adimpleat, ut dictum est n. 640. Opus autem melius est semper frequentia Sacramentorum.

5. Demum in diversis dubiis tum de voti emissione, tum de illius validitate, etc. recolantur regulae n. 606 positae.

DE TERTIO DECALOGI PRAECEPTO

Memento ut diem sabbati sanctifices ; non facies omne opus in eo (Exod. XX, 8, 10).

Hoc tertium Decalogi praeceptum, ut *negativum*, opera servilia prohibet ; ut *affirmativum* quaedam opera pietatis in diebus festis praecipit.

Haec dissertatio duobus capitibus constat : 1. *de hujus praecepti natura, et de operibus quae in eo prohibentur ;* 2. *de praecepto audiendi Missam.*

CAPUT I.

De hujus praecepti natura, et de operibus quae in eo prohibentur.

ART. I.

De hujus praecepti natura.

649.—*Q.* Praeceptum festum sanctificandi est ne morale an caeremoniale ?

R. Praeceptum de sanctificatione sabbati, ait S. Th. [1], liberaliter intellectum, est partim morale, partim autem caeremoniale.

Est igitur *morale* seu *naturale*, quatenus dictat aliquod tempus soli divino cultui tribuendum esse; oportet enim ut cuilibet rei necessariae deputetur aliquod tempus *positivum*.

Caeremoniale vero, quatenus determinat *certum diem*, scilicet sabbatum, et *modum* Deum colendi, nimirum per cessationem ab opere servili.

Quum autem caeremonialia una cum Veteri Lege cessaverint et Christus Dominus nullius festi observationem instituerit, sed curam hanc Ecclesiae suae reliquerit, sequitur in Nova Lege hoc praeceptum *ecclesiasticum* esse. Porro Ecclesia sabbato substituit diem Dominicam in memoriam Resurrectionis Christi, ut factum legitur ab Apostolis [2]. — Diei dominicae Ecclesia adjecit alias festivitates ad recolenda Redemptionis nostrae misteria, vel B. M. V. aut Sanctorum merita atque exempla. Inde consequitur observantiam Dominicae ab Ecclesia mutari et in ea dispensari posse : quamvis non ita, ut nullius sit dies festivus cultui divino specialiter deputatus; Ecclesiae namque

[1] 2a 2ae, q. CXXII, a. IV.

[2] Act. Ap., 7; 1, Cor. XVI, 2.

competit dumtaxat jus naturale hac in re determinare [1].

630. — *Q.* Quinam possunt festa instituere, et quinam ad festa tenentur?

R. — I. Festa instituere possunt S. Pontifex et Concilium universale pro tota Ecclesia.

II. Episcopus pro sua dioecesi potest ex jure canonico diem festum instituere in honorem *Sanctorum* (non item *Beatorum*), adhibito aliquorum ex clero consilio.— Verum Urbanus VIII Episcopos monet, ut ad praecavenda plura incommoda a novis instituendis festis studeant abstinere.

III. Omnes fideles rationis compotes, saltem post septennium, tenentur sub gravi ad festa sanctificanda; - ratio, quia sunt subditi legi.

631. — *Q.* Praeceptum festa sanctificandi 1° ad quid obligat; 2° et quomodo obligat?

R. Ad 1um Praeceptum festa sanctificandi, prout est *morale* seu *divinum*, obligat tantum ad cultum externum Deo praestandum. Prout vero est *ecclesiasticum*, obligat *per se* ad haec duo: 1° ad missam audiendam; 2° ad se abstinendum a quibusdam officiis et operibus servilibus [2]. — Dixi *per se*, quia nihil aliud certo praescriptum est. Attamen *per accidens* aliquis teneri potest ad speciales functiones, v. g. ad concionem audiendam si ignorat quae scire tenetur, et alias commode ea addiscere non potest, vel ad scandalum vitandum etc. [3] — Ceterum impense exhortandi sunt fideles ad alia opera pia, praeter missam, exercenda; sanctificatio enim diei festi, praesertim pro rudibus, medium praecipuum est ad vitam christiane ducendam.

Ad 2um Praeceptum festum sanctificandi per se obligat sub gravi; - ratio, quia materia praecepti est gravis, agitur enim de cultu Deo praestando; et a legislatore imposita est sub gravi. Quare Innoc. XI hanc damnavit propos.: *Praeceptum servandi festa non obligat sub gravi, seposito scandalo, si absit contemptus.*

Art. II.

De operibus quae in hoc praecepto prohibentur.

632. — *Q.* Quaenam opera diebus festis prohibentur?

R. Praemitto: Opera, quoad observationem festorum, distinguuntur in servilia, liberalia, communia, et forensia. — *Servilia* ea sunt quae corpore exercentur, ac praecipue ad corporis utilitatem ordinantur, et a servis dumtaxat exerceri solent, uti fodere, suere et similia. — *Liberalia* sunt quae mentis facultates magis quam corpus exercent, et ad animum excolendum praesertim ordinantur, atque a liberis fieri solent, uti studere, legere, canere, etc. — *Communia*

[1] S. Alph., L. III, 263, 265.

[2] Alicubi tamen in *nonnullis festivitatibus*, ex Pontificio indulto, adest sola obligatio missam audiendi.

[3] Fideles qui missam diebus festis audire non possunt, non ideo soluti sunt ab obligatione sanctificandi Festum per precationes, aliave pia opera; ideoque magnopere hortandi, nec tamen sub reatu peccati (tamquam praecepto Ecclesiae inobedientes) obligandi, ut satagant piis fidelium conventibus interesse, in quibus pabulo verbi Dei aliisque religionis exercitationibus instrui et enutriri valeant, et conjuncti precibus in spiritu caritatis Divinam opem efficacius implorare valeant. S. C. de P. F. 4 Jan. 1798.

sunt quae promiscue tum a servis tum a liberis exercentur, uti iter facere, venari. — *Forensia* demum sunt quae ad forum judiciale vel ad mercaturam spectant. Hoc praemisso :

I. Diebus festis prohibentur sub gravi, et quidem integro die idest a media nocte ad mediam noctem, omnia opera *servilia,* iis exceptis quae necessaria sunt ad vitam, et ad corporis aut domus munditiem.

II. Prohibentur etiam opera *forensia,* uti citatio partium, compilatio processus, examen testium, prolatio sententiae et executio. Ex consuetudine tamen quoad opera forensia permittuntur actus judiciales, dummodo fiant sine strepitu; sic permittitur perficere testamenta, stipulare instrumenta, contractus locationum, et hujusmodi actus qui strepitum judiciale non requirunt.

III. Prohibentur item *negotiationes* et *venditiones* mercium in publicis officinis. — Sed quoad negotiationem permittuntur nundinae universales (vulgo *fiere*), imo alicubi etiam mercatus ; at solum in iis locis ubi viget legitima consuetudo, ut declaravit Bened. XIV. — Item multi permittunt vendere domum, equum, etc. inter privatos, quamvis in hoc multum temporis impendatur; et etiam vendere aliquid clausis januis, si emptores pro tunc ea re valde indigeant, quia Ecclesia venditionem in publicis officinis prohibuit solum ratione scandali [1]. — Attamen curandum est ut haec omnia non fiant tempore divinorum officiorum, ne sacrae functiones perturbentur.

IV. E contra permissa sunt opera *liberalia* et *communia.*

Hinc permissum est transcribere, typos seu characteres typographicos ordinare, quia hoc est quaedam quasi scriptio ; non autem folia imprimere. Item permissum est pingere ad exercitium artis, non autem terere colores vel dealbare parietes ; sic etiam licet photographiam exercere, acu retrahere (vulgo *ricamare*), quia haec opera potius liberalia sunt quam servilia, et si non sunt liberalia, saltem sunt communia. Item permissum est venari, et etiam piscari, modo labore moderato fiat. — E contra non licet sculpere; quia ars sculptoria, saltem in aestimatione hominum, inter artes mechanicas et serviles numeratur [2]; excipe si agatur de ultima operis perfectione. Item per se non licet quaedam facere quae levem laborem exigunt, et quae a Monialibus confici solent, v. g. rosaria, scapularia, imagines cereae, flores artificiales, etc. ; quia haec in usu communi inter opera servilia adnumerantur ; praesertim si peraguntur a mulieribus in unum congregatis, sicut per hebdomadam fieri solet. Verum in hisce operibus majus temporis spatium requiritur ut adsit culpa gravis, et consuetudo excusare potest [3].

653. — *Q.* Quid observandum est quoad opera servilia die festo?

R. Duo praecipue observanda sunt quibus *in praxi* plures difficultates solvi possunt : 1° Quod opera servilia diebus festis non exercenda plerumque magis determinat consuetudo quam lex scripta, ut ait Gerson. 2° Quod in

[1] S. Alph., L. III, 286.
[2] S. Alph., L. III, 280, 281.
[3] *Gury*, I, 356; *Génicot*, I, 334, 2°.

judicando utrum aliquod opus licitum sit an non, attendenda est natura operis, servile nempe sit necne; minime vero intentio agentis, utrum scilicet opera faciat ex lucro an ex recreatione vel etiam pia intentione, vel utrum faciat cum defatigatione et labore an non, vel utrum brevi an longo tempore, quia intentio operantis non mutat naturam operis si servile sit [1].

654. — *Q.* Quaenam diuturnitas temporis gravem transgressionem constituit?

R. Triplex adest sententia: *prima* tres horas assignat; *secunda* unam tantum horam; *tertia* communior et sequenda duas oras vel etiam duas cum dimidia, imo et plus si ex aliquali necessitate, vel in opere leviusculo, at non ultra tres horas. In operibus autem forensibus et judicialibus gravitas materiae non desumitur a quantitate temporis, sed ex qualitate operis.

Si autem dominus pluribus famulis mandat ut laborent *per horam*, sententia probabilior et longe communior tenet eum peccare tantum venialiter, sive mandet ut laborent successive, sive eodem tempore, quia opera famulorum non uniuntur, et ipse videtur per alios facere non quod universi, sed quod singuli faciunt; unde dominus nequit peccare magis quam ipsi famuli, qui tantum leviter in hoc peccarent [2].

655. — *Q.* Peccatum in die festo habet ne malitiam specialem in confessione necessario aperiendam?

R. Triplex adest sententia: *Prima* affirmat; *Secunda* distinguit, et dicit quod si peccatum applicationem impediat ad divina et hominem a cultu divino omnino avertat, uti ebrietas, fornicatio, rixae, vel si peccatum ad aliquod tempus perdurat, tunc duplex esset peccatum, secus non; *Tertia* demum probabilior et longe communior negat, nam finis praecepti non cadit sub praecepto.

656. — *Q.* Licet ne diebus festis: 1° ducere currus aut jumenta onusta; 2° molere?

R. Ad 1um: Affirmative; - ratio quia in tali labore muliones vel non insumunt tempus notabile, vel saltem excusantur ratione vitandi grave damnum, vel causa publicae utilitatis, vel saltem ex communi consuetudine.

Ad 2um: Si mola agitur aqua aut vento, licet. Si vero mola agitur bestiis, tunc illicitum erit et quidem graviter vel leviter prout ex parte hominis requiritur gravis vel levis labor et occupatio [3].

657. — *Q.* Licet ne diebus festis triticum triturare ope machinae (vulgo *trebbiatrice*)?

R. Th. affirmant, quoties secus dominus machinae, vel etiam dominus tritici grave damnum pateretur; ratio fluit ex iis quae Th. tradunt de causis excusantibus ab operibus servilibus in die festo [4]. Negant autem generatim in casibus ordinariis et communiter contingentibus in quibus agitur tantum de cessatione lucri ordinarii obvenientis domino ma-

[1] S. Alph., L. III, 273.
[2] S. Alph., L. III, 306.
[3] S. Alph., L. III, 277.— Nihilominus quia occupati circa has res servilibus studere videntur, vulgo creduntur peccare graviter; ideo his in locis quibus nondum usus invaluit, ab eis, saltem propter scandalum, abstinendum est. *D' Annibale*, III, 121 (11).
[4] *Berardi*, Praxis, 142.

chinae, vel de dilatione triturationis in unum vel alterum diem, aut in unam vel alteram hebdomadam quoad dominum tritici ; alias actum esset de festis nedum ruri et quoad villicos tempore triturationis, sed et per annum et quoad innumeros pene artifices, ubi dentur opificia quae non una sed plurimis machinis redundant.

Quare laudandi et pro viribus exhortandi sunt domini tritici ut in diebus festis hanc triturationem in propriis fundis nullomodo permittant ; imo ad hoc teneri possunt si alias adesset scandalum, v. g. si dominus esset Parochus, vel si machina non aliena sed propria solum in propriis fundis triticum trituraret. — In casu autem quo ex dilatione triturationis vere adesset grave damnum, quod *in praxi* difficile videtur, curandum semper est ut opus suspendatur quantum est necessarium, ut operarii missam audire possint.

Quoad rusticos vero qui triturationi incumbunt, et quoad alios qui machinae applicantur benignius procedendum est, eisque, positis ponendis, extendi debent quae Th. communiter tradunt de famulis a domino ad laborandum coactis.

Art. III.

De causis excusantibus a servilibus die festo.

658. — *Q.* Quaenam causae excusant ab operibus servilibus die festo ?

R. Plures recensentur causae quae ab operibus servilibus die festo excusant. Praecipuae sunt: necessitas, pietas erga Deum, caritas erga proximum, utilitas publica, consuetudo et dispensatio.

I. *Necessitas* etiam moralis, sive propria sive aliena, sive corporis sive animae ; - ratio, quia lex ecclesiastica non obligat cum gravi incommodo.

Hinc excusantur qui, propter praeteritam vel imminentem pluviam, foenum vel segetes ligant, vertunt, asportant ; — qui, *urgente mandato* vel *necessitate*, pontes, vias publicas et similia conficiunt vel reficiunt ; — *famuli* a dominis ad laborandum coacti, modo non jubeantur in contemptum praecepti, et timeant dominorum indignationem aut aliud grave incommodum, v. g. ne dimittantur et alium herum non facile inveniant; si tamen ad hanc praecepti violationem frequenter cogendi essent, talem dominum quam primum moraliter possunt, idest sine gravi incommodo, deserere tenerentur ; — idem *a fortiori* dicendum est de *filiis familias* et *uxoribus* a patre et marito ad laborandum coactis, et facultatem se abstinendi aut domum deserendi non habentibus ; — *famulae* vestes suas diebus festivis reficientes, si id aliis diebus facere non possint; — item excusantur *sutores* et *sartores,* qui necessaria calceamenta et vestimenta pro instantibus nuptiis, funeribus et similibus solemnitatibus conficiunt ; vel si promissa ita expectantur, ut magnum subituri sint damnum, nisi ea perficiant : non excusantur vero qui sub praetextu necessitatis plura assumunt opera quam quae in hebdomada explere possint, quia haec necessitas voluntaria esset; — item excusantur qui calceant equos itinerantium vel etiam a rusticanis sibi adductos; — ipsi rusticani qui

eos alia die adducere non possent sine notabili damno ; – qui vomeres recudunt vel recudere faciunt, quia secus sequenti die arare non possent; — qui falces percutiunt; – demum qui opera incoepta interrumpere nequeunt sine gravi damno, uti coquentes calcem, lateres, etc. [1].

2. *Pietas erga Deum,* idest quando opera in Dei cultum *proxime* tendunt.

Hinc licet pulsare campanas, circumferre cruces, imagines vel reliquia in processionibus, verrere templum, coquere hostias, altaria et ecclesiam sertis, candelabris, aulaeis, tapetis ornare, tabulata erigere necessaria ad festivitatem, vel sepulcrum, etc. — E contra opera quae in Dei cultum *remote* tantum tendunt, uti lapides vel ligna ad construendam ecclesiam caedere aut vehere, ornamenta facere aut reficere, linteamina lavare, etc. licita non sunt, nisi adsit dispensatio vel necessitas, uti esset v. g. pro ecclesiis pauperibus ; quia talia opera de se sunt servilia, et nonnisi, ut dictum est, remote tantum in Dei cultum tendunt [2].

3. *Caritas erga proximum,* seu misericordia in graviter indigentes.

Hinc licet pauperibus et infirmis hic et nunc egentibus subvenire etiam per quaedam opera servilia, ne expensis graventur. Item licet emere et vendere rusticis qui aliis diebus impediuntur , quod nunc licet etiam ex consuetudine [3].

4. *Utilitas publica.* Hinc ob victoriam vel adventum magni principis licitum est vestes conficere, ignes accendere, etc., modo haec pridie perfici nequiverint [4].—Item ratione publicae utilitatis excusantur qui in viis ferreis legitima occupatione detinentur , uti conductores, calefactores, etc.; non autem, nisi alia ratio accedat, illi qui in accipiendis vel distribuendis mercibus occupantur [5]. Item excusantur pistores et laniones publici, saltem in magnis oppidis, ob populi necessitatem.

5. *Consuetudo ;* haec enim habet vim leges positivas introducendi, interpretandi, mutandi, abolendi (V. *De Legibus,* n. 204).

Hinc ex consuetudine permittuntur—quaedam nundinae in diebus dominicis et festis haberi solitae ; — occisiones minorum animalium, ut pullorum, columbarum, etc., non vero majorum, ut boum, ovium, etc. nisi aliqua urgeat necessitas ; — quae ad nitorem domus pertinent, ut cubicula verrere, utensilia lavare, et quae ad decentem personae compositionem spectant, ut barbam tondere, parum quid suere, domum aut vestes purgare;—irrigare olera, vertere aut separare segetes, fructus colligere, etsi non necessarios ad usum diei sed tantum ut integriores serventur, praesertim si periculum sit ne ab aliis surripiantur vel a pluvia contaminentur, unde usu receptum est multis in locis colligere in die festo olivas, castaneas et alios fructus silvestres [6].

6. *Dispensatio ;* haec enim si legitima sit, solvere potest vinculum legis humanae.

Dispensationem elargiri possunt : — *Papa* in omnibus festivitatibus et diebus dominicis pro to-

[1] S. Alph., L. III, 296, 303.
[2] S. Alph., L. III, 291, 293.
[3] S. Alph., L. III, 294.
[4] S. Alph., L. III, 304.
[5] *Marc,* 668; *Ciolli,* 116.
[6] S. Alph., L. III, 290, 298.

ta Ecclesia, ut supremus legislator et pastor ; — *Episcopus*, et *Vicarius Capitularis* sede vacante, in festis *particularibus dioecesis*. In festis vero *communibus Ecclesiae* dispensare tantum possunt si adsit justa causa, secus graviter peccant, et invalida esset dispensatio. — An vero *Vicarius Generalis* dispensare possit, plures apud S. Alph. negant, nisi habeat speciale mandatum; — *Praelati* regulares pro suis subditis religiosis et pro suis domesticis ; — *Parochus* pro suis parochianis, etiam praesente Episcopo, sed tantum ad tempus et pro aliquo casu particulari, et ob graves rationes.

NOTA : Si causa excusans est manifesta, opus non est petere dispensationem ; secus vero, si causa dubia est. Quod si casus urgeat, et superior ecclesiasticus adiri non possit dispensatio praesumi potest [1].

659. — *Q.* Ab operibus servilibus excusat ne 1° ratio acquirendi magnum lucrum ; 2° vel ratio vitandi otium ?

R. ad 1um : Ratio acquirendi magnum lucrum non excusat, quando occasio magnum lucrum acquirendi est ordinaria. Quod si occasio est extraordinaria, tunc multi Th. satis probabiliter affirmant, quia omissio magni lucri extraordinarii gravi damno aequiparatur [2].

Ad 2um: Disput. Th. Communiter excusare negant, quia otium aliis remediis et quidem melioribus, v. g. pia lectione, oratione etc., facile vitari potest. S. Alph. vero tunc tantum laborem permittit quando urget aliqua gravis tentatio, quae aliter vinci nequit [3].

—

[1] S. Alph., L. III, 288.
[2] S. Alph., L. III, 301.

CAPUT II.

De Missa audienda.

ART. I.

De praecepto audiendi Missam.

660. — *Q.* Quinam tenentur diebus festis missam audire; et quaenam requiruntur ad huic praecepto satisfaciendum ?

R. — I. Praecepto audiendi missam tenentur omnes fideles septennio completo, actualiter rationis compotes, nec legitime impediti.

II. Ad implendum praeceptum audiendi missam quatuor requiruntur: 1° praesentia corporalis; 2° debita intentio et attentio ; 3° debitus locus ; 4° necessaria integritas.

661. — *Q.* Quaenam praesentia corporis requiritur ?

R. Requiritur praesentia moralis, quae adest quando quis ita corporaliter praesens est ut ex circumstantiis vel hominum aestimatione censeatur moraliter conjunctus cum ceteris missam audientibus et habeatur velut unus ex illis, licet ipse per accidens nihil videat vel audiat. Unde etiam extra ecclesiam potest adesse praesentia moralis, si ecclesia omnes fideles capere nequeat. — Hinc moraliter praesens esse judicatur, ideoque satisfacit, qui missam audit in choro post altare, vel post parietem aut columnas ecclesiae, ex sacrario, vel per fenestram templi (etiamsi celebrans non conspiciatur), si per alios advertat quod fit. Item satisfacit qui missam audit ex fenestra aut janua

[3] S. Alph., L. III, 302.

suae domus, licet adsit via intermedia, modo altare videat, et distantia sit parva, idest minor triginta passuum, quia ille jam satis moraliter praesens esse censetur [1]. Item satisfacit qui per modicum tempus a sacrificio recedit et divertit vel ad sacristiam ut afferat vinum, thus, etc., vel ad campanile ut campanas pulset, quia licet non corpore, moraliter tamen praesens est, quia recedit ut sacrificio inserviat. Dixi *per modicum tempus,* secus enim esset si diutius extra ecclesiam immorari deberet.

662. — *Q.* Quaenam intentio requiritur?

R. Requiritur intentio, saltem implicita, missam audiendi; non enim satisfaceret qui assisteret solo fine ecclesiam visendi, amico praestolandi, etc. Sufficit autem intentio missam audiendi, et non requiritur intentio praecepto satisfaciendi; quare qui jam missam audivisset licet immemor diei festi praecepto satisfecit. Imo, juxta communiss'mam sententiam, satisfecit etiamsi habuisset expressam intentionem non satisfaciendi, quia qui voluntarie exequitur opus praescriptum, necessario etiam praecepto satisfacit (V. *De Legibus*, n. 164).

663. — *Q.* Quaenam attentio requiritur?

R. Praemitto: Attentio ad missam alia est interna, alia externa.

Attentio *interna* ea est qua quis attendit vel ad verba et actiones celebrantis animo colendi Deum, vel ad mysteria, vel ad Deum in genere. — Attentio *externa* est qua quis advertit ad ea quae in altari peraguntur, ita ut interrogatus possit testari quae fiant. Hoc praemisso:

1. Attentio interna, etiam remissa, certe sufficit — Hinc satisfacit qui missae inserviens se parat ut res altari necessarias afferat uti vinum, thus, etc., cum eaedem res ad idem sacrificium pertineant, vel organa pulsat, vel eleemosynas colligit, dummodo simul attendat ad ea quae in altari geruntur. Sic satisfacit qui horas canonicas recitat; qui poenitentiam persolvit, vel conscientiam examinat ut confiteatur; qui aliquem librum spiritualem legit, non vero qui legit historiam sacram animo discendi. Imo qui dormitat satisfacit, modo advertat ad id quod fit. Haec attentio sufficit, sicut in recitando Breviario, ut sit *virtualis,* scilicet quod quis initio habeat intentionem attendendi, et illam voluntarie non revocet; nam si postea distrahitur, etiam advertenter, sed non advertit se distrahi a missa, etiam satisfacit, quia licet voluntarie se distrahat, non tamen distrahitur voluntarie a missa [2].

2. An vero attentio solum externa ad praeceptum adimplendum sufficiat, multi communius et probabilius negant; multi tamen etiam probabiliter affirmant, et dicunt quod Ecclesia actus internos non praecipit, et ideo non requiritur oratio, sed sufficit praesentia moralis cum intentione per eam Deo cultum exhibendi.—Hinc qui notabili parte missae vel etiam toto tempore voluntarias admittit distractiones, si nihil faciat externe quo attentio impediatur, et sufficienter ad ejus praecipuas partes advertat quid fiat; vel qui mo-

[1] *Ninzatti,* l, 341.

[2] S. Alph., L. III, 313.

do attendit modo fabulatur, semper tamen advertere potest quid fiat, licet peccet irreverentia, non tamen damnandus est de mortali, ut probabiliter tenent S. Alphonsus et alii Theologi [1].

664. — *Q.* Quinam locus debitus pro satisfactione praecepti?

R. Locus debitus est quaelibet ecclesia vel oratorium publicum; unde non satisfacit qui missam audit in oratorio privato, nisi indulto pontificio gaudeat.

Nomine autem oratorii *privati* venit tantum sacellum in domo privata erectum, ex privilegio a Papa concesso ut ibi missa celebretur in commodum alicujus personae vel familiae. Unde non est oratorium privatum sacellum ab Episcopo benedictum, et ad usus sacros designatum in seminariis, hospitalibus, carceribus, conservatoriis; nec sacellum erectum in domibus cardinalium, episcoporum, religiosorum aut missionariorum privilegiatorum; nec sacellum erectum in domo privata, si ejus ingressus in via publica pateat, et in perpetuum divino cultui sit dicatum. In hujusmodi oratoriis seu cappellis tum quivis sacerdos celebrare, tum quivis fidelis missae praecepto satisfacere potest; quia vel sunt vere ecclesiae publicae, vel illis aequiparantur [2].

In oratorio vero privato illi tantum praecepto audiendi missam satisfaciunt, qui in indulto pontificio designantur, nempe: 1° dominus oratorii, cui indultum concessum est; 2° domini conjuncti, qui in illius domo habitant et sunt de ejus familia; 3° hospites domini, modo sint nobiles, prout solet in indulto limitari; 4° servi qui vivunt expensis domini, suntque necessarii ejus servitio tempore quo missa celebratur, nec non et minister missae inserviens, etsi servitio domini non sit addictus, modo non adsit inter privilegiatos qui possit et velit missae inservire. — Attamen etiam pro his omnibus excipiuntur festa solemniora, nisi oratorii privilegium concessum sit causa infirmitatis [3].

An vero qui privilegium oratorii privati habet, teneatur uti tali privilegio si ecclesiam publicam non possit adire, Th. teneri affirmant si commode sacerdotem habere potest; non vi privilegii, sed vi praecepti, quod omnes obligat ad missam audiendam nisi gravi incommodo excusentur [4].

665. — *Q.* Missa est ne integre audienda?

R. Missa est integre audienda et peccat qui missam non audit integram, et quidem mortaliter si omittat partem notabilem, venialiter si parvam; et omittens certe tenetur, si potest, partem omissam supplere si notabilis sit, et probabilius etiam si parva tantum.

666. — *Q.* Quaenam omissio censetur gravis in auditione missae?

R. Quaenam omissio censeatur *gravis* in auditione missae non facile determinari potest. Quamvis enim juxta omnes tertia pars missae sit notabilis, non tamen constat quae sit tertia pars, cum pars notabilis non solum a mensura materiali temporis, sed etiam a dignitate partium dijudicari debeat. Haec tamen juxta sententiam communem statui posse videntur: — 1° Grave est omitte-

[1] S. Alph., L. III, 312.
[2] S. Alph., L. VI, 357.
[3] S. Alph., L. III, 318.
[4] S. Alph., L. III, 319.

re omnia a principio usque ad offertorium *inclusive*. Item grave est omittere omnia ante evangelium et simul omnia post communionem. Item grave est omittere Canonem a consecratione usque ad *Pater* exclusive, quia diuturnitate et dignitate est pars notabilis. — 2° E contra levis reputatur omissio *Offertorii*, vel *Symboli*, vel *Praefationis*, etiamsi decantentur, quia haec ad essentiam missae non pertinent. Item levis judicatur omissio missae a principio usque ad evangelium exclusive ; vel omittere omnia ante epistolam et omnia post communionem. — 3° An vero sit grave omittere omnia usque ad evangelium inclusive, sententia quam tenet S. Alph. affirmat; plures tamen negant esse grave; imo nec grave tenent si omittantur omnia usque ad *Credo* inclusive, quia missa, juxta S. Isidorum, ab offertorio olim incipiebat [1]. — Demum an grave sit omittere communionem vel consecrationem, disput. Th. Sententia probabilior cum S. Alph. affirmat tum de Communione tum de Consecratione, etiamsi una tantum Consecratio omitteretur, quia est pars dignissima in qua saltem praecipue ratio sacrificii consistit. Alii tamen non improbabiliter a gravi excusant [2] si omittatur sola Communio vel sola Consecratio, etiamsi utraque consecratio omitteretur, cum satis non constet utrum essentia sacrificii sit vere in sumptione an in consecratione.

Qui autem veniret *ante consecrationem* nec posset aliam missam audire, an teneatur saltem illam partem audire, licet aliqui negent, cum communi tamen omnino affirmandum erit, quia remanent ea in quibus sacrificium consistit. Si vero *post consecrationem* veniret, disput. Th. an teneatur reliqua audire. Sententia affirmativa est valde probabilis et *in praxi* suadenda, quia sic ille astare potest parti notabili caeremoniae ab Ecclesia praeceptae [3].

667. — *Q.* Satisfacit ne qui dum missam audit, confitetur ?

R. Disputant Theol. : communiter negant ; multi tamen affirmant dicentes quod per confessionem honoratur Deus [4]. Ceterum absque dubio satisfacere dicendus est famulus cui nullum aliud tempus superest ad confitendum, nam

[1] Apte Suarez (*De Euch.*, disput. 88, sect. 2) distinguit duplicem veluti missam, alteram cathecumenorum a principio usque ad Offertorium, alteram fidelium. Unde Cl. Ballerini ait : probabilis sententia est non esse gravem omissionem missae cathecumenorum, scilicet praecedentis offertorium. *Opus Mor.* II, Tr. VI, sect. III, 106.

[2] Quod attinet ad judicium utrum graviter an leviter poenitens istis omissionibus peccaverit, vix ullius usus haec quaestio est Fere enim hae omissiones fortuito et involuntarie, aut ex quadam negligentia contingunt. In diiudicanda autem gravitate peccati negligentiae, quod est peccatum in causa (ut apposite in hanc rem advertit Suarez, *De Euch.* disput. 88, sect. 2), potiusquam effectus reapse sequutus, considerari oportet utrum effectus fuerit praevisus an non. Quaestio igitur ad hoc tantum fere deservit, ut definiatur quandonam quis ad aliam missam iterum audiendam vi praecepti teneatur si alterius partem omisit; an omissa (sive culpabiliter sive inculpabiliter) quapiam parte, teneatur quis vi praecepti assistere parti quae superest et cui unice potest interesse. — *Ballerini ad Gury*, I, 342, (*a*).

[3] S. Alph., L. III, 310.

[4] Sententia communior est missam audire sacerdotem confessiones audientem; et plurium sententia est audire qui sacramentaliter confitetur.—*D'Annibale*, III, 124 (28).

pro eo Ecclesiae conniventia praesumitur; et aliunde praeceptum Ecclesiae missam audiendi non obligat cum gravi incommodo; nullum autem majus incommodum quam in peccato mortali remanere [1].

668. — *Q.* Satisfacit ne qui duas dimidias partes missae duorum celebrantium audit?

R. — 1. Certe non satisfacit si *eodem tempore* audit, et contraria propositio damnata fuit ab Innocentio XI.

2. Si vero audit duas dimidias partes *successive*, etiam inverso ordine, imo cum aliqua interpositione temporis, nimirum horae sed assistit tum consecrationi tum sumptioni ejusdem sacerdotis, probabilius satisfacit, quia tunc assisteret uni integro sacrificio.

3. Si autem duas dimidias missas successive audit, sed consecratio et communio non pertinent ad eamdem dimidiam missam, uti esset si quis missam audit ab uno sacerdote usque ad consecrationem *inclusive*, reliqua vero ab alio, probabilius non satisfacit; quia hae duae partes, nempe consecratio ab uno sacerdote et sumptio ab alio, nequeunt constituere unum integrum sacrificium [2].

Art. II.

De causis a Missa audienda excusantibus.

669. — *Q.* Quaenam causae a missa audienda excusant?

R. Tres causae a missa audienda excusant: — 1ª *Impotentia* sive physica sive moralis, nempe quando exinde obveniret grave damnum vel spirituale vel temporale. 2ª *Consuetudo*, quae rationabilis esse debet, et legitime approbata. 3ª *Pietas* seu *caritas* in proximum; praeceptum enim caritatis excellentius est, et praevalet.

Hinc a missa excusantur:

1. Ratione *impotentiae*: 1° Infirmi et convalescentes, qui e domo egrediendo grave nocumentum timent, aut dolorem, aut valetudinis procrastinationem. In dubio vero an incommodum sit leve vel sufficienter grave, et consilium medici vel superioris haberi nequit, multi dicunt absolute excusari, quia lex Ecclesiae non obligat cum prudenti periculo gravis incommodi. — 2° Excusantur in carcere detenti, vel ligati excommunicatione aut interdicto, quibus prohibetur sacris interesse; sed probabilius non excusantur si de facili sine gravi incommodo possent libertatem vel absolutionem obtinere, et ipsi ideo obtinere non curant ne praecepto satisfaciant. — 3° Excusantur qui, custodiunt castra, urbem, gregem, domum, infantes vel pueros, quos domi relinquere nequeunt sine periculo, nec secum ducere sine aliorum perturbatione. Debent nihilominus hujusmodi servi aliquo modo procurare, si possunt, ut adsint sacro, v. g. citius foras egrediendo, auferendo aliquid a somno etc.; non tenentur tamen cum notabili diminutione somni. Sic excusantur si, ut missam audiant, gravis indignatio dominorum illis timenda esset vel dimissio a famulatu, et ipsi facile et statim alium dominum invenire non possint. Idem dicendum de filiis si a parentibus, et de uxoribus si a maritis timeatur gravis indignatio [3].

[1] S. Alph., Hom. Ap. T. VI, 31.
[2] S. Alph., L. III, 311; Hom. Ap T. VI, 34.
[3] S. Alph., L. III, 296.

— Attamen sedulo attendendum est utrum haec gravis et injusta dominorum vel parentum indignatio habeatur una vel altera vice tantum, an frequenter et fere semper. In primo casu famuli et filii excusantur a praecepto Ecclesiae. In altero casu, si indignatio tota se sistit in verbis contumeliosis vel etiam blasphemiis, non excusantur, quia tunc indignatio parentis esset scandalum omnino pharisaicum, ad quod vitandum omittenda non sunt opera bona, secus impiis daretur occasio mala agendi, quod esset in damnum boni publici, ut dictum est n. 459. — 5° Excusantur navigantes et itinerantes si absque gravi incommodo iter non possunt interrumpere. Sic excusat notabilis distantia ab ecclesia; at non conveniunt Th. in determinanda hac notabili distantia. Communiter dicunt quod distantia trium milliariorum (idest iter pedestre unius horae cum quadrante, seu 5 quadrantium) per se omnes excusat. Ceterum notabilis distantia commensuranda est ex difficultate itineris, vel qualitate et debilitate personae, maxime si adesset molestia nivis, imbris, etc. [1]. — 6° Excusantur mulieres quae non habent vestes statui suo convenientes; item excusatur puella inhoneste praegnans; sed istae tenentur, si possint, aut valde mane sacro adesse, aut in aliam ecclesiam pergere ubi non est populi frequentia.

2. Ratione *consuetudinis locorum* excusat usus domo non egrediendi per sex hebdomadas post partum, vel per mensem tempore luctus ob mortem proximi parentis. Sed illae personae quae jam domo exeunt ob alias causas, non excusantur ab auditione Sacri. Nulla autem ratione potest licita reputari illa consuetudo (ut melius dicam, abusus) qua puellae, ne in publicum exeant, ab auditione Sacri se abstinent [2].

Alii excusant etiam puellam si una tantum missa celebretur in qua proclamationes nuptiarum ejus faciendae sunt; sed hoc non potest admitti nisi iis in locis ubi talis esset usus, aut puella magno rubore suffundenda esset, quod quidem raro accidit.

3. Ratione *pietatis* seu *caritatis* excusatur qui infirmo inservit, quando ejus adsistentia est necessaria, et etiam quando ab alio suppleri quidem posset, sed infirmus putaret illius adsistentiam esse sibi necessariam, et alias gravem pateretur tristitiam. Item etiam potest excusari qui omitteret Sacrum ut impediret grave damnum vel aliquod grave peccatum, v. g. blasphemias, rixas, furta, etc., aut ut confiteatur, si secus esset permansurus in peccato mortali.

[1] S. Alph., L. III, 329.

[2] S. Alph., Hom. Ap. T. VI, 42.

Nonnulla monita pro praxi.

Confessarius mente firmiter retineat: 1. Aliud esse praeceptum festa sanctificandi, aliud finem hujus praecepti; ideoque diligenter evitet sive rigorismum exigendo nempe quod de praecepto non est, sive laxismum, negligendo finem et spiritum hujus praecepti.

2. De praecepto haec duo sunt: 1° abstinentia ab operibus servilibus; 2° auditio missae. Attamen fidelis qui diebus festis haec duo tantum adimpleret, quin unquam vel fere unquam verbum Dei, nempe Evangelii explicationem vel catechesim seu instructionem de rebus

fidei audiret, neque ullis aliis pietatis operibus vacaret, omnes obligationes a religione impositas sufficienter non adimpleret. Quare confessarius suos poenitentes admoneat et adhortetur ut non solum quae de rigoroso praecepto sunt adimpleant, sed etiam quibusdam pietatis officiis diebus festis vacent, praesertim vero verbum Dei audiant.

3. Poenitens qui necessaria instructione caret, licet verbum Dei et instructionem religiosam audire non teneatur ex speciali Ecclesiae praecepto, audire tamen tenetur ex generali praecepto naturali et divino, quod praecipit ut quisque veritates fidei scitu necessarias recte ediscat.

4. Praeterea confessarius suos poenitentes etiam in rebus fidei satis instructos semper adhortetur ut verbum Dei diebus festis frequenter audiant: nam licet per se illud audire non teneantur, per accidens tamen teneri possunt, vel ad vitanda pericula peccati, v. g. ne tempus in tabernis et ludis male terant; vel ad vitandum scandalum, quod facile filiis et aliis praeberent verbum Dei saepe et quasi regulariter desereando; vel ad se in vita christiana firmandos, verbum enim Dei non solum illuminat, sed praesertim efficaciter movet ad vitia effugienda, et virtutes christianas insectandas, juxta illud Christi: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.*

5. Si aliquem poenitentem noverit aliquando ad ecclesiam diebus festis se conferre non posse, ipsum adhortetur ut saltem domi, vel ruri, vel in itinere diem festum meliori quo potest modo sanctificet oratione, lectione spirituali, recitatione SS. Rosarii, etc., praesertim tempore quo in ecclesia sacrae functiones peraguntur.

6. Demum confessarius sedulo animadvertat quod, licet diebus festis ratione boni publici permittantur quaedam officia quae fidelem illis diebus omnino ab ecclesia arcent, iis tamen *interdum* tantum fidelis incumbere potest, non vero *regulariter et fere semper*, quia in hoc casu faciliter sensim sine sensu omnia officia religionis negligeret, neque amplius suae aeternae salutis prospiceret, quod esset contra ipsum praeceptum naturale et divinum.

DE QUARTO DECALOGI PRAECEPTO

Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram (Exod. XX, 12).

Hoc praeceptum *directe* et *primario* respicit officia filiorum in parentes : at quum mutua sint officia subditorum et superiorum , quia non datur officium sine jure , eodem praecepto *indirecte* praescribuntur etiam officia parentum erga filios. Insuper hoc praeceptum *implicite* et *secundario* respicit quoque mutua officia aliorum subditorum et superiorum inter se ; nam ceteri omnes superiores, sive spirituales sive civiles, quisque in ordine suo, paternae auctoritatis quodammodo participant.

Haec igitur dissertatio in tria capita dividitur : 1. *de filiorum officiis erga parentes* ; 2. *horum erga filios* ; 3. *de obligationibus aliorum superiorum et inferiorum.*

CAPUT I.

De filiorum officiis in parentes.

670. — *Q.* Quaenam officia filiorum in parentes ?

R. Quum parentes juxta S. Thom. sint *secundaria nostri esse et gubernationis principia* [1], filii erga parentes plura habent officia quae veniunt sub nomine *pietatis.*

Per se debent eis id quod decet patrem in quantum pater est, nempe *amorem, reverentiam* et *obedientiam* [2].

Per accidens vero debent patri quod decet eum accipere secundum aliquid quod ei accidit, scilicet *subventionem* ; puta si sit infirmus, quod visitetur et ejus curationi intendatur ; si sit pauper, quod sustentetur, etc. [3].

Quatuor ergo sunt officia filiorum in parentes, nempe : amor, reverentia, obedientia et subventio.

I. *Amor.* Filii tenentur parentes suos, sive bonos sive malos,

[1] S. Th., 2a 2ae, q. CI, a. 1.

[2] Amor, reverentia et obedientia, quae parentibus debentur a filiis, pertinent ad virtutem *pietatis* : haec autem sensu stricto definitur : *Virtus qua parentibus debitus cultus impenditur*; et haec pietas erga parentes differt a pietate erga Deum , quae consistit in studio interioris devotionis, et ad virtutem religionis pertinet. S. Th. 2a 2ae, q. CI. a. 1 et 3 ; q. CII, a. 2.

[3] S. Th., 2a 2ae, q. CI, a. 2.

amare tum amore *interno*, eos pio et benevolo affectu prosequendo, tum *externo*, illis exhibendo signa benevolentiae.

Contra amorem graviter peccat filius qui signa odii parentibus ostendit, et eos aspere tractat; qui torvo oculo fere semper eos intuetur, et ita aspere eos alloquitur ac si odio haberet; qui grave malum, v. g. mortem, illis exoptat [1].

2. *Reverentia.* Filii debent parentibus reverentiam tum *interiorem*, eos interne agnoscendo uti superiores, tum *exteriorem*, debita reverentiae signa ipsis exhibendo.

Contra reverentiam peccat graviter filius si parentes percutiat, et percussio etsi levis graviter eos offendit; si manum ad percutiendum deliberate attollat; si in contumelias erga ipsos erumpat; si parentes pauperes despiciat, vel nolit agnoscere, vel salutare aut resalutare recuset; si eorum monita et verba ex corde irridet; si animo deliberato eos ad gravem iram provocet verbis contumeliosis, v. g. eos appellando *fatuos*, *stupidos* etc., vel aliis verbis quibus sciat graviter offendendos, etc. [2]. — *In praxi* vero ad judicandum utrum aliqua contumelia in parentes sit mortalis an venialis, familiae conditio et educatio consideranda est; quaedam enim verba quae, si de personis nobilibus et bene educatis ageretur, gravem irreverentiam praeseferrent, vix aliquam irreverentiam important si de rusticis et plebeis agatur. [3].

3. *Obedientia.* Filii parentibus obedire tenentur in omnibus quae spectant ad gubernationem domus et ad bonos mores. Unde dum amor et reverentia semper debita manent, obedientia urgere cessat quando desinit patria potestas [4]. Attamen filius etiam aetate major in paterna domo commorans obedire tenetur patrifamilias, quatenus talis obedientia necessaria est ad rectum ordinem societatis domesticae.

Contra obedientiam peccat filius si domum paternam sine causa contra parentum prohibitionem deserat; si vendat aut donet de rebus domesticis contra eorum voluntatem; si nolit ecclesiam adire, preces recitare, Sacramenta frequentare, concionem audire; si nolit dare operam litteris, vel arti suo statui convenienti; si nolit fugere popinas, pravos socios, libros, ludos etc. Et peccat graviter peccato speciali in confessione explicando si materia sit gravis et parens praecepto expresso et serio id mandaverit, secus si tantum monuerit; vel quando materia est quidem levis, sed inobedientia filii est adeo continua, ut parentes nihil aut fere nihil ab ipso obtinere possint. — Quod si filius aperte obedire recuset, vel si coram parentibus praeceptum violet, vel in contumelias erga ipsos erumpat, tunc inobedientia etiam aliam malitiae speciem continet, nempe odii, irreverentiae, etc., quae omnia in confessione filiorum confessarius advertere debet. — *In praxi* vero

[1] S. Alph., L. III, 333.
[2] S. Alph., L. III, 334.
[3] *Berardi*, 172.
[4] Potestas parentum in filios, in iis quae pertinent ad salutem animae sempiternum; in his quae ad electionem status pubertate; in his quae ad disciplinam vitae et curam domesticam emancipatione, si quid opinor, finitur. *D' Annibale*, I, 53.

non raro a peccato gravi filii excusantur ob levitatem animi, vel propter inadvertentiam et indeliberationem actus.

4. *Subventio.* Filii parentibus debent subventionem, tum in spiritualibus tum in temporalibus.

Contra subventionem in spiritualibus peccat graviter filius qui non curat ut parentes in articulo mortis Sacramenta suscipiant, vel negligit debitas preces et Sacrificia pro ipsis defunctis offerre, vel eorum exequias secundum suam facultatem curare. In temporalibus vero graviter peccat qui parentibus indigentibus non suppeditat necessaria ad vitam honeste et secundum suum statum ducendam.

Haec obligatio parentibus subveniendi inter filios solidarie viget. Hinc quisque filiorum tenetur eos alere totaliter, servato tamen jure repetendi a ceteris fratribus et sororibus partem quam unusquisque adaequate suppeditare debet. Gener et nurus quoque socrum alere tenentur. Et etiam frater fratri vel sorori in necessitate extrema vel gravi subvenire tenetur, tum lege caritatis tum pietatis ; non tamen adest eadem obligatio quae inter parentes et filios, cum non sit eadem dependentia.

671. *Q.* Filius debet ne parentibus obedire quoad electionem status ?

R. Filius quoad *electionem status*, sive de matrimonio contrahendo sive de virginitate servanda, per se liber est ; nam in iis quae ad naturam pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo, quia omnes homines natura sunt pares [1].

[1] S. Th., 2a 2ae, q. CIV, a. 5.

Quod si filius *statum matrimonii* elegerit, tunc, generatim loquendo, tenetur sub gravi parentum consensum habere ad matrimonium contrahendum ; - ratio, quia honor et reverentia ipsis debita vult ut filius rem tanti momenti non peragat sine parentum consilio, et eo minus contra eorum voluntatem. Dixi : *generatim loquendo*, nam duo excipiuntur casus : 1° quando parentes sunt irrationabiliter inviti ; 2° quando matrimonium honestum et utile differri nequit, nec commode haberi potest consensus parentum.

Si vero *vocationem religiosam* elegerit, etsi liber omnino sit, curandum tamen est ut cum consensu parentum e domo discedat. Quod si parentes consentire nolint, filius nullomodo peccat, imo laudabiliter se gerit si religionem, ipsis inconsultis et inconsciis, ingrediatur. Sed si filius nondum emancipatus sit, et parentes sunt omnino inviti, tunc caute procedendum est, quia aliquando lex civilis parentibus favet, ut ipsum e monasterio etiam vi extrahere possint [2].

672. — *Q.* Filius ad subveniendum parentibus tenetur ne 1° religionem non ingredi ; 2° vel ab ipsa egredi ?

R. Ad 1um : Th. dicunt : Si probabile est quod filius manendo in saeculo subeat periculum salutis aeternae, nullomodo tenetur a religione abstinere, quaecumque sit necessitas parentum. Secluso tali periculo, abstinere debet si parentum necessitas sit extrema vel gravis, non vero si communis ; - ratio, quia praeceptum praevalet consilio : et hoc licet necessitas sit tantum pro-

[2] S. Alph., L. III, 334, 335.

babiliter futura, et filius vovisset religionem, praevisa necne indigentia; votum enim in tali casu remanet suspensum. Unde a religione abstinere debet si hae tres concurrant conditiones: 1ª ut abstinere possit sine periculo suae salutis aeternae; 2ª ut desint alii qui velint et possint parentibus succurrere; 3ª ut ingressus in religionem impedimentum sit eorum subventioni.

Ad 2um: Filius a religione, professione emissa, egredi tantum debet si parentum necessitas sit extrema, petita prius, licet non obtenta, venia. Si autem sit gravis tantum, non tenetur quidem, potest tamen egredi, si praelatus permittat; et in casu egressus tenetur, in quantum suo intentui non obstat, habitum deferre et substantialia religionis observare. Sed postquam parentibus subvenit redire tenetur [1].

673. — *Q.* Quaenam observanda sunt quoad officia filiorum?

R. Haec observanda sunt: 1° Ad mensurandam gravitatem odii, irreverentiae, etc., non sufficit actum secundum se considerare, vel ex agentis intentione, sed expendendi sunt etiam effectus contristationis et afflictionis in parentibus secuti, si fuerint aliqualiter praevisi. — 2° Videndum an afflictio et indignatio parentum rationabilis sit, neque enim ex mera eorum melancholia et apprehensione culpa filiorum metienda est. — 3° Quando quod agit filius contra parentes esset peccatum grave, si idem ageret contra alios, tunc duplex peccatum committit; unum contra justitiam vel contra caritatem, alterum contra pietatem [2].

Nota: Quod dictum fuit de filiis, idem dicendum de omnibus inferioribus erga proprios superiores, sive spirituales sive temporales, servata debita proportione auctoritatis, consanguinitatis, etc [3].

[1] S. Alph., L. III, 335.

[2] In dioecesi Taurinensi quoad filios duae sunt culpae reservatae 2ae classis: *percussio parentum*; *et denegatio alimentorum*. Parentum nomine veniunt tantum pater et mater etiam naturalis; et nomine alimentorum veniunt alimenta parentibus debita titulo pietatis, non vero quovis alio titulo legali, contractus etc.

[3] **Monita circa electionem status.**

1. Confessarius caveat ne sit praeceps, sed tardiusculus potius sit in judicio ferendo utrum poenitens ad hunc an ad illum statum vocatus sit; sed prius ejus indolem, inclinationes, vires et alias hujusmodi qualitates attente perpendat, ut recte judicare possit utrum status ille, cui poenitens se proclivem dicit, ipsi conveniens sit nec ne. Et eo minus, ait S. Alph. (Praxis, 92), confessarius audeat statum poenitenti determinare, sed tantum ex indiciis curet suadere statum illum ad quem prudenter judicare potest ipsum a Deo vocari.

2. Nec attendat quinam status in se perfectior sit, alioquin omnes se religiosos reddere deberent, cum talis status ceteros praecellat; quod nemo asserere audet: attendat vero quinam sit status ad quem Deus poenitentem advocat, qui (status) proinde certe ei melior erit. — Quod si poenitens in aliquam religionem ingredi cupiat, ait S. Alphonsus, confessarius ante omnia bene ponderet an observantia in illa religione floreat; nam si illud Institutum sit relaxatum melius erit ei (ordinarie loquendo) quod in saeculo remaneat; quia in tali Instituto ipse se geret aliorum more, et parum quid boni, quod prius exequebatur, facile in tali religione negliget, ut misere pluribus accidit.

3. Duplici modo Deus ad aliquem statum vocat: modo scilicet *extraordi-*

CAPUT II.

De parentum in filios officiis.

674. — *Q.* Quaenam obligationes parentum in filios?

R. Obligationes parentum in filios, etiam illegitimos, duplicis generis sunt, aliae quoad corpus, aliae quoad animam.

1. *Quoad corpus*: 1° Parentes curare debent ut filii sani et bene valentes nascantur. Unde pater curare debet ne uxorem praegnantem affligat, vel percutiat, vel labores graviores ei imponat, et similia, quia haec omnia causa abortus esse possunt. Mater quoque abstinere se debet a laboriosis operibus, a saltationibus, ab immoderato vel noxio cibo et potu, et a similibus quae foetui grave detrimentum possunt afferre. — 2° Mater natam prolem proprio lacte nutrire debet, at hoc probabiliter solum sub levi; quod si justa causa impediatur, tunc sub gravi bonam nutricem quaerere debet. — 3° Parentes tenentur jure naturali proli ministrare alimenta, nempe ea omnia quae necessaria sunt ad honestam et congruam sustentationem filiorum, scilicet victum, habitationem, vestes, et expensas ad discendam artem proprio statui congruentem. Quare graviter peccant parentes qui sine gravissima causa, ne prolem alant, ipsam locis piis exponunt, a quo ipsa natura refugit; vel filios cogunt ad mendicandum, vel ad exercendam artem sibi non convenientem; vel non adhibent diligentiam, saltem mediocrem, ut acquirant bona quibus filii alantur, vel bona acquisita dilapidant.

2. *Quoad animam:* Parentes tenentur sedulam habere curam animae suorum filiorum, ideoque tenentur: — 1° curare ut filii quam primum per baptismum regene-

nario, ut v. g. cum Paulus ad apostolatum vocavit, qui modus quum sit praeter consuetum ordinem divinae Providentiae nec desiderari nec quaeri oportet; et modo *ordinario*, nempe per suas divinas inspirationes, per diuturnam suavemque inclinationem animi ad illum statum, per necessarias et congruentes dispositiones ad officia ejusdem status, nec non per consilium et approbationem Superiorum, parentum, Parochi. Confessarii, etc. Verum ad hanc ordinariam divinam vocationem recte cognoscendam tria requiruntur: oratio, tempus, consilium.

4. In electione status maxime interest ut poenitens statum non eligat, in quo prudenter cognoscit se non posse mortalia evitare, et pie sancteque vivere sine speciali et fere extraordinaria gratia Dei, scriptum est enim: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Sic v. g. qui turpi vitio laborat, temere diceret; *Si religionem ingrediar, a tali turpi vitio me liberabo;* dum e contra dicere deberet: *si religionem ingredi cupio, prius a tali vitio oportet me emendare et postea, vocante Deo, ingrediar.*

5. Confessarius attente et prudenter invigilet, ne poenitens in electione status potius vocem parentum quam vocem Dei audiat; sunt enim quidam parentes qui vellent vocationem propriis filiis determinare, minime prae oculis habentes gloriam Dei aut spiritualem filiorum salutem, sed propriam tantum temporalem utilitatem. In hisce casibus confessarius poenitentem admoneat in electione status non temporalem familiae utilitatem, sed voluntatem Dei et aeternam animae salutem inspiciendam esse.

6. Demum, cognita a poenitente divina vocatione ad aliquem statum, confessarius ipsum in suo proposito firmum et constantem servet, nec ullis tentationibus aut humanis rationibus illum dimoveri permittat, eumque adhortetur ut omnem suam spem in Deo reponat, quia Deus dum aliquem vocat ad certum statum, etiam omnia auxilia abunde ei tribuit, ut omnia ejusdem status officia recte adimplere possit.

rentur; — 2° eos edocere de rebus fidei, et satagere ut pericula peccati evitent, uti pravos socios, libros, etc., et gravissime peccarent si filios ad malum opificium vel mitterent, ut artem vel litteras discant; — 3° ipsos corrigere, sed debito modo, ne eos ad iracundiam provocent; — 4° ipsis bonum exemplum praebere; — 5° tandem ipsos dirigere et adjuvare in electione status; — 6° quoad scholas Codex iuris canonici haec habet. In qualibet elementaria schola, pueris pro eorum aetate tradenda est institutio religiosa.— Iuventus, quae medias vel superiores scholas frequentat, pleniore religionis doctrina excolatur, et locorum Ordinarii curant ut id fiat per sacerdotes zelo et doctrina praestantes. — Pueri catholici scholas acatholicas, neutras, mixtas, quae nempe etiam acatholicis patent, ne frequentent. Solius autem Ordinarii loci est decernere, ad normam instructionum Sedis Apostolicae, in quibus rerum adiunctis et quibus adhibitis cautelis, ut periculum perversionis vitetur, tolerari possit ut eae scholae celebrentur. **Can.** 1373, 1374.

675. — *Q.* Parentes possunt ne filios ad religionem compellere, vel ab ipsa avertere?

R. Parentes graviter peccant si filios invitos ad religionem compellant, vel sine justa causa ab ipsa avertant. V. pag. 168. C. 2352. Codex vero juris canonici *excommunicationi latae sententiae, sed nemini reservatae,* subjicit omnes et singulas personas, cujuscumque qualitatis et conditionis fuerint, episcopi, reges, excepti cardinales, si quomodocumque coëgerint vi, vel minis, vel metu etiam reverentiali virum ad amplectendum statum clericalem quod verificatur in susceptione primae tonsurae, vel coëgerint virum aut feminam ad religionem votorum sive solemnium, sive simplicium, sive temporalium vel ingrediendam vel ad professionem emittendam. **Can.** 2352.

Ad hanc tamen excommunicationem incurrendam duo requiruntur: metus gravis, et effectus secutus; unde poena non incurritur nisi quando delictum completum fuit, effectus secutus.

676. — *Q.* Quaenam obligationes tutorum erga minores?

R. Tutores tenentur in conscientia et vi quasi-contractus curam gerere pupilli seu minoris; ejus personam tueri; bonis moribus eum imbuere; christiane educare vel per se, vel per alios; corrigere si oportet; operam dare ut artem sibi convenientem discat; ejus bona temporalia, inventario prius confecto, juxta dispositionem legum civilium fideliter administrare, etc.; nam cum tutor vices parentum gerat, easdem fere suscipit obligationes.

CAPUT III.

De obligationibus aliorum superiorum et inferiorum.

ART. I.

De obligationibus conjugum inter se.

677. — *Q.* Quaenam sunt generales obligationes conjugum inter se?

R. Conjuges debent:

1. Mutuo amore se invicem prosequi; ait enim Apostolus: *Viri di-*

ligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea [1]. Et etiam uxores hortatur *ut viros suos ament* [2]. — Hinc peccant si rixas, jurgia et odia in se invicem excitent aut foveant; vel si conviciis et maledictionibus se invicem afficiant.

2. Cohabitare in eadem domo, et uti eadem mensa ac toro. — Hinc neuter potest discedere, altero invito, ad longum tempus, nisi adsit justa causa, nempe ad bonum publicum, vel ad alendam aut tuendam familiam, vel ad damna inimicorum praecavenda. Unde si vir debet diu alibi manere, tenetur, si commode possit, et uxorem adducere ut secum cohabitet.

3. Fidem conjugalem servare, et mutuo conjugale debitum reddere.

4. Sibi mutuo alimenta praebere, si alteruter egeat [3].

678. — *Q.* Quaenam speciales obligationes mariti et uxoris?

R. Maritus, ut caput, specialiter tenetur ad gubernationem domus, et uxoris suae animam, corpus et mores curare. Hinc peccat si uxori permittat ut legem Dei transgrediatur; vel si eam impediat ab observantia mandatorum Dei et Ecclesiae, aliisque ad salutem necessariis.

Uxor vero specialiter curare debet ut viro ex corde obediat in iis quae ad domus et familiae administrationem pertinent; ut ei ex animo placeat, ideoque sit patiens, mansueta, et omnem garrulitatem, procacitatem atque suspicionem circa fidem conjugalem sedulo avertat; ut ei indigenti de suo provideat; hoc enim ad obligationem conjugalis amoris pertinet [4].

De debito autem conjugali, cohabitatione et separatione in Tractatu *De Matrimonio* dicetur.

679. — *Q.* Uxor tenetur ne sequi virum quoad habitationem?

R. Uxor regulariter tenetur sequi virum mutantem domicilium, etiamsi sine justa causa mutet, modo causa non sit turpis. Et hoc etiamsi alicubi adsit contraria consuetudo, quae non potest derogare juri divino, quod virum caput mulieris constituit [5]. — Item etiamsi vir longe discedat, et ibi per longum tempus sit moraturus, secus vero si inde brevi reversurus sit.

Dixi *regulariter*, quia non teneretur in tribus casibus: 1° si ex sequela timeatur grave onus, vel periculum, v. g. vitae, pudicitiae, aut salutis, vel si uxor a viro peregre non alatur; 2° si vir post matrimonium factus sit vagus, nec facile sit eum sequi, secus tamen si ante fuit vagus, idque uxor scivit; 3° si in contractu matrimonii additum fuit pactum de non mutando domicilio, et nulla gravis necessitas urgeat [6].

---

[1] Ephes., V. 25.
[2] Tit. II, 4.
[3] S. Alph., L. VI, 938, 939.
[4] Confessarius non statim credat conjugi contra conjugem conquerenti, praesertim si uxor in maritum invehat; quia mulieres ordinarie sunt procaces. Quare melius est, re dissimulata, ipsis commendare orationem, patientiam, mansuetudinem et majorem sollecitudinem pro viro; sicque pluribus medetur malis. Taceat uxor dum maritus est iratus vel ebrius: si monitio profutura videatur, id agat dum maritus est bene affectus. Leniter autem agat semper: quod si non juvat et agatur de rei gravi, curet ut per parochum vel alium virum prudentem maritus admoneatur. *Gury*, I, 381, 4°.
[5] Ephes., V, 23.
[6] S. Alph., L. VI, 977.

ART. II.

De obligationibus principum et subditorum.

680. — *Q.* Quaenam obligationes principum, legislatorum, etc.?

R. Praecipuae obligationes principum, legislatorum, magistratuum etc. sunt: — 1° ut bonum exemplum subditis praebeant; — 2° ut publicae felicitati mediis justis et opportunis prospiciant; — 3° ut indignos a publicis officiis excludant; — 4° ut subditos ab hostibus et ab injustis vexationibus tueantur; 5° ut Christi Ecclesiae patrocinio suo adsint; potestas enim a Deo principibus collata fuit non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium; — 6° ut ministros et consiliarios scientia et pietate praeditos sibi eligant.

Peccant igitur principes et legislatores si leges ferant religioni et Ecclesiae juribus adversas; si publicationem librorum impiorum, immoralium et obscoenorum permittant, etc.—Item peccant magistratus et quidem graviter si in materia gravi propriis muneribus deficiant; si reipublicae leges adimpleri vel aequis politiae mandatis satisfieri non curent; si necessariam animi fortitudinem non adhibeant ad praecavendos aut corrigendos abusus, injustitias, etc.

681. — *Q.* Quaenam obligationes subditorum?

R. Praecipuae obligationes subditorum erga principes et legislatores sunt:—1° illos honorare;— 2° ipsis fidelitatem servare;—3° justas leges observare; — 4° justa tributa solvere;—5° probos viros eligere quoad munia publica, quando electio ad subditos electores spectat [1].

ART. III.

De obligationibus dominorum et famulorum.

682. — *Q.* Quaenam obligationes dominorum?

R. Quoad famulos domesticos, seu qui domi recipiuntur ut familiae inserviant, *domini* tenentur: 1° hos famulos interno et externo amore diligere, ideoque eos benigne tractare, juxta illud: *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic tracta eum* [2]; — 2° illos religionem docere;—3° corrigere si opus sit; ait enim Apostolus: *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* [3]; — 4° illos justo pretio nunquam fraudare, dictum est enim: *Dignus est operarius mercede sua* [4]. — Quae dominorum

[1] Electoribus, in legitimo gubernio, seclusa speciali prohibitione, grave munus incumbit eligendi Deputatos probos sive communales sint, sive provinciales, sive politici. — Unde, praeclusis aliis circumstantiis, non solum peccant cooperatores *positivi*, qui scilicet suffragium malis hominibus dant, sed etiam cooperatores *negativi*, qui non concurrendo in causa sunt, cur mali eligantur; nam unusquisque tenetur malum a republica avertere, *si qua spes* avertendi affulgeat. Nullus autem ignorat, quot et quanta mala ab improbis Deputatis, maxime ab illis, qui sectae massonicae sunt adscripti, in societatem tum religiosam tum civilem ingerantur. Dixi: *in legitimo gubernio;* nam in gubernio italico, quoad electiones politicas, ex S. Poenitentiaria, ad illas concurrere *non expedit:* quod, ex Leone XIII, *prohibitionem* importat. *Scavini*, I, 676; *Marc*, 2287.

[2] Eccli., XXXIII, 31.

[3] I Tim., V, 8.

[4] I Tim., V, 18.

obligationes hoc versiculo continentur :

Instrue, corrige, ama, mercedem pandito servis.

Peccant igitur domini in sequentibus casibus : 1° Si absque justa causa impediant famulos quominus diebus festis missam audiant, aut opera servilia eis imponant; vel si illis jubeant quae sine peccato fieri non possunt. — 2° Si peccandi occasionem permittant, cum possint illam impedire; aut si graviter delinquentes non corrigant; vel negligentes necessaria ad salutem non moneant, nec corripiant.—3° Si eos gravibus injuriis afficiant. – 4° Si alimenta convenientia non praebeant, mercedem justam, dummodo fideliter servierint, non solvant vel solvere differant sine rationabili causa.—5° Si eos sine justa causa ante tempus conventum ejiciant; et tunc tenentur eis solvere non tantum salarium correspondens tempori quo inservierunt, sed etiam, saltem aliquam partem residui salarii promissi, in poenam injustitiae. Dixi *saltem aliquam partem ;* quia possent domini teneri ad integrum salarium promissum solvendum, casu quo vel ad hoc damnentur per sententiam judicis in poenam injustae expulsionis, vel famuli causa expulsionis damnum par toto salario passi fuerint. – 6° Si famulum, qui liberos aliosve domesticos verbis, exemplo, vel moribus pravis corrumpit, et reprehensione non emendatur, e domo non dimittant [1].

Quoad famulos qui in heri familia non recipiuntur, sed illi in quadam arte vel industria serviunt, vel potius cooperantur, herus tenetur erga ipsos ea omnia servare quae dicta sunt de dominis respectu famulorum domesticorum. Speciatim tenetur erga hos suos *operarios* seu *opifices* vereri in eis dignitatem personae ; non plus imponere operis quam vires ferre queant, nec id genus quod cum aetate sexuque dissideat; curare ut opifices idoneo temporis spatio religionis obligationibus vacare possint, et mercedem debitam ipsis impendere : haec autem juxta Encycl. Leonis XIII (De condit. opificum, 17 maji 1891) tanta esse debet ut convenienter vivere possint secundum suam conditionem, et proportionata labori, idque multo magis quam in venditione mercium, cum operarius non rem externam, sed aliquid sui ipsius vendat.

683. — *Q.* Quaenam obligationes famulorum ?

R. Famuli tenentur dominis praestare : 1° amorem ; 2° reverentiam ; 3° obedientiam ; 4° fidelitatem in servitio.

Hinc peccant famuli in sequentibus casibus : 1° Si dominos irrideant vel aspernentur. — 2° Si famulatui desint, aut dominis, ut debent, non obediant. — 3° Si quid auferant, dominis rationabiliter invitis. — 4° Si, quantum in ipsis est, non obstent quominus domini damnum patiantur in rebus suis, vel earumdem rerum furta non impediant, cum possint. — 5° Si ante statutum tempus sine justa causa a domino discedant [2].

An vero famulus non impediens furta rerum domini, teneatur ad restitutionem, dicetur inferius ubi *De restitutione in genere* [3].

[1] S. Alph., L. III, 342.
[2] S. Alph., L. III, 343.
[3] Quoad famulos, *in praxi*, haec quatuor animadvertere juvat :

684. — *Q.* Famulus locans operam suam ad annum, si antea culpa sua discedat, potest ne stipendium petere pro tempore quo inservivit ?

R. Si contraria adsit conventio vel si ex ejus discessu grave damnum domino eveniat, famulus nullum jus ad stipendium habet. — Hisce casibus exceptis, jus habet ad stipendium pro rata temporis quo inservivit; quia servitus exhibita meretur utique mercedem suam, quamvis non totam conventam [1].

685. — *Q.* Dominus tenetur ne totum stipendium solvere famulo conducto ad servitium annuum, si aegrotet per aliquot menses, puta per trimestre ?

R. Nisi aliter se habeat conventio, vel aliter ferat localis consuetudo, si famulus per aliquot menses aegrotet, dominus verius non tenetur totum stipendium solvere, quia de justitia non debetur salarium pro obsequio non praestito. — Imo nec tenetur ad expensas infirmitatis, nisi forte aliquando ex caritate, casu scilicet quo infirmus esset in gravi necessitate [2].

Famulus vero supplere non tenetur operam suam ob infirmitatem interruptam, quia promissio tempori determinato alligata est.

ART. IV.

De obligationibus magistrorum et discipulorum.

686. — *Q.* Quaenam obligationes magistrorum ?

R. Magistri debent discipulis amorem, exemplum, correctionem et doctrinam; nam ad instar parentum quodammodo se habent; quinimo loco ipsorum parentum constituuntur, ut eorum vice et nomine discipulos erudiant in bonis moribus ac doctrina sana et utili.

Itaque quoad obligationem amoris, exempli et correctionis eadem dicenda sunt quae superius ubi *De parentum obligationibus.*

Quoad *doctrinam* seu *scientiam*, magistri tenentur discipulos docere : 1° scientiam *sanam*, quia veritas est vita intellectus, dum error est ejus mors; et *utilem* ratione finis intenti sive a societate, si magistri officium publicum

1° Rem esse valde periculosam quod puellae rusticae majori commoditate vel vitae splendore attractae in urbes commigrent, ut ibidem ancillentur, praesertim ubi neminem habeant quem consulere possint. Quare facile est ut vel impio seductori in praedam cadant, vel nimio luxui indulgentes in omnia vitia praecipites ruant.

2° Illi famuli acriter increpandi sunt qui identidem atque occulte aliquid de cibis exquisitis surripiunt. Licet enim per se res non ita gravis videatur, attamen timendum est ne sic ad domestica furta disponantur: praeterquamquod etiam gula peccant.

3° Admonendi sunt famuli ut, dum viribus valent, etiam in futurum sibi provideant, ne tempore infirmitatis aut senectutis miserrime vitam agere cogantur. Utique nimium nos sollicitos esse dedecet, sed etiam dedecet inconsideratos esse: qui enim bona in juventute dissipat, inutiliter lugebit in senectute.

4° Curandum ut sua sorte contenti sint, neque contra Dei providentiam insurgant. Sciant terribile judicium instare iis qui praesunt; saepe magnam fortunam esse servitutem. Sciant in humili statu vitam egisse tum Mariam coeli Reginam, tum Christum Dominum dominantium. Sciant omnes homines a lios ab aliis dependere, unum Deum independentem esse. Sciant eorum statum plures sanctos numerare, etc. *Jo. Ambr. Staph.*

[1] S. Alph., L. III, 345.

[2] S. Alph., L. III, 864,

exerceant, sive a parentibus vel discipulis, si ab ipsis electi fuerint ; — 2° methodo convenienti, et captui discipulorum accomodata ; secus enim non obtineretur finis intentus. — Quatuor sunt, ait S. Thomas [1], quae doctori congruunt, scilicet : dicenda praevidere ; cui dicat inspicere ; quantum dicat animadvertere ; dicta ordinate proferre.

Hinc graviter peccant magistri si propria culpa non sint idonei ad docendum ; si discipulorum progressum negligant ; si bonos mores exemplo, verbis, correctione non promoveant ; si inutilia, falsa et damnosa doceant ; si stipendium exigant plus aequo, vel majus quam leges aut consuetudo permittant.

687. — *Q.* Quaenam obligationes discipulorum ?

R. Discipuli magistris suis debent amorem, reverentiam et obedientiam ; vices enim parentum illigerunt.

Peccant igitur discipuli qui magistros suos odio habent, vel molestiis eos afficiunt ; qui magistris non obediunt in iis quae ad bonos mores, ad scientiam et scholae disciplinam spectant ; qui tempus transigunt in otio, lusibus, aliisque damnosis aut inutilibus curis. Et eorum peccatum est grave vel leve pro ratione materiae vel rationabilis displicentiae parentum et magistrorum : saepius tamen a mortali excusantur propter inadvertentiam, levitatem, etc.

688. — *Q.* Scholae *mixtae* vel *neutrales* sunt ne licitae ?

R. Praemitto : Scholae *mixtae* illae intelliguntur in quibus discipuli cujusvis religionis recipiuntur ; *neutrales* vero in quibus nulla instructio religiosa impertitur [2]. — Hae autem scholae sunt aut *negative* tantum noxiae, quando in ipsis nihil contra fidem neque contra mores edocetur ; aut *positive* noxiae, quando in ipsis ratione vel magistrorum, vel condiscipulorum, vel librorum adest proximum periculum perversionis in fide aut in bonis moribus. Hoc praemisso :

1. Si scholae mixtae *positive* sunt noxiae, tunc omnino illicitum erit sive in ipsis docere, sive ipsis interesse ; id clamat vel ipsa lex naturalis et divina, et etiam lex ecclesiastica si adsit specialis Episcopi prohibitio.

2. Si scholae mixtae *negative* tantum sunt noxiae, tunc distinguendum est : vel adest aliqua schola catholica, et illicitum est scholis mixtis interesse, quia praeceptum instructionem religiosam sibi procurandi non solum est negativum, nempe vitandi omne periculum perversionis, sed etiam affirmativum, nempe illa idonea media adhibendi quibus instructio vere catholica comparari potest ; vel schola catholica deest, et tunc, seclusa speciali prohibitione, licet in illis sive docere, modo magister in officio obeundo ab iis abstineat a quibus catholicus magister abstinere debet, sive filios ad has scholas mittere, sive ipsis interesse ; modo ex una parte adsit sufficiens cau-

[1] Opusc. de Virtutibus, c. 3.

[2] Adsunt, heu nimis, scholae etiam *pravae*, in quibus non solum educatio religiosa penitus excluditur, sed irreligiositas aut libertas cultuum edocetur, vel aliqua peculiaris falsa religio insinuatur, vel communicatio in divinis cum haereticis habetur. Porro evidens est in hisce scholis illicitum esse tum edocere, tum interesse.

sa, et ex altera media opportuna adhibeantur ut remotum fiat omne periculum perversionis.

Porro sufficientia causae metienda est a gravitate periculi quod in schola reperitur. Sufficiens causa plerumque aderit quando vel nulla praesto est schola catholica, vel quae suppetit parum idonea est erudiendis convenienter conditioni suae adolescentibus, et parentibus media desunt prolem alibi catholice educandi. — In dubio de sufficientia causae consulendus est Episcopus.

Media opportuna vero ad removendum omne periculum perversionis sunt: omnino declinare a lectione pravorum librorum; familiaritatem et consortium evitare pravorum condiscipulorum; instructionem religiosam rite ac diligenter recipere, saltem extra scholae tempus, vel per Parochi catecheses et divini verbi praedicationem, vel per lectionem et studium bonorum librorum; at in primis piam vitam ducere per frequentiam Sacramentorum, specialem devotionem in B. V. M., etc.

DE QUINTO DECALOGI PRAECEPTO

Non occides (Exod. XX, 13).

Praeceptum hoc prout est *negativum* prohibet *directe* ac *primario* hominis occisionem ; *indirecte* autem et consequenter, omnem corporis laesionem, uti e. g. mutilationem, verberationem, aliasque huiusmodi injustas afflictiones. Prout est *implicite* seu *virtualiter affirmativum* praecipit conservationem vitae , sive propriae , sive aliorum quorum curam temporalem aliquis gerere debet.

Tribus capitibus haec dissertatio constat ; primum agit de homicidio in genere et de homicidio sui ; secundum de homicidio proximi, seu innocentis, facinorosi, et injusti aggressoris ; tertium de abortu, duello et bello.

CAPUT I.

De homicidio in genere et de homicidio sui.

ART. I.

De homicidio in genere.

689. — *Q.* Quid est homicidium et quomodo dividitur ?

R. Homicidium, vi vocis, est quaelibet hominis occisio ; in re morali vero , prout hic a nobis accipitur, est *injusta hominis occisio.*

Dividitur autem : — 1° In homicidium *sui*, idest *suicidium*, et homicidium *alterius* , quod esse potest a publica aut privata auctoritate.—2° In homicidium *simplex* et *qualificatum*, prout opponitur tantum virtuti justitiae, vel etiam alii virtuti, v. g. pietati, religioni, uti occisio patris, matris, sacerdotis etc. — In *casuale* et *voluntarium*, *directum* et *indirectum.*

690. — *Q.* Quodnam homicidium directum, et quodnam indirectum ?

R. Homicidium *directum* est illud quod quis vult in se, aliquid faciendo cum expressa homicidii intentione. — Hinc directe rei sunt homicidii non solum qui illud commiserint , sed etiam qui iusserint, aut consilium dederint vel dispositum ad inimicum occidendum approbaverint, aut incitamenta adiecerint, v. g. timidi-

tatis notam infligendo nisi vindictam sumeret, vel arma praebendo, etc.

Homicidium *indirectum* est illud quod quis vult non in se, sed in ejus causa voluntarie posita, jam praeviso effectu, licet non intento. — Igitur ut quis reus sit homicidii indirecti tria requiruntur : 1° Ut praeviderit saltem in confuso suam actionem vel omissionem continere ex circumstantiis periculum probabile homicidii. 2° Ut possit illud impedire, nempe possit se abstinere ab actu qui est causa etiam indirecta illius homicidii. 3° Ut teneatur ex justitia vel caritate causam non ponere, aut positam tollere; vel quia est illicita, vel quia, etsi licita, non adest tamen justa ratio illam ponendi.

Hinc indirecte reae sunt homicidii *matres* et *nutrices* speciatim, si pueros non alant aut gravibus periculis expositos relinquant; rei quoque *mariti*, si proprias uxores injuste et adeo crudeliter percutiant ut illis vitam brevient : et idem dic de *filiis* si parentibus senibus et infirmis medicinas non procurent; *officiales publici*, si proprio muneri deficientes sicarios impune grassari permittant ; *obstetrices*, *medici*, *chirurgi*, qui sive ex crassa sui muneris ignorantia sive ex negligentia vel imprudentia graviter culpabili, mortem non impediunt infirmorum quorum curam susceperint ; *pharmacopolae*, qui ex imperitia vel ex gravi negligentia in medicinarum praeparatione a medici praescripto aberrant; *infirmis servientes* ex officio vel mercede conducti, si ipsis vita periclitantibus diligenter et assidue non assistunt, vel illos deserunt et negligunt, vel cibos importunos aut inopportune praebent, vel popularibus praejudiciis obsequentes, exitialia remedia clam offerunt cum, saltem confuse, praevideant quod, ita privato consilio agentes, periculum subeant mortis infirmo afferendae [1].

ART. II.

De homicidio sui.

691. *Q.* Suicidium, idest occisio sui, est ne licitum ?

R. — I. Absque divina auctoritate nunquam licet directe et ex intentione seipsum occidere ; ratio, quia Deus solus est directus et absolutus dominus humanae vitae. Dixi : *absque divina auctoritate*, propter Samsonem, et quosdam martyres, qui seipsos occiderunt vel ex divina inspiratione vel inculpata ignorantia [2].

[1] *Gousset*, c. V, a. I: *Berardi*, 184. Jure canonico poena homicidii hodie est *irregularitas* de qua dicam ubi *De irregularitatibus*.

In dioecesi Taurinensi *homicidium voluntarium, quod quis sive per se sive per alios perpetraverit*, est culpa reservata 1ae Classis ; sed requiritur ut homicidium sit directe voluntarium in se, et non solum in causa. Haec reservatio afficit tantum executorem et mandantem, non vero consulentem etc.

Poenam non incurrit medicus qui aegroti curationem deserit, quamvis data opera id fecerit, ut ille interiret, quia poena qua commissa coërcentur, ad *omissa* trahenda non est. *D' Annibale* I, 304 (8).

[2] Rituale Romanum ecclesiastica sepultura privat *suicidas*, si ex desperatione vel iracundia, non vero si ex insania se occiderint, nisi ante mortem dederint signa poenitentiae. Cong. S. Officii, 16 maji 1866, hanc legem explicavit, et (supponendo esse certum quod defunctus ab aliis occisus non fuerit) dixit : « Si certo constet quod causa suicidii fuerit desperatio vel iracundia,

II. Posita justa et proportionata causa licet concurrere indirecte ad occisionem sui; ratio, quia quisque licite ponere potest causam bonam ex qua duplex sequitur effectus, unus bonus, alter malus, modo malus non intendatur, et bonus malum compenset (v. dicta *De act. hum.* n. 10).

III. Nunquam licet se ipsum mutilare, nisi mutilatio necessaria sit ad totius corporis conservationem; ratio, quia homo habet tantum dominium utile non autem directum in corpus suum ejusque membra. Unde aliquod ex illis abscindere tantum potest, cum hoc ad totius corporis conservationem necessarium sit, pars enim toto postponi debet.

692. — *Q.* Quaenam sunt causae ob quas licet concurrere indirecte ad occisionem sui?

R. Causae justae et proportionatae ob quas licet concurrere indirecte ad occisionem sui hae sunt: honor Dei; amor virtutis; bonum commune; caritas proximi vel sui ipsius. — Hinc ob honorem Dei vel ob amorem virtutis licet carnem vigiliis et jejuniis moderate affligere, etsi vita multis annis imminuenda foret. Sic ob bonum commune licet etiam cum certo mortis periculo servire peste infectis; vel militi persistere in statione, etsi moraliter certus sit se occisum iri; vel navim incendere ne veniat in manus hostium. Item ob amorem proximi licet alteri cibum cedere in penuria, aut tabulam in naufragio, et valde probabiliter etiamsi tabula jam capta sit. Tandem ob amorem sui licet in casu incendii se praecipitem dare e fenestra, semper ac appareat spes mortem imminentem evadendi, quod aliqui permittunt etiam reo morti vel carceri perpetuo damnato.

E contra, ex defectu justae causae, non licet poenitentiis indiscretis vitam notabiliter sibi breviare, et a fortiori si hoc fiat ad vitiis indulgendum; unde duplici peccato rei sunt qui per crapulas, aut impudicitias mortem sibi accelerant. Nec licet probabili mortis periculo se exponere causa solius lucri, aut vanae ostentationis, ut solent funambuli et qui venena sorbent, aut a viperis se mordere faciunt, etc. [1]

693. — *Q.* Licet ne castrare seipsum ad tuendam castitatem; vel pueros ad vocem conservandam?

R. — **1.** Non licet se ipsum castrare ad tuendam castitatem, quia saluti spirituali semper consuli potest aliter quam per membri praecisionem, et peccatum non pendet nisi a voluntate. [2]

2. Neque in probabiliori sententia licet castrare pueros, etsi consentientes, ad vocem conservandam, quia conservatio vocis non est bonum tanti momenti, ut li-

tunc sepultura ecclesiastica denegari debet omnino. Si autem dubitandum sit ne forte ex insania (ut puta, si magnae melancholiae prius subjectus fuerit), tunc sepultura quidem ritu ecclesiastico dari poterit, sed *vitatis pompis et solemnitatibus exequiarum*, nempe (si bene interpretor) in forma privata, cum exiguo Sacerdotum comitatu et sine funere. Caeterum etiam haec regula suas exceptiones habere potest; et ipsa S. Congregatio dixit: *Parochi et Missionarii in singulis casibus quibus praesens dubium refertur, recurrant, quoad fieri possit, ad Ordinarium.*

[1] S. Alph., L. III, 367 et seqq.; Hom. Ap. T. VIII, 1, 2, 3,

[2] S. Th., 2a 2ae, q. 65, a. 1.

ceat quod tantopere natura reprobat [1].

694. — *Q.* Mulier 1° potest ne se exponere periculo mortis ne violetur ; 2° tenetur ne potius permittere se occidi quam violari ?

R. Ad 1um : Th. conveniunt quod mulier non potest se ipsam occidere ne violetur ; potest tamen mortem pati vel se exponere periculo mortis, tum ob amorem castitatis, tum ob periculum consensus, quod plerumque adest in tali occasione [2].

Ad 2um : Duplex adest sententia. *Prima* negat, et tenet quod mulier possit permissive se habere dum accidit copula, modo voluntate positive resistat et absit periculum consensus, quia tunc talis permissio esset cooperatio tantum materialis, quae ob periculum mortis satis excusatur. *Secunda* vero tenet non posse mulierem permissive se habere, quia talis permissio esset cooperatio formalis et voluntaria. — Sed quidquid sit de probabilitate speculativa primae sententiae, negari nequit secundam *in praxi* omnino suadendam esse, saltem ob periculum consensus quod in illa permissione facile adesse potest [3]

An vero mulier vi oppressa, ad vitandos impudicos tactus alterius, clamare teneatur, dicetur infra ubi *De sexto praecepto.*

695. — *Q.* Tenemur ne mediis *extraordinariis* vitam servare?

R. Nemo tenetur vitam servare mediis *extraordinariis et valde doloriferis,* v. g. cruris abscissione, calculi operatione, etc. ; nisi vita necessaria sit bono communi. — Sic virgo non tenetur manus chirurgi in verendis subire ut suae infirmitati occurratur, potest tamen id sinere : tenetur vero permittere se ab alia foemina curari [4].

[1] S. Alph., L. III, 374.
[2] S. Alph., L. III, 366.
[3] S. Alph., L. III, 368.

CAPUT II.

De homicidio proximi.

ART. I.

De homicidio innocentis et facinorosi.

696. — *Q.* Licet ne occidere innocentem ?

R.—I. Nunquam licet *directe* innocentem occidere nec auctoritate privata nec publica, etiam ad bonum publicum procurandum; - ratio, quia est actio intrinsece mala.

II. Aliquando licet *indirecte* et veluti *per accidens* occidere innocentem, utendo nimirum suo jure, et dando operam rei licitae, necessariae ac tanti momenti ut vitae aequivaleat : - ratio eadem est ac ea quae de indirecta occisione sui, n. 691.—Hinc licet ad expugnandam civitatem et ad victoriam reportandam, si necessarium sit, tormenta bellica in eum locum dirigere ubi multi sunt innocentes, quia eorum mors praeter intentionem sequeretur [5].

697. — *Q.* Licet ne occidere facinorosum ?

R.—I. Non licet occidere facinorosum auctoritate privata, nisi in casu necessariae defensionis; - ratio, quia non licet hominem occidere sine debita potestate; at privatus tali potestate caret : ergo.

II. Licet occidere facinorosum auctoritate publica, servato tamen

[4] S. Alph., Hom. Ap. T. VIII., 2.
[5] S. Alph., L. III, 393.

ordine juris ; - ratio, quia Deus hanc potestatem fecit publicae auctoritati ad bonum publicum servandum : *Maleficos non patieris vivere* [1]. *Si malum feceris, time; non enim* (potestas) *sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit* [2].

Dixi *servato ordine juris*, jus enim naturae dictat ut cuilibet, nisi quid obstet, permittatur sui ipsius defensio. Hinc princeps vel magistratus, etsi privata scientia sciat aliquem esse reum, peccat tamen graviter si ipsum inauditum morti damnet, nisi gravis necessitas aliter postulet, v. g. si adsit periculum seditionis in juridico processu, et aliunde evidens sit delictum [3].

Art. II.

De occisione injusti aggressoris.

698. — *Q.* Licet ne injustum aggressorem occidere ?

R. — Injustum aggressorem occidere licet, sed cum moderamine inculpatae tutelae ; - ratio, quia quisque jus habet conservandi vitam injuste oppugnatam : hinc jus Can. habet : *vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittunt.* Et hoc etiamsi data fuerit occasio injustae aggressionis, quia occasio etiam culpabilis non tollit injustitiam aggressionis, nec privat jure se defendendi. Neque obstat aeterna damnatio invasoris ; haec enim non ex culpa sese defendentis, sed ex propria invasoris malitia ei accidit, quum possit ab aggressione desistere.

Dixi 1° *licet,* non vero quod quis *debeat,* quia si aggressus non est in statu peccati mortalis, nec ejus vita est necessaria bono publico, potest, actu heroico caritatis, sui ipsius occisionem permittere, ne aggressor temporali simul et aeterna vita privetur.

Dixi 2° *cum moderamine inculpatae tutelae.* Hoc autem *moderamen inculpatae tutelae* tria requirit : 1° ut aggressoris occisio non fiat ad vindictam, sed tantum ad sui defensionem; 2° ut aggressus non utatur majori vi quam necesse est ; quare si potest se liberare fugiendo vel vulnerando tantum, occidere nequit; 3° ut vis seu aggressio actu moraliter inferatur. — Quandonam vero aggressio actu moraliter inferatur certa lege ac regula statui nequit, sed arbitrio prudentium in singulis casibus est definiendum.

699. *Q.* Potest ne occidi aggressor materialiter injustus ?

R. Quisque potest se defendere ab aggressore materialiter injusto, v. g. furioso, ebrio etiam illum occidendo, si aliter se liberare nequeat; quia jus defensionis oritur ex ipso jure naturali vitam propriam servandi, non ex injustitia aut peccato alterius; unde, etsi aggressor culpa careat, non tollitur jus se tuendi in aggresso.

Excipe tamen casum quo talis aggressor sit certe in statu peccati mortalis, et certe a tali sta-

[1] Exod. XXII, 18.
[2] Rom. XIII, 4.
[3] Judex reo morti damnato tenetur sub gravi concedere tempus sufficiens ad confessionem, etsi timeretur periculum direptionis, et etiam tempus pro sumptione Communionis, nisi tamen grave damnum timeatur; et tunc reus etiam non jejunus communicari potest, quia tunc vere est in articulo mortis. S. Alph., L. III. n. 379.

tu nequeat se liberare; tunc probabilius eum occidere non licet, quia ejus vita spiritualis vitae nostrae temporali est praeponenda (v. *dicta* n. 412).

700. — *Q.* Licet ne praevenire aggressorem eum occidendo?

R. Disput. Th.; sed S. Alph. sic distinguit: si quis ex aliqua actione noverit inimicum esse determinatum ad aggrediendum, puta si certe moraliter sciat illum jam ad hoc parasse arma vel mandatum dedisse servo, tunc si aliter fugere nequit, licite potest eum praevenire. Secus vero dicendum si non certo sciat, sed tantum suspicionem, seu dubium vel timorem habeat de aggressione: impium enim est ob dubiam violentiam proximum vita privare. — *In praxi* sententia affirmans propter periculum hallucinationis in re tanti momenti vix sequi potest [1].

701. — *Q.* Licet ne pro defensione proximi occidere injustum aggressorem?

R. Th. communiter affirmant; quia est actus caritatis tueri jus quod proximus habet ad vitam. Et hoc valet etsi proximus innocens pati vellet se occidi: nam licet possit ille cedere juri quod habet ad vitam defendendam, non potest tamen cedere juri quod habet ad ipsam vitam, cujus dominus non est, et ideo nequit aliis jus defensionis adimere [2]. Raro tamen privatus tenetur defendere proximum occisione injusti aggressoris, propter magnum incommodum semper ex ea proveniens.

Dixi 1° *raro*; nam teneretur si persona aggressa necessaria sit ad bonum publicum; — vel si sit pater, filius, uxor aut frater, quos tueri pietas obligat; — vel si sit ebrius et in peccato mortali, quia tunc versatur in extrema animae necessitate.

Dixi 2° *privatus*; quia principes, magistratus et milites specialiter conducti ad civitatem defendendam, ad id tenentur ex justitia, non vero cum periculo propriae vitae nisi agatur de avertendo malo publico [3].

702. — *Q.* Licet ne puellae occidere aggressorem suae pudicitiae?

R. 1. Puella potest, imo *tenetur* aggressorem suae pudicitiae totis viribus repellere, clamando, pugnis et alapis eum percutiendo, imo, si aliter se liberare nequeat, etiam vulnerando, ne ullo modo ei consentiat.

Imo non solum dum ab aggressore actu violenter tangitur, sed etiam immediate post puella eum percutere potest alapis, pugnis, fuste, et etiam ictibus non periculosis, ut sic suam constantiam et displicentiam ostendat, et alter saltem resipiscat, nec alia vice eam denuo sollicitet.

2 An vero possit *ante factum* aggressorem occidere, communiter contra paucos affirmant; ratio, quia plerumque adest periculum consensus in peccatum, et pudicitia est bonum maxime aestimandum [4].

703. — *Q.* Licet ne occidere aggressorem pudicitiae proximi?

R. Plures affirmant, modo tamen nullum aliud suppetat medium pudicitiam tuendi.

Si vero foemina expresse aut tacite ad copulam consentiret, non liceret ejus aggressorem occidere,

[1] S. Alph., L. III, 387.
[2] S. Alph., L. III, 389.
[3] S. Alph., L. III, 390.
[4] S. Alph., L. III, 386,

quia tunc non esset vim vi repellere. Casu autem quo foemina sit tibi consanguinitate valde propinqua, etiam ea ad copulam consentiente, posses ante factum ejus invasorem occidere, si aliter tuam infamiam evitare nequeas. Dixi *ante factum*; nam in ipso facto vel postea non licet occidere, ut patet ex prop. 19 damn. ab Alex. VII, quae dicebat: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Non ideo tamen licebit viro uxorem necare, si ipsa audacter velit adulterari; quia vir potest aliis mediis injuriam impedire, uxorem baculo percutiendo vel adulterum minis abigendo. Et hic adverte, quod percutiens clericum turpiter agentem cum matre, filia, sorore vel uxore, immunis est ab excommunicatione, non vero a culpa, nisi justa causa excusetur, v. g. motivo correctionis, etc. [1].

704. — *Q.* Licet ne percutere et occidere aggressorem bonorum fortunae?

R. Aggressorem bonorum fortunae percutere licet, imo etiam vulnerare, si bona sint in notabili quantitate servanda.

An vero liceat etiam illum occidere, certe regulariter non licet si bona sint parvi momenti, uti constat ex propositione damnata: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* — Si autem bona sint *magni momenti*, disput. Th.; sententia probabilissima et communis affirmat, dummodo non possint bona aliter defendi aut recuperari [2]; - ratio, quia non tenemur bona proximi altioris ordinis nostris praeferre, nisi ille in extrema necessitate sit, non vero cum se sponte periculo mortis exponit (v. etiam Exod. XXII, 2).

705. - *Q.* Licet ne occidere aggressorem famae et honoris?

R. Quoad aggressorem famae et honoris distinguere oportet. Si aggressio in honore est solis *verbis*, certe non licet nec occidere, nec vulnerare. Si autem est etiam *factis*, v. g. calcibus, colaphis aut similibus injuriis gravibus, *post factum* aggressus aggressorem repercutere nequit, quia tunc non esset defensio, sed vindicta. *Ante factum* vero, si aggressum non dedecet fugere, v. g. si esset clericus, religiosus, nec in fuga adest periculum percussionis, fugere tenetur; si autem aggresso est gravis dedecoris fuga, v. g. viro nobili, vel officiali bellico, tunc plures dicunt quod potest aggressorem vulnerare et etiam occidere, non ad vindictam, sed ad defensionem. — *In praxi* tamen impossibilis aut valde rarus erit casus in quo tali sententia uti liceat [3].

CAPUT III.

De abortu, duello et bello.

ART. I.

De abortu.

706. — *Q.* Quid est abortus et quomodo procurari potest?

R. Abortus definitur: *Ejectio foetus immaturi* [4]. Dicitur *imma-*

[1] S. Alph., L. III, 391.
[2] S. Alph., L. III, 383.
[3] S. Alph., Hom. Ap. T. VIII, 14.
[4] Instar homicidii est quidquid generationi proximum impedimentum praestat, puta si mulier sumat venena sterilitatis, nisi forte morbi medendi causa. Quaestionis autem est an licitum sit

turi, et sic distingnitur a *praematura* foetus *editione*, quatenus in abortu foetus est immaturus, quia etsi aliquando vivus in lucem edatur, tamen non est vitalis et necessario cito debet mori; dum in praematura ejus editione, foetus licet praematuro edatur, quia tempus naturae praevenitur, tamen editur vitalis. Haec autem praematura foetus editio locum habere potest circa finem septimi mensis [1].

Abortus duplici modo procurari potest, directe et indirecte. Verum, quaenam sit procuratio abortus directa, et quae indirecta, non conveniunt Th [2] Juxta alios directa consistit in ipsa intentione directa, cum nempe quis aliquid agit cum intentione foetum ejiciendi. Juxta alios consistit in ipsa actione exteriore quae per se efficax sit ad foetum expellendum. Verum directa intentio per se non sufficit, nam aliquando adhiberi potest medium per se inefficax, licet cum directa et prava intentione; nec sufficit sola actio exterior etsi per se efficax, nam aliquando haec actio adhiberi potest primario ad conservandam vitam matris in extrema necessitate positae. Quare procuratio *directa*, juxta communiorem sententiam, consistit in intentione directa simul et directa actione exteriore: nempe cum quis abortum intendendo adhibet medium quod per se, seu vi sua, necessario foetum ejicit, et ejiciendo nondum forte septimestrem ipsum interimit. Procuratio autem *indirecta* adest quando quis, abortum non intendendo, adhibet medium per se et primario ordinatum ad matrem conrandam, licet interdum quasi per consequens foetum extinguat, vel adhibet medium ex quo aeque habetur sanitas matris, et foetus expulsio [3].

707. — *Q.* Procuratio abortus est ne licita?

R. — I. Procuratio abortus *directa* nunquam licita est; - ratio, quia est res intrinsece mala: nam si foetus est animatus, est verum homicidium; si inanimatus, actio tendit ad homicidium, cum vita hominis proxime impediatur [4].

II. Procuratio vero *indirecta* licita est, dummodo adsit juxta et proportionata causa illam actionem ponendi; - ratio, quia quisque licite ponere potest causam per se bonam aut saltem indiffe-

haec sumere, si mulier parere nequiret sine mortis periculo, vel ut debitum reddat? Negat generaliter Sanchez. M. IX, 20, 2. *D' Annibale*, II, 285, (30).

[1] Cum foetus qui circa finem septimi mensis in lucem editur vitalis seu viabilis, ut dicunt, judicio timorati medici censeatur, ejus partus ab illo tempore ad praecavenda majora pericula, licite anticipari potest. *Ninzatti*, I, 399. *Lehmukl*, I, 841.

[2] *Lehmukl*, I, 841.

[3] Media *prioris generis* hujus indirectae abortus procurationis sunt quaedam pharmacha irritantia et violenta, quae per se, vi sua, primo tendunt ad pravos humores et pravas morbi dispositiones corrigendas, consequenter vero abortum procurat; *posterioris generis* sunt ea remedia quae fibrarum relaxationem causant, uti balneum, sanguinis fluxus et emissio, unde simul dum sanitati consulitur, abortus producitur una eademque causa. *Bucceroni*, I, 745.

[4] Olim opinio communis theologorum et physiologorum erat corpus viri *quadragesimo*, foeminne vero *octogesimo* die a suo conceptu anima informari; at hodie, ait S. Alph. (L. III, 304. q. 3; L. VI, 124), viget opinio non sine plausu a peritis accepta, quod foetus ab initio conceptionis, vel saltem post aliquot dies (tres vel quatuor) anima informetur; *vita enim corporis nostri in anima est*, subdit Cl. *D'Annibale*, 1, 27 (1). Vid. *Capellmann*, p. 12.

rentem, ex qua duplex sequitur effectus, bonus unus, alter malus, modo effectus malus non intendatur, et bonus malum saltem compenset.

708. — *Q.* Licet ne matri infirmae dare remedium foetui nocivum?

R. Matri infirmae remedium foetui nocivum dare licet, modo adsint tres sequentes conditiones: 1° ut agatur de morbo matris letali, nec alia adsint remedia ad ejus vitam servandam; 2° ut mors infantis non intendatur, neque directe procuretur; 3° ut nulla sit spes baptismum proli procurandi. Hinc plura corollaria:

1. Si utraque, mater nempe et proles, sunt in eodem periculo mortis, v. g. si mater judicetur moritura una cum prole nisi remedium ei praebeatur, puta purgatio corporis, scissio venae, balneum, et foetus non est animatus, vel, si animatus, potest in utero ope instrumenti baptizari, sicque aeternae ejus saluti provideri, tunc licet matri infirmae remedium sumere, dummodo intendat directe suam tantum sanitatem, etsi foetus *indirecte* expellatur; quia in pari necessitate mater habet jus ad propriam vitam, nec tenetur tam incertam vitam temporalem prolis servare cum certa jactura propriae vitae.

2. Si aequale sit periculum abortus, sive remedium sumatur sive non, eo quod periculum, ut subinde contingit, venit ex ipsa vi morbi, mater remedium sumere potest, quia tunc consulitur vitae matris sine majore prolis detrimento.

3. E contra si rimedium de quo agitur ex una parte certe mortem prolis causat, et ex altera non certe sed tantum probabiliter servat vitam matris, tunc non licet matri illud remedium sumere, quia praevalet jus prolis.

4. Si ex una parte ex remedio mors prolis certe in utero sequatur, quin foetus in utero baptizari possit, et ex altera, remedio non sumpto, *adsit rationabilis spes* ut proles matri supervivat, ideoque baptizari possit, etsi postea brevi moriatur, tunc mater nequit remedium sumere; quia nemini licet, ad tuendam suam vitam temporalem, positive exponere proximum in necessitate spirituali constitutum periculo mortis aeternae: quapropter mater tenetur vitam aeternam prolis vitae suae temporali praeferre.

5. Non licet puellae gravidae procurare abortum ne famam amittat, aut ne quid grave ab aliis patiatur, quia tunc abortus esset in se intentus et directe procuratus, et effectus bonus, nempe conservatio famae, immediate ex malo quaereretur, quod certe illicitum est. Hinc damnata fuit ab Innoc. XI haec prop. n.° 34: *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.*

6. Nec unquam licet operatio quae *craniotomia* vel *embryotomia* vocatur, vel alia hujusmodi per se directe tendens ad occisionem infantis in utero positi. Quaesitum enim fuit: « *An tuto doceri possit* in scholis catholicis licitam esse operationem chirurgicam, quam *craniotomiam* appellant, quando scilicet, ea omissa, mater et filius perituri sint, ea contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte? » S. Poenitentiaria, omnibus diu et mature perpensis, habita quoque ratione

eorum quae hac in re a peritis catholicis viris conscripta sunt, die 28 Maji 1884 et 19 Aug. 1888, respondit: *Tuto doceri non posse;* quam responsionem Leo P. XIII confirmavit [1].

709. — *Q.* Licet ne per media artis chirurgicae vel per medicamenta accelerare eiectionem foetus immaturi ad salvandam matrem in periculo mortis constitutam?

R. Quaestio gravissima est et duplex datur sententia. *Prima sententia* affirmat, dummodo ex una parte periculum mortis aliter auferri nequeat, et ex altera probabilis spes effulgeat quod infans vivus in lucem edatur sicque baptizari possit; tum quia incerta vita temporalis prolis non videtur praeferenda probabiliori spei vitae aeternae, tum quia secus mors matris nihil prodesset vitae temporali prolis, et insuper prolem ipsam in gravissimum salutis aeternae discrimen conjiceret [2]. Nec obesse debet, quod forte mors prolis paululum acceleretur; tum quia, ut ait S. Alph. [3], mors in hoc casu eveniret non per se, sed per accidens, tum quia in hoc casu *negligi* potest parva illa vitae jactura, ut infans vitam aeternam consequatur. — *Secunda sententia* vero negat, quia aliud est matri graviter aegrotanti remedium praebere per se et primario ordinatum ad ipsam curandam, licet praeter intentionem quasi per consequens foetum extinguat, aliud actionem ponere per se et primario ordinatam ad ejectionem foetus, licet recta intentione matrem salvandi, et prolem baptizandi. Primum licitum est utpote procuratio abortus tantum indirecta; secundum illicitum utpote procuratio directa: illa enim media vel medicamenta per se et primario seu directe tendunt ad foetum expellendum, ideoque pe-

[1] Casus. — Gaspar medicus confessario aperit: 1° quod cuidam mulieri pharmacum praebuit ad conceptionem impediendam, ut gravissimum removeret mortis periculum quod illi imminere ex experientia noverat, idque directa et unica intentione ut mulieris salutem procuraret; 2° quod alteri mulieri gravidae et in summo vitae periculo constitutae una cum prole, quae consequenter sine baptismo simul cum matre moritura erat, abortum seu ejectionem foetus arte medica procuravit, tum ad salvandam a morte matrem, tum ad baptismum proli procurandum; et sic revera mater salva fuit, et proles viva egressa, accepto baptismo, cessit e vita. *Q. An Gaspar in utroque casu recte egerit?*

R. In primo casu Gaspar graviter peccavit, quia jura naturae graviter violavit impediendo generationem, et licet asserat se unice mulieris salutem intendisse, reapse tamen directe intendit conceptionem impedire, siquidem ad hoc expresse remedia direxit sicut media ad finem.

In secundo casu etiam graviter peccavit abortum *directe* procurando, quod ex intrinseca natura sua verum homicidium est. Neque per se excusari potest ex bono fine salvandi matrem et prolem baptizandi; non sunt enim facienda mala ut eveniant bona. Directe autem, in casu, abortus procuratur, nam abortus assumitur et *in se intenditur* ut medium ad utrumque. *Bucceroni*, Casus Consc. 144; *Gury*. Casus Consc. Vol. I, n. 399, 402.

[2] *Ballerini*, Op. Th. Mor., Vol. II, T. VI, sect. V, 97; *Lehmkuhl*, I, 841; et alii. Attamen «illud opponendum est, ait Cl. Capellmann, quod in extrema graviditate baptismus probabiliter validus certe facilius procurari potest, quam post abortum factum; nam foetus arte eductus *rarissime* vivet, quamvis celeriter abortus factus sit: plerumque autem sat multum temporis requiritur». *Medic. Past.*, p. 16.

[3] S. Alph., L. VI, 106 *in fine.*

rimendum, nam positiva actione ejicere foetum immaturum extra uterum est positive subtrahere illi medium ab ipsa natura institutum ad ejus vitae conservationem, quod est directe aliquem occidere. Sane inter caedem, quae per craniotomiam habetur, et abortum hujusmodi nihil reapse distat; nam quis negaverit v. g. hominem pariter occidere et qui eum transverberat, et qui eum e turri ejicit, et qui eum in mare mergit? [1] — Aliter vero dicendum est si agatur de acceleratione partus cum probabili spe vitae infantis. (vide Capellmann, Med. Past., p. 28).

Ceterum in hac salebrosa quaestione Cl. Kenrinck quaerit: *In praxi* quid faciendum, dum sacerdos novit chirurgum in animo habere foetum forcipibus adhibitis extrahere, vel in utero extinguere pharmaco dato, ut matris servetur vita? — Et respondet: Quum utrumque periculosum sit, puto non oportere se aliquatenus chirurgi consiliis immiscere; nihil enim proderit, et in se mortis matris suscipiet odium. — Quod si chirurgus quid sibi liceat petat, dicat: nescio quomodo vita foetus tolli absque culpa queat (vel etiam respondere poterit, in diversa auctores abire; ideo ipse videat; at ne negligat baptizare foetum). — Quod si mater petat quid sibi faciendum, videtur oportere chirurgum orare ut vitae foetus quoad potest consulat [2].

[1] *D'Annibale*, II, 284 (25); *Bucceroni*, I, 745; *Capellmann*, *ibid.* et alii.

Casus. S. C. R. et U. I. propositus a D. D. Stephano Maria Alphonso Sonnois Archiep. Cameracensi:

Titius medicus cum ad praegnantem graviter decumbentem vocaretur, passim animadvertebat lethalis morbi causam aliam non subesse praeter ipsam praegnationem seu foetus in utero praesentiam. Una igitur, ut matrem a certa atque imminenti morte salvaret, praesto ipsi erat via, procurare scilicet abortum seu foetus ejectionem. Viam hanc consueto ipse inibat, adhibitis tamen mediis et operationibus, per se atque immediate non quidem ad id tendentibus ut in materno sinu foetum occiderent, sed solummodo ut vivus, si fieri posset, in lucem ederetur, quamvis proxime moriturus, utpote qui immaturus omnino adhuc erat.

Jamvero lectis quae die 19 Aug. 1888 Sancta Sedes ad Cameracensem Archiepiscopum rescripsit: « tuto doceri non posse licitam esse quamcumque operationem occisivam foetus, etiamsi hoc necessarium foret ad matrem salvandam », dubius haeret Titius circa liceitatem operationum chirurgicarum quibus non raro ipse abortum hucusque procurabat, ut praegnantes graviter aegrotantes salvaret.

Quare ut conscientiae suae consulat, supplex Titius petit utrum enuntiatas operationes in repetitis dictis circumstantiis instaurare tuto possit.

Feria IV, die 21 Iulii 1895.

In Congr. Gen. S. R. et Univ. Inquisitionis, proposita suprascripta instantia, Em. ac Rev. Domini Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores generales, praehabito Rev. D. Consultorum voto, respondendum decreverunt: *Negative*, juxta alia decreta, diei scilicet 28 Maji 1884 et 19 Aug. 1888. Quam resolutionem die 25 Julii Sanctitas Sua Leo XIII. adprobavit.

[2] Quaesitum fuit: 1° Utrum licita sit partus acceleratio quoties ex mulieris arctitudine impossibilis evaderet foetus egressio suo naturali tempore. — 2° Si mulieris arctitudo talis sit ut neque partus praematurus possibilis censeatur utrum liceat abortum procurare, aut caesaream operationem suo tempore perficere. — 3° Utrum licita sit *Laparatomia*, quando agitur de praegnatione extra uterina, seu de ectopicis conceptibus? — S. C. S. Off. die 4 Maji 1898 respondit: Ad 1um, Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur justis de causis, et eo tempore ac modis, quibus ex ordinariis contingentibus matris et foetus vitae consulatur. — Ad 2um, Quoad primam partem *Negative*, juxta Decr. 24 Juli 1895, de abortus illiceitate. Ad secundam vero

An vero mater teneatur operationem caesaream pati in ordine ad baptizandum infantem nondum natum, dicetur in Tr. *de Baptismo*.

710. — *Q.* Quaenam poenae in procurantes abortum?

R. Ex jure canonico in procurantes abortum adest excommunicatio et irregularitas.

I. Procurantes abortum, matre non excepta, incurrunt, effectu secuto, excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam; et si sint clerici, praeterea deponantur. **Can. 2350.**

At vero *procurantes abortum* sunt omnes qui ex industria ac proposito seu *directe* vel per se vel per interpositas personas abortum procurant, sive ex causa physica, v. g. veneno, percussionibus, sive ex causa morali, v. g., incusso terrore praegnanti.

Ad incurrendam vero hanc poenam tria requiruntur: 1° Ut agatur *de vero fetu*, nam si sit corruptus licet expellere, quia potius est massa putrida. Nil vero hic refert utrum fetus animatus sit an non. Ceterum hodie communis sententia tenet fetum ab ipso istanti conceptionis animari, unde antiquata habetur distinctio inter fetum animatum et fetum inanimatum [1]. — 2° Ut abortus fuerit *directe et in se volitus*, nam procurare est *aliquid studiose seu de industria quaerere*, et ad hoc ponere causam efficacem et adaequatam. Hinc censuram incurrit sive qui jubet vel mandat abortum fieri; sive qui ad hunc finem media apta adhibet expresse et unice ad abortum procurandum, uti qui praegnanti terrores incutit, vel eam percutit, cum directa intentione abortum procurandi. — E contra poenam non incurrit qui abortum *indirecte* tantum procurat, ut si quis ex odio, ira, praegnantem graviter percutiat, abortum praevidens, sed non intendens. — Nec qui tantum abortum consulit vel procuranti opem praestat, ut v. g. qui pharmacum licet mala intentione simpliciter parat, quia etsi graviter peccet, tamen abortum directe non procurat, et solum ea praebet ex quibus abortus ab alio procuratur, unde abortui mediate solum cooperatur. — Nec chirurgus qui craniotomiam exercet, quia reapse non ejectionem foetus immaturi, sed potius occisionem infantis procurat. — Nec qui jussu aut mandato alterius efficit ut mulier foetum ejiciat, v. g. obstetrix, medicus qui abortum inducit unice ut patri vel matri obsecundet, quia talis obstetrix vel medicus, licet libere agat, agit tamen non ut mandans, sed ut verus mandatarius, nam agit nomine alieno.

An vero poenam incurrant ancilla, socia, medicus qui abortivum propinant, distinguendum erit: Si abortivum non solum propinant, sed insuper mulieri suadent et determinant ut illud sumat cum directa intentione abortum procurandi, vel mulieri de se incapaci

partem nihil obstare quominus mulier de qua agitur caesareae operationi suo tempore subjiciatur. — Ad 3um Necessitate cogente, licitam esse *Laparatomiam* ad extrahendos ectopicos conceptus, dummodo et foetus et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune provideatur.

Decr. approbatum fuit a Leone XIII die 6 ejusdem mensis.

[1] Ferreres vol. I. n. 500.

ad potionem sumendam illi propinant, uti cooperatio necessaria, certe poenam incurrunt. Si vero mulieri jam de se determinatae et de se capaci ad abortivum sumendum solum propinant, tunc disput. Th. Alii affirmant, quia potionem propinando abortui immediate cooperantur. Sed alii negant, quia tunc solum opem praestant. — 3° Ut abortus *vere secutus sit*, et quidem ex causa studiose seu de industria posita; unde poena non adest si constet media studiose adhibita inefficacia fuisse; nec adest si constet effectum attribuendum esse causae accidentali, puta lapsui, terrori, etc.; neque adest poena in dubio an causa posita illa sit quae abortum procuravit.

2. Adest *irregularitas* ob homicidium. Sed requiritur: 1° Ut abortum procurans certus sit quod mulier uterum gerit. — 2° Ut abortus sit certe secutus ex prava procurantis actione.

Non requiritur vero in procu-

Nonnulla monita pro praxi

1. Cum non raro eveniat quod foeminae, maxime juniores, dubiis vel scrupulis exagitatae, interrogent quid sibi tempore graviditatis liceat facere necne absque foetus laesione; et quod e converso, data occasione, saepe increpandae sint mulieres, praesertim rusticanae, eo quod non satis se abstineant ab immoderatis laboribus; expedit ut confessarius causas magis ordinarias abortus cognoscat, ut sciat quae opportuna interdum danda sit consilia, prout praxis saepius exposcit.

Causae ergo magis ordinarie abortus sequentes sunt: 1° Graves pressiones et percussiones ventris; 2° Immersio pedum in aqua frigidissima, maxime si prius corpus calidum erat; 3° Longum et laboriosum iter; 4° Saltus, et speciatim choren quae dicitur *valtzer saltato;* 5° Elevatio magni ponderis, praesertim si magnus nisus fiat ut aliquid e loco superiori trahatur; 6° Magna et repentina ira; 7° Demum generatim diuturni et excessivi labores propriis viribus valde improportionati; speciatim si foemina complexionem valde debilem sortita sit. Mulieres gravidae ergo has causas quatenus moraliter possunt evitare debent; maxime vero si ob aliquam ejsmodi alia vice abortum passae sint.

2. Notari potest insuper quod aliquae mulieres ne laborent in partu propter foetus pinguedinem, per plures menses parcissime vescuntur. Id plerumque so-

rante scientia hujus irregularitatis ; agitur enim de homicidio, ut dicetur ubi *de Irregularitatibus*.

Art. II.

De duello

711. — *Q.* Quid est duellum, et quomodo dividitur ?

R. Duellum est *pugna singularis ex condicto suscepta, cum periculo occisionis, aut gravis vulneris.*

Hinc ad duellum propriae et strictae significationis requiritur : 1° Ut adsit pugna *inter singulos*, ita ut si plures, agmine facto, concurrerint, duellum non censeatur ; ceterum singulos accipimus etiam binos, ternos, vel plures hinc inde pugnantes. 2° Ut talis pugna fiat *ex condicto*, statutis nempe prius loco, tempore et armis ; nam si tantum locus, vel tempus, vel arma seorsim designantur, duellum dici non solet ; imo nec omnibus indictis, si de his in rixa convenerint, et egressi statim commiserint [1]. 3° Ut talis pugna fiat paribus et letalibus armis, adeoque contineat verum periculum occisionis, aut gravis vulneris ; unde non est duellum stricte dictum, si fiat solis

let esse causa cur foetus aut in utero moriatur, aut brevem infelicemque vitam sortiatur.

3. Quae vero se ex fornicatione gravidas confitentur, licet caute ac prudenter, interdum tamen interrogandae sunt de abortu desiderato vel tentato, necnon de mediis ad hoc adhibitis, puta de voluntariis compressionibus vel lotionibus vel defatigationibus nocivis quas, nullo intervallo facto, sustinuerint ; quod summopere timendum de puellis vel foeminis caeteroquin honestis ex publica fama, quae incaute aut ex dolo peccato annuerunt. Nec omittendae interdum sunt hujusmodi interrogationes cum amasiis qui fornicati sunt, maxime si honorabiles sint, quia saepe abortum consulunt ad infamiam vel rixas vel jurgia vitanda.

4. Sed quid agendum a confessario qui ex confessione puellae graviter infirmae deprehendit eam esse, insciis omnibus, illegitime gravidam ?

Respondeo : Duo indubia sunt, nempe : obligandam esse puellam ad manifestandam suam praegnationem, ut post mortem consulatur debito modo aeternae saluti prolis, procul dubio cuicumque matris infamiae praeponderanti ; et eam posse, illa manifestatione nunquam praetermissa, aptiori quo putat modo suae famae et honori consulere. Quibus positis, dico : *primo*, nunquam suscipiat confessarius onus rem post mortem revelandi, ne in violati sigilli suspicionem deveniat, maxime cum agatur de re valde odiosa propinquis et notis puellae ; *secundo*, ipsi puellae consulat ne secretum suum committat patri vel matri aut aliis de cognatione sua, vel personae minus religiosae, ne isti, mundanis indulgendo judiciis, manifestationem pauci faciant ; *tertio*, jubeat e contra ut secretum probae et, quoad fieri potest, religiosae personae committat, ut post mortem rem aperiat ; quod vel viva voce vel scripto puella facere potest ; *quarto*, si puella nullo modo suae velit obligationi satisfacere, eam tanquam indispositam non absolvat. *Berardi*, n. 186.

[1] Mos ordinarius duelli est quod hoc fiat designatis prius loco, tempore et armis. Igitur si designatio armorum in ipso loco duelli fiat, probabiliter poena non adest. — *Item*, si quis dicat Titio : lacesso te ad duellum, quin designet locum, tempus, arma, nondum adest provocatio ad verum duellum. — *Item*, si quis Titio offert duellum eumque statim aggreditur, et Titius etiam acceptis armis se defendit, patet non esse duellum. *Ballerini*, Op. Th. Mor., Vol. II, Tr. VI, 19, n. 103, 104.

Quid si duo de duello ineundo convenerint, et postea, casu obviantes, conveniant de loco, tempore et armis, et statim egressi committant ? quidam putant excomm. incurrere ; sed vereor ne verum sit ; videntur enim magis ex impetu convenisse, quam ex condicto. *D' Annibale*, Comment. n. 114 (12).

pugnis, vel bacillis, vel etiam ferro acie retusa, etsi per accidens mors sequatur [1].

Duellum aliud dicitur *publicum* si fit ex auctoritate publica, aliud *privatum* si ex privata auctoritate; aliud est *solemne* si fit adhibitis patrinis vel testibus, aliud *simplex* si absque illis.

712. — *Q.* Duellum est ne licitum?

R. — I. Duellum publicum seu initum ex publica auctoritate et justa causa, v. g. ad finiendum vel vitandum bellum, licitum est; secus si ex causa injusta, v. g. ad terminandas privatas controversias, ad robur militum vane ostendendum.

II. Duellum privatum est graviter illicitum, quia homo sine necessitate se ipsum et adversarium morti vel gravi vulneri exponit, sicque per ipsum usurpatur jus dominii in vitam propriam et alienam, quod soli Deo competit. Ideoque ex nulla causa, neque ad vitandam infamiam, duellum etiam fictum acceptare, et eo minus offerre licet [2]. Neque dici potest legitima defensio, sed est potius mutua aggressio ex condicto facta atque privata vindicta; unde habet duplicem malitiam, homicidii nempe et suicidii.

III. Licet singulare certamen inire cum eo qui *actualiter* aggreditur vitam vel bona fortunae magni momenti, vel qui minatur se eadem bona ablaturum esse, si aliter aggressio vel minae vitari nequeunt; quia tale certamen non esset verum duellum, sed justa et licita defensio.

[1] Necesse tamen non est ut duellum evadat letale, sed sufficit ut adsit periculum gravis vulneris.

E contra si duellum fuerit fictum, amoto omni periculo cujuscumque damni, probabiliter non est verum duellum. Potest quidem adesse grave peccatum, v. g. ob grave scandalum, sed poena probabiliter non incurritur. — Alii quidem putant adesse poenam, quia semper adest scandalum, et Clemens VIII prohibuit etiam duella *non fatalia*: sed respondetur quod haec verba in Constit. *Apost. Sedis* desunt; deinde quid commune est duello vero cum ficto? Dicent rem esse judicandam ex iis quae apparent. Ita porro in foro externo; sed interno veritas est inspicienda. *D'Annibale*, Comment. n. 116 (26).

Item si provocatio vel acceptatio ficta fuerit, non ex animo, potest adesse grave peccatum ob scandalum, sed probabiliter poena non incurritur, quia provocatio ficta non est provocatio, quemadmodum matrimonium fictum non est matrimonium. *Ballerini*, ibid.

E contra poena incurritur si provocatio vel acceptatio sit vera, etsi certo sciatur duellum impeditum iri, quia tunc adest verum delictum sub censura cadens.

[2] Olim plures Th. affirmabant viro nobili vel militari licere acceptare imo et offerre duellum, si alias, honore amisso, certe privandus esset officio, quo se et familiam sustentat. At post propositiones damnatas, a Bened. XIV (vid. infra, p. 392), praedicta opinio, ait S. Alph., L. III, 400. 6, non est amplius probabilis. — Attamen non obstante hac S. Alphonsi doctrina, nonnulli graves Th. inter quos D'Annibale, II, 289, 53, et Ballerini, II, Tr. VI, 118, contendunt propos. a Bened. XIV damnatas loqui de eo qui duellum offert et acceptat, non vero de eo qui in casu necessitatis tantum acceptat. Unde dicunt probabiliter licitum esse duellum acceptare quando acceptatio necessaria est ad vitam tuendam, et etiam ad damnum gravissimum in bonis avertendum, si alia via illa tueri, hoc averti non possit. Et hoc verum est si agatur de aggressione *actuali* (intellige sensu morali) et aggressio aliter vitari nequit, quia tunc non esset nisi legitima defensio. At secluso hoc casu hanc sententiam prorsus reiiciendam esse tenet Génicot (V. I, 381), nisi velimus damnationem 1ae propos. reddere prorsus inutilem fini quem intendebat Bened. XIV, qui omne duellum proprie dictum illicitum declarare intellexit.

713. — *Q.* Quaenam poenae in duellantes?

R. — In duellantes adsunt hae poenae: 1° Excommunicatio; 2° privatio sepulturae ecclesiasticae.

Quoad *excommunicationem*: «Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes, vel quamlibet operam aut favorem praebentes; illudque permittentes vel quantum in illis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, subsunt ipso facto excommunicationi Sedi Apostolicae simpliciter reservatae—Ipsi vero duellantes et qui eorum patrini vocantur, sunt praeterea ipso facto infames. **Can. 2351.**

Excommunicatio igitur plectit:

1. *Perpetrantes* duellum etiam sine patrinis.

2. Ad illud *simpliciter provocantes*, dummodo determinatam personam provocent; vel illud *acceptantes*. Provocantes et acceptantes poenam incurrunt ob *simplicem* provocationem et acceptationem, ideoque etiamsi provocatio non fuerit acceptata, vel post acceptationem duellum locum non habuerit, dummodo vera provocatio vel acceptatio adfuerit. At in provocatione vel acceptatione requiritur semper determinatio voluntatis; hinc si quis iniuria affectus in istanti, seu in actu primo-primi alium provocat ad duellum, et alter respondeat: accepto, censuram non incurrunt quia non est determinatus locus, tempus, arma, quia verba *ad illud simpliciter provocantes vel acceptantes* non denotant simplicem provocationem sine determinatione loci, temporis, armorum; determinatio enim praedictorum essentiam duelli attingit, unde illa verba significant provocantes, vel acceptantes cum designatione loci, temporis, armorum, licet duellum non acceptur, nec vel alia de causa non sequatur. — De Siena, Commentarius de Censuris.

2. *Complices*, quilibet sint, et quamlibet operam aut favorem praebeant, uti patrini, testes, qui consilium dant in causa duelli, qui litteras provocatorias dictant, scribunt, deferunt; vel qui scribi, deferri mandant, suadent; qui locum vel arma determinant, quique *in his se quomodolibet immiscent*. Poenam vero non incurrunt patrini vel testes qui accedunt animo duellum impediendi, nam duellum non favent, sed impediunt. Item poenam non incurrunt qui arma vendunt aut locant, dummodo pro arte et munere suo eas vendere vel locare omnibus soleant.

3. *De industria spectantes*, nempe qui, data opera, quasi incitatores assistunt; unde poenam incurrunt qui locum certaminis adeunt ut duellum dirimant cum primum alteruter vulneratus fuerit; vel certus ictuum numerus utrique illatus fuerit. — E contra non incurrunt qui assistunt a longe, vel secreto, vel obiter, vel casu aut curiositate ducti, nec qui, ubi duellum agitur *subito* excurrunt, nec qui ad locum conflictus se conferunt eo fine ut duellum impediant, quippe rem bonam praestant; aut si omnino impedire nequeunt, illud minus periculosum reddant, dummodo non se conferant illuc *ex condicto* ita ut animum duellantibus addant.— Inter *de industria spectantes* veniunt etiam *Medicus*, qui rogatus duello assistit cum intentione vulnera curandi, et *Confessarius*, qui

ex condicto in viciniam se receperit, quippe aliqualem favorem praestant; non venit vero medicus, aut confessarius qui cum praedicta intentione, duellantibus ignaris, prope latet [1].

4. Illud *permittentes*, seu non prohibentes uti domini locorum qui in terris suis locum dant ad duellum perpetrandum, vel qui sua auctoritate prohibere possunt et debent; unde poenam incurrunt non solum qui supremum obtinent dominium alicujus populi, uti reges, praesides reipublicae, aut eorum immediati ministri, sed etiam magistratus inferiores, qui duellum possunt et ex lege tenentur impedire, uti praefectus, qui regimen tenent politiae, duces exercitus, domini terrae. [2].

NOTA: Exceptis provocantibus et acceptantibus an ceteri delinquentes *accessorii* poenam incurrant nisi duello secuto, quaestio est; immo non incurrunt etsi duello secuto, si duellantes ficte commiserint, aut non jure duelli, quamvis hoc ipsos lateat, quia *nihil mutat existimatio delinquentis;* attamen propter conscientiam erroneam letali non carent [3].

Quoad *privationem sepulturae ecclesiasticae*, mortui in duello aut ex vulnere inde relato, ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa. **Can. 1240. 4°.**

ART. III.

De bello.

714. — *Q.* Quid est bellum, et est ne licitum?

R. Bellum definiri potest: *Congressio vi et armis inter principes vel respublicas superiorem non agnoscentes.* — Aliud est *aggressivum*, seu offensivum si fiat ad injuriam vindicandam, aliud *defensivum* si ad vim repellendam sustineatur.

Bellum, positis debitis conditionibus, licitum est; et conditiones requisitae tres sunt: ut indicatur

[1] S. C. S. O. 28 maij 1884.

[2] Verum hi quoque, si duellum prohibere nequiverint, culpae (eousque) expertes videntur. *D'Annibale*, Comment. 116, (22).

[3] *D'Annibale*, Ibid. *

* *Propositiones 5 de duello, damnatae a Benedicto XIV, Constitutione* Detestabilem, *10 nov. 1752.*

1. Vir militaris, qui nisi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carcere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.

2. Excusari possunt etiam, honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas dux, vel officialis militiae, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae et officii.

4. Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia magistratus, justitia aperte denegatur.

a publica et suprema auctoritate; — ut adsit justa causa; — ut fiat recta intentione, idest non ex odio, sed ex amore boni communis [1].

715. — *Q.* Licet ne bellare in dubio de justitia belli?

R. — I. Si agatur de bello *offensivo* Princeps, in dubio de justitia belli, non potest bellum indicere, nisi certus omnino sit de ejus justitia. — Si vero agatur de bello *defensivo*, et Princeps certus est partem adversam aequas postulationes facere, ipsi satisfacere debet; alias licite potest se defendere etiam cum sola probabilitate causae justae.

II. E contra milites subditi, nisi certi sint de ejus injustitia, possunt, imo tenentur obedire principi bellum indicenti; qui autem non sunt subditi, sed sponte nomen dant exercitui, nequeunt militare nisi prius de belli jnstitia certi sint.

Hinc qui bellum injustum indicunt tenentur in solidum de damno ab exercitu illato, cum sint causae principales. Et milites, in bello evidenter injusto, tenentur singuli de damnis quae ipsi, non ut milites, sed ut privati intulerint; de damnis autem a toto exercitu illatis tenentur singuli pro rata; nisi forte ex vi vel ex gravi metu ad belligerandum coacti fuerint [2].

716. — *Q.* Conscripti qui se a militia subtrahunt peccant ne?

R. — 1. Conscripti graviter peccant contra justitiam legalem si mediis illicitis se a lege militiae subtrahunt, quia leges latae in bonum publicum, modo justae sint, obligant in conscientia. Hinc peccant qui arte vel fraude officiales et medicos decipiunt ut ab hac lege liberentur.

2. Qui, ut a lege militiae liberi evadant, se mutilant, aut quomodocumque propriae sanitati grave detrimentum afferunt, praeter peccatum contra justitiam legalem, peccant etiam graviter contra 5um praeceptum Decalogi, quia homo nec membrorum suorum nec suae sanitatis dominus est.

3. E contra nullomodo peccat qui se a tali lege subtrahit quando lex injusta est, sive in se, sive ob peculiarem rationem respectu illius qui ab illa se subtrahit. Hinc Clericus qui, ex lege conscriptionis ad exercitum sorte vocatus, nec aliter se subtrahere valens, medicum pecunia impellit ut ad militiam ineptum eum declaret, non peccat, etiamsi per accidens aliquod damnum inde alteri juveni ejus loco substituendo obveniat; quia lex illa, quae clericum ad militiam cogit, prorsus injusta et nullius roboris est, ut patet ex prop. 32 a Pio IX in syllabo damnata, quae sic jacet: « Absque ulla naturalis juris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta ».

4. Qui vero juste ad militiam conscriptus est, et postea desertor evadit, per se tenetur ex justitia legali ad castra redire; imo si sponte ex contractu se militiae locavit redire tenetur ex justitia commutativa, et etiam ex virtute

[1] S. Alph., L. III, 402.

[2] S. Alph., L. III, 409.

religionis si juramentum praestitit. Dixi: *per se* ad castra redire tenetur; nam *per accidens* excusatur: 1° si bellum sit certe injustum, 2° si redeundo gravissimis poenis, v. g. morte, triremibus, esset puniendus; 3° si in castris vel inter sodales exponeretur graviori animae periculo quod aliter removere nequiret: non excusatur vero si ex fuga eisdem et forte gravioribus animae periculis exponeretur [1].

717. — *Q.* Conscripti, qui se a militia illicite subtrahunt, tenentur ne ad restitutionem?

R. — 1. Si lex omnes juvenes aptos ad militiam assumit, conscripti qui se a militia etiam injuste subtrahunt, ad restitutionem non tenentur, quia ex eorum fraude nemo damnum patitur.

2. Si lex non omnes, sed tantum quosdam sorte designatos ad militiam assumit, et conscripti se injuste oneri militiae subducentes causa sunt cur alii, qui exempti fuissent, eorum loco assumantur, tunc videndum est utrum illi a militia se subtraxerunt decipiendo tantum officiales vel medicos, an ipsos corrumpendo. — In 1° casu disputant Th. an ad restitutionem teneantur. Plures affirmant, quia singuli eximendi jus strictum habent ne talia media fraudulenta cum sui detrimento adhibeantur. Sed plures etiam non improbabiliter negant, quia non constat eximendos jus strictum habere ut sorte designati ad militiam proficiscantur; unde juxta ipsos miles sorte designatus, et fraudulenter militiae se subtrahens, peccat quidem contra justitiam legalem, non vero contra justitiam commutativam. — In 2° casu vero, nempe cum quis se subtrahit officiales vel medicos corrumpendo, Th. communiter affirmant eum ad restitotionem teneri, quia sicut officiales et medici, ex justitia non solum legali, sed etiam commutativa, judicium justum de habilitate conscriptorum proferre debent, ideoque ipsi ad damnorum reparationem ex violatione justitiae commutativae tenentur, ita etiam tenentur qui eos efficaciter ad injustam sententiam inducunt [2]. Non desunt tamen qui conscriptos etiam in hoc casu a restitutione excusant, quia omnino non constat hanc legem militiae obligare ex justitia commutativa, an tantum ex justitia legali, aut distributiva [3]. — Sed quidquid sit, *in praxi* non sunt cogendi ad damna compensanda, etiam quia plerumque sunt in bona fide, nec monitio profutura censetur.

718. — *Q.* Quid dicendum de medico qui petitam declarationem facit, et pecuniam accipit ac retinet?

R. — 1. Si conscriptus injuste ad militiam cogitur, medicus licite pecuniam accipere potest, et licite petitam declarationem facere, modo verba quibus utitur aliquem verum sensum habeant; v. g., licite dicere potest: — *liber est*, — *inhabilis* vel *ineptus est ad servitium militare;* nequit vero di-

[1] *Lehmkuhl*, I, 986; *Gury*, I, 747.
[2] *Gury*, I, 749.
[3] *Lehmkuhl*, I, 998; *Ballerini ad Gury*, I, 748 (*a*).

cere: ineptus est ob malam valetudinem, si haec bona sit. Item licite medicus moderatam pecuniam acceptam retinere potest; nam suam actionem, non debitam ex stricta justitia, poterat pretio moderato vendere utpote arduam et periculo non vacantem [1].

2. Si autem conscriptus injuste oneri militiae se subtrahit, medicus peccat pecuniam acceptando, quia contractus est de materia illicita, et proinde illicitus. — Quo in casu medicus, si ejus declaratio nondum executioni mandata sit, acceptam pecuniam restituere tenetur ei qui eam dedit, quia non habet titulum justum retinendi. Si vero ejus declaratio jam executioni mandata sit, utrum ad restitutionem teneatur, disput. Th. Alii affirmant, quia contractus de re illicita nullus est; sed alii negant, quia actio illa, etsi per se illicita, pretium tamen meretur qua est temporaliter laboriosa, ignominiosa et periculosa [2].

—

[1] *Ninzatti*, n. 409.

[2] S. Alph., L. III, 712; *Gury*, I, 670.

DE SEXTO DECALOGI PRAECEPTO

Non moechaberis. (Exod. XX, 14).

Quamvis sub hoc praecepto *non moechaberis* tantum exprimatur adulterium, quod proprie significat graeca vox μοιχεία, nihilominus omnis actus venereus extra matrimonium hoc praecepto vetatur.

Tribus capitibus haec dissertatio absolvitur: in 1° de luxuriae definitione, divisione et gravitate agemus; in 2° de peccatis luxuriae consummatae; in 3° de peccatis luxuriae non consummatae.

Monitum S. Alphonsi.

Nunc aegre materiam illam tractandam aggredimur, cujus vel solum nomen hominum mentes inficit. Sed cum haec sit frequentior atque abundantior confessionum materia, et propter quam major animarum numerus ad infernum delabitur: imo non dubito asserere ob hoc unum impudicitiae vitium, aut saltem non sine eo omnes damnari quicumque damnantur; hinc mihi opus fuit ad instructionem eorum, qui moralem scientiam cupiunt addiscere, ut clare (licet quo castissime fieri potuit) me explicarem et plurima particularia discuterem. — Oro tamen studiosos qui ad munus audiendarum confessionum se parant, ut hunc tractatum, quemadmodum et alium de debito conjugali, non legant nisi cum fuerint ad excipiendas confessiones jam proximi; legantque ob hunc unice finem, omnem prorsus curiositatem abjicientes, atque eo tempore saepius mentem ad Deum elevent, ac Virgini Immaculatae se commendent, ne dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur.

CAPUT I.

De luxuriae natura.

719. — *Q.* Quid est luxuria, et quomodo dividitur?

R. Luxuria est *inordinatus appetitus vel usus delectationis seu sensus venerei.* Unde omnis delectatio si non est venerea nec ad venerea ordinata, ad luxuriam non pertinet. Delectatio autem venerea, seu carnalis est ea quae oritur ex commotione spirituum generationi inservientium, et sentitur circa partes genitales [1].

[1] S. Alph., L. III, 415.

Luxuria dupliciter dividitur :

I. Alia est *perfecta* seu *consummata*, quae consistit in voluntaria humani seminis effusione extra conjugium ; et haec subdividitur in luxuriam *juxta naturam* et *contra naturam*, prout conditiones a natura pro generatione institutae servantur, vel non. — Alia est *imperfecta* seu *non consummata*, quae intervenit absque humani seminis effusione.

2. Alia est *directe volita*, quae expresse in se intenditur. — Alia *indirecte volita*, quae nempe non quidem intenditur, sed tamen praevidetur secutura ex actione quae ponitur.

720. — *Q.* In luxuria datur ne parvitas materiae ?

R. — I. In luxuria *directe volita* non datur parvitas materiae, ita ut omnis delectatio venerea extra conjugium, etiam levis, cum plena advertentia et consensu capta, est peccatum mortale; - ratio quia quaevis delectatio venerea, quae circa partes sentitur quae naturales vocantur, et ex commotione spirituum generationi inservientium oritur, est quaedam inchoata pollutio, seu motus ad pollutionem. Hinc damnata fuit ab Alexandro VII sequens propositio : *Est probabilis opinio quae dicit esse tantum veniale osculum ob delectationem carnalem et sensibilem quas ex osculo oritur, seculo periculo ulterioris consensus et pollutionis.*

II. In luxuria *indirecte volita*, datur parvitas materiae. Ita Th. communiter ; - ratio, quia in hoc casu consensus voluntatis non fertur in delectationem, sed in causam ex qua delectatio procedit [1].

721. — *Q.* Datur ne parvitas materiae in delectatione sensibili ?

R. — I. Si delectatio sensibilis oritur solum ex conformitate objecti sensibilis ad aliquem sensum, v. g. delectatio visus de re pulchra, auditus ex musica, etc., haec per se non est mala.

2. Si vero delectatio sensibilis seu naturalis oritur ex osculis, amplexibus, tactibus habitis ab adultis diversi sexus, ut si quis delectetur de contactu manus foeminae, prout de contactu rei lenis, puta rosae, panni serici et similium sine intentione libidinis, tunc an haec delectatio parvitatem materiae admittat, disput. Th. — *Prima sententia* cum S. Alph. negat, et putat sententiam affirmativam non esse practice probabilem, quia ob corruptam naturam est moraliter impossibile habere illam sensibilem delectationem, quin etiam sentiatur delectatio carnalis et venerea : unde *in praxi* tenet illam sensibilem delectationem, saltem ob occasionem et periculum consentiendi delectationi venereae, ut plurimum esse per se peccatum mortale [2]. — *Secunda sententia* vero affirmat [3]. Cl. Billuart haec habet : « Non peccat nisi venialiter qui aspicit pulchram mulierem, aut tangit ejus manum seu faciem, praecise propter delectationem mere organicam seu sensibilem, consistentem in qua-

[1] S. Alph., L. III, 415, 484.

[2] Nota : Aliud est aliquid agere *cum* illa delectatione sensibili, et aliud agere *propter* illam delectationem capiendam; primum licitum est ex justa causa, modo delectatio sit mere sensibilis et naturalis, et agens in ea non sistat; alterum illicitum est, quia sejunctum esse non potest a periculo incidendi in delectationem veneream. S. Alph., L. III, 416.

[3] *Frassinetti*, n. 150 (nota 59).

dam conformitate rei visae vel tactae cum organo visus vel tactus ; ita ut non sit aliud quam delectatio de re pulchra quae videtur, aut de re blanda, molli, tenera quae tangitur, absque alia cujuscumque rei turpis delectatione » (Th. M. L. III. n. 415). Et hanc sententiam Cl. Gousset (vol. I, 633) judicat probabiliorem.

Hinc confessarius absolute non arguet de mortali eos qui ista agunt. Siquidem etiamsi hujusmodi res sint valde periculosae, et ut plurimum causae certissimae peccati mortalis, quia facillime inde oritur carnalis delectatio, ut haec peragentes proruunt in delectationes venereas et pollutiones; attamen reperiuntur viri non ita sensibiles, qui obiter et transeunter haec peragentes, tantum periculum generatim non patiuntur. Quapropter Confessarius *in praxi* judicium proferet juxta effectus qui ducuntur ab illis actibus, et proinde arguens poenitentes qui de his se accusant, illis indiscriminatim non dicat ipsos peccare mortaliter; eveniet enim quod plurimi non se contineant, et iterum eadem peragendo peccent gravius ex mala conscientia. Certum est homines parum moratos ne suspicari quidem hujusmodi actus peractos absque intentione venerea esse peccata gravia; et quia cum hujusmodi conscientia ipsi agunt, certum est eos non peccare nisi venialiter,

Magni ponderis est auctoritas S. Alphonsi; ast plurimorum Doctorum auctoritas, qui contrarium tenent, non est spernenda. Neque abs re erit hic referre *pro praxi* ea quae exponit E.mus Gossuet insignium theologorum auctoritate suffultus :

« Aspectus, oscula, amplexus, tactus in partibus honestis ob solam delectationem organicam, sensibilem seu naturalem, non sunt mortalia, sed periculosa, magis minusve pro circumstantiis. Hinc nemo peccati mortalis damnat nutrices aut ancillas quae, delectationis sensibilis aut naturalis causa, reiecta intentione turpi, tangunt vel osculantur molles infantium carnes ».

«Diximus autem *periculosa*; nam ut nemo non sentit, facilis est a delectatione naturali ad veneream transitus, propter affinitatem utriusque delectationis. Aspectus, oscula, tactus, amplexus in partibus honestis, habiti ex levitate joco, curiositate, non excedunt peccatum veniale, si aliunde absit affectus libidinis. Hinc venialiter tantum peccat vir, qui hujusmodi causa, osculatur foeminam in facie, aut brachia contorquet, et similia. Ita et de foemina respectu viri » (vol. I, n. 636).

Audiatur etiam Gury: «Veniale non excedit, *per se* loquendo, tangere leviter et absque mora digitos, manus, vultum personae diversi sexus secluso pravo fine atque omni affectu et periculo libidinis, si haec, v. g., ex mera levitate fiant, nec periculum speciale ratione propriae vel alterius fragilitatis adnexum habeant » [1].

Haec vero non equidem exponuntur ut Confessarius indulgeat in hac materia tam lubrica cum suis poenitentibus; *indulgentia enim hisce in rebus certa occasio est ruinae spiritualis, ut experientia docet ;* sed tantum ut aliquando, cum necessitas urgeat aliquem absolvendi, sciat Confessarius quo-

[1] *Gury*, I, 416, 7°.

usque processerint graves theologi, et ipse propter necessitatem procedere possit. — Insuper haec notavimus, ne absolute de peccato mortali aliquem damnet, neque in conscientia peccati mortalis aliquem ponat, quando mortale peccatum non adest certo; quod semper diligenter vitandum esse nimis clare patet.

An vero dari possit ignorantia invincibilis circa peccata luxuriae, v. dicta n. 107.

CAPUT II.

De peccatis luxuriae consummatae.

ART. I.

De peccatis luxuriae consummatae juxta naturam.

722. — *Q.* Quaenam sunt peccata luxuriae consummatae juxta naturam?

R. Peccata luxuriae consummatae juxta naturam quatuor specie diversa recensentur: fornicatio, ad quam reducitur etiam meretricium et concubinatus; adulterium; stuprum; incestus.

§ 1°

De fornicatione

723. — *Q.* Quid est fornicatio, et quodnam peccatum?

R. Fornicatio est *concubitus soluti cum soluta ex mutuo consensu.*

Fornicatio esse peccatum mortale de fide est; definitum enim fuit in Clementina: *Ad Nostram*, titulo de Haereticis in Conc. Viennensi contra Beguardos et Beguinos.

Est autem peccatum mortale non solum jure divino positivo sed etiam jure naturae, quod, si non de fide divina, ut nonnulli contenderunt, saltem fidei proximum est [1], quum natura ordinet copulam tantum ad matrimonium, quo non solum proles generari, sed etiam educari possit. Nec obstat, ait S. Th. [2], si aliquis fornicando provideat proli de educatione; quia id quod cadit sub legis determinatione, judicatur secundum id quod communiter accidit, et non secundum id quod in aliquo casu potest accidere.

724. — *Q.* Fornicatio inter sponsos induit ne diversam speciem peccati?

R. Disput. Th. Alii affirmant de utroque sponso; alii solum de sponsa; alii vero satis probabilius de utroque negant, quia neuter jus in corpus suum alteri adhuc tradidit [3].

725. — *Q.* Quid est meretricium, et quodnam peccatum?

R. Meretricium est *status mulieris quae parata est, ob mercedem, omnibus copiam facere sui corporis.* Meretricium per se non mutat speciem simplicis fornicationis; sed quum meretrices indifferenter cuilibet viro et quovis modo corporis sui copiam facere

[1] V. Mayol., vol. 14, Curs. Comp., p. 537.

[2] 2a 2ae, q. 154, a. 2.

[3] S. Alph., L. III, 847. — In Dioec. Neapolitana incurrunt *excommunicationem* Ordinario reservatam « Sponsi et sponsae, post contracta sponsalia coram Parocho vel alio Sacerdote delegato, et nondum soluta, carnalem inter se copulam habentes; necnon parentes qui aut copulam, etiam una vice, aut cohabitationem sponsorum impia indulgentia permittunt ». — Casus IX secundae classis.

paratae sint, et reapse faciunt, earum peccata per omnes fere luxuriae species vagantur.

Meretrices incapaces sunt absolutionis, nisi prius domum turpitudinis deseruerint, et praecesserit vera emendatio prudenti experientia probata. Imo, si emendatae jam sint, etsi absolvi possint, ad Communionem tamen non sunt admittendae, nisi prius scandalum datum debite reparaverint.

726. — *Q.* Meretrices permittendae ne sunt?

R. Disput. Th. — Alii affirmant cum S. Augustino et Angelico; - ratio, quia sic majora mala, uti adulteria, sodomiae, etc. impediuntur. — Alii probabiliter negant, ob rationem contrariam, nempe quia majora mala non solum non impediuntur, sed augentur. — Ceterum etsi forte permitti possint, permitti tamen non debent nisi in magnis urbibus, idque sub certis conditionibus ad removenda scandala [1].

727. — *Q.* Quid est concubinatus, et quodnam peccatum?

R. Concubinatus est *frequens fornicatio cum una eademque muliere domi vel alibi retenta.* Quod si alter eorum sit conjugatus tunc habetur concubinatus adulterinus.

Concubinatus est peccatum gravius simplici fornicatione, licet sit ejusdem speciei; quia praeter peccatum fornicationis continet voluntatem perseverandi in peccato.

Concubinarius vero, ex Trid. [2], si ter admonitus concubinam non ejecerit, incurrit excommunicationem, sed ferendae sententiae. [3]. Contra clericos autem idem Concilium statuit ut post *primam* monitionem priventur tertia parte fructuum beneficii (nomine *fructuum* non veniunt distributiones quotidianae): ita ex declaratione S. C. C.; post *secundam* priventur pensionibus, et beneficii administratione; post *tertiam* ipso beneficio; dein excommunicentur.

728. *Q.* Concubinarius potest ne absolvi?

R. — 1. Si concubina *domi non manet*, concubinarius absolvi nequit nisi per tempus judicio confessarii notabile ad eam non accesserit, cum firmo proposito nunquam amplius accedendi.

2. Si vero concubina *domi manet*, et concubinarius eam expellere potest, nunquam absolvi potest nisi prius reapse eam expulerit. Quod si expellere nequit ob aliquam gravissimam circumstantiam, nempe infamiae, damni notabilis, etc., tunc absolvi potest semper ac per media opportuna occasio proxima reddatur remota, et scandalum reparetur [4].

NOTA: Circumstantiam meretricii et concubinatus *per se* non est necessario explicanda in confessione: est tamen necessaria *per accidens*, ut confessarius statum poenitentis et genus occasionum agnoscat.

—

[1] S. Alph., L. III, 434.

[2] Sess. XXIV, de ref. matr. cap. VIII.

[3] Verum, in Dioec. Neapolitana, excommunicationi *latae sententiae* speciali modo Ordinario reservatae sunt obnoxii: « Qui postquam legitimum Matrimonium contraxerunt in faciem Ecclesiae, proprium coniugem relinquunt, quacumque causa vel praetextu, et vivunt cum alia persona uti coniuges ». — Casus III primae classis.

[4] S. Alph., L. III, 435.

§ 2°

De adulterio.

729. — *Q.* Quid est adulterium, et quodnam peccatum?

R. Adulterium est *copula habita cum persona conjugata.* Dicitur *simplex* si est accessio soluti ad conjugatam, vel conjugati ad solutam; *duplex*, si est accessio conjugati ad conjugatam.

I. Adulterium est gravissimum peccatum et contra castitatem et contra justitiam, etiamsi adsit consensus mariti; - ratio, quia per adulterium injuria irrogatur non solum conjugi, sed etiam proli et generationi. Unde Innoc. XI damnavit propositionem: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium.*

II. Adulterium duplex, seu conjugati cum conjugata, duplicem injustitiam includit; - ratio, quia jura utriusque tori violantur: unde est circumstantia in confessione aperienda.

§ 3°

De stupro.

730. — *Q.* Quid est stuprum et quodnam peccatum?

R. Stuprum sensu lato est violatio seu oppressio cujusvis foeminae, etiam viduae aut alias corruptae; sensu stricto est *illicita virginis defloratio, ipsa invita.* — Dixi: *ipsa invita*; quare si virgo est consentiens, erit tantum fornicatio simplex, nec est circumstantia in confessione aperienda. Potest tamen aliunde esse peccatum specie diversum, nimirum ratione infamiae, vel moeroris parentum, vel rixarum, odii, etc [1].

I. Stuprum sive sensu lato sive sensu stricto sumptum, specialem habet malitiam necessario in confessione aperiendam; - ratio, quia praeter peccatum contra castitatem continet etiam peccatum contra justitiam, ob gravem injuriam invitae illatam.

II. Ad crimen stupri sufficit etiam violentia moralis et interpretativa; - ratio, quia haec quoque est semper vera violentia.

III. Utrum vero stuprator virginis debeat confiteri circumstantiam violatae virginitatis, disput. Th. Multi negant, quia malitia stupri probabilius consistit tantum in violentia illata, non in violatione integritatis virginalis.

731. — *Q.* Mulier vi ab impudico oppressa tenetur ne clamare?

R. Mulier vi ab impudico oppressa 1° certe tenetur pro viribus resistere nec quiescere potest. — 2° Si clamor non censetur profuturus, certe non tenetur clamare, quia ad inutile nemo tenetur; semper tamen debet omni vi oppressorem repellere. — 3° E contra si clamor censetur profuturus, certe clamare tenetur si adsit periculum consensus [2]. — 4° Secluso vero hoc periculo consensus, ut evenire potest si agatur solum de tactibus, mulier valde probabiliter non tenetur ad clamandum, si adsit periculum notabilis damni, vel infamiae, vel nimiae verecundiae; quia tunc, si aliter jam resistat quantum potest, non tenetur cum tanto suo incommodo vim repellere. Excipe tamen, ut dixi, si sit in proximo periculo consentien-

[1] S. Alph., L. III, 443.

[2] S. Alph., L. III, 430.

di in copulam, ob experientiam anteactam, vel ob sui cognitam fragilitatem; tunc enim utique clamare tenetur ad se liberandum ab illo congressu [1].

§ 4°

De incestu.

732. — *Q.* Quid est incestus, et quotuplex?

R. Incestus est *concubitus cum persona affinitate, vel cognatione conjuncta inter gradus prohibitos* pro matrimonio.

Porro cognatio triplex est: *carnalis* quae oritur ex copula, et dicitur proprie *consanguinitas*; *spiritualis*, ex Baptismo et Confirmatione; et *legalis*, ex legali adoptione. Quinam autem sint gradus prohibiti, vide *de Matrimonio* ubi *de impedimento cognationis et affinitatis.*

733. — *Q.* 1° Incestus quodnam peccatum est; 2° omnes incestus sunt ne ejusdem speciei?

R. Ad 1um. Incestus praeter peccatum contra castitatem habet etiam gravem malitiam contra pietatem; quia graviter repugnat reverentiae parentibus et aliis personis conjunctis debitae.

Ad 2um Certum est quod incestus inter consanguineos vel affines, inter cognatos spirituales, et inter cognatos legales specie differunt inter se. — An vero incestus inter affines specie differat ab incestu inter consanguineos disput. Th. Sententia probabilior negat, quia uterque incestus fundatur in conjunctione sanguinis.

Item certum est quod peccatum incestus gravius est quo propinquior est gradus consanguinitatis vel affinitatis, sicut etiam multo gravior est incestus cum consanguinea, quam cum affine in eodem gradu; v. g. gravior est cum sorore quam cum nepte, gravior cum sorore sua quam cum sorore uxoris; item gravior cum affine quam cum cognata spirituali vel legali.

An vero omnes incestus cum consanguineis sint *ejusdem speciei* tres adsunt sententiae. *Prima* tenet omnes incestus cum consanguineis usque ad quartum gradum esse diversae speciei; ideoque omnes gradus in confessione esse explicandos. *Secunda* e contra tenet omnes incestus esse ejusdem speciei, excepto primo gradu in linea recta; - ratio, quia commixtio conjugalis inter alios consanguineos tantum ab Ecclesia est vetita, non vero jure naturali, per quod solummodo differentia specifica constituitur. *Tertia* demum cum secunda concordat, sed excipit primum gradum, non solum in linea recta, sed etiam in transversali. Et quoad primum gradum lineae rectae haec sententia, uti communis, videtur omnino tenenda. Imo recte docent plures Th. explicandum esse an pater peccaverit cum filia, et an cum matre filius, cujus culpa habet diversam malitiam ratione specialis reverentiae debitae. Quoad ceteros gradus consanguinitatis haec tertia sententia dicit incestum specie non differre, sed gradum propinquiorem inducere circumstantiam tantum aggravantem. Prima sententia, concludit S.Alphonsus,

[1] Attamen *in praxi* ante factum consulendum est clamare, sive ut se liberet a periculo consensus, qui semper timendus est, sive quia clamando timere non debet periculum infamiae.

est minus probabilis, secunda et tertia aeque probabiles videntur [1].

734. — *Q.* Confessarius rem habens cum filia spirituali, vel parochus cum parochiana committit ne incestum, ideoque est ne circumstantia in confessione explicanda ?

R. Quoad confessarium disputant Th., sed sententia probabilior negat ; - ratio, quia nec est incestus, dum inter illos nulla intervenit cognatio ; nec est sacrilegium ex hac sola circumstantia, dum nulla injuria Sacramento irrogatur.

Quoad parochum disputant etiam Th. Sed plures recte advertunt ipsum peccantem cum tali poenitente peccare etiam contra ustitiam, cum ex justitia teneatur suas oves pascere non solum verbo, sed etiam exemplo [2].

De sacrilegio vid. dicta n. 539.

ART. II.

De peccatis luxuriae consummatae contra naturam.

735. — *Q.* Quaenam peccata luxuriae consummatae contra naturam ?

R. Peccata luxuriae consummatae contra naturam quatuor recensentur : pollutio ; sodomia; bestialitas, et concubitus inordinatus inter conjuges. De hoc ultimo dicetur in Tr. *De matrimonio,* ubi *de usu* matrimonii.

§ 1°

De pollutione.

736. — *Q.* Pollutio quid est, et quodnam peccatum ?

R. Pollutio, seu *mollities*, quae a medicis *masturbatio* appellatur, est *seminis effusio sine congressu cum alio*, et alia est directe alia indirecte voluntaria [3].

I. Pollutio directe voluntaria est per se peccatum grave ex toto genere suo, et in ea non datur parvitas materiae ; et est peccatum gravius quam fornicatio, cum sit contra naturam. Quare Innoc. XI. damnavit propos. quae dicebat : *Mollities jure naturae prohibita non est.*

II. Pollutio indirecte volita, quae nempe praevidetur, saltem in confuso, secutura ex aliqua nostra actione, non est peccatum si causa est per se licita et ex justa ra-

[1] S. Alph., L. III, 448; L. VI, 470. In dioecesi Taurinensi *incestus inter consanguineos in primo gradu* est casus reservatus primae Classis; et *incestus inter consanguineos in secundo gradu, vel inter affines in primo gradu,* est casus reservatus secundae Classis. Reservatio afficit incestum tantum cum consanguinea vel affine carnali, etiam non legitima, non vero spirituali vel legali. Requiritur vero copula perfecta et completa et in vase naturali cum cognitione consanguinitatis vel affinitatis.

[2] S. Alph., L. III, 451.

[3] Quum in maribus completae venereae delectationis causa sit decisio et effusio seminis, patet veram pollutionem in pueris impuberibus dari non posse; mollitiem tamen incompletam admittere et ipsi valent vel a teneris annis, ita ut eorum pollutio quoad malitiam nihil differat a pollutione adultorum.

In foeminis vero licet hodie communiter receptum sit nullum adesse semen proprie dictum, sed tantum humorem quemdam vaginalem, peccato tamen mollitiei pollui possunt, dum per tactus aut turpes imaginationes humorem suum cum completa venerea delectatione in cavitate uteri, aut etiam foras effundunt, ita ut pollutae habeantur quoties magnum expertae sint sensum voluptatis, qua completa, satiatae sunt et quiescunt.

tione posita; secus est peccatum et quidem grave vel leve, prout causa est in genere luxuriae graviter vel leviter illicita.

Pollutio directe voluntaria duplex est: una quae dicitur *simplex* et unam tantum habet malitiam; altera quae dicitur *qualificata*, et haec, praeter malitiam pollutionis, aliam habet adnexam malitiam vel ex parte objecti cogitati, vel ex parte personae pollutae vel polluentis. Hinc pollutio qualificata habet malitiam *sacrilegii* si fiat ab habente votum castitatis; *adulterii*, si a conjugato; *fornicationis*, si fiat cum desiderio peccandi cum alia persona, addita malitia juxta qualitatem personae concupitae; *sodomiae*, si fiat cum desiderio coëundi cum persona ejusdem sexus.

Quod si quis polluitur tactibus alienis, et non adest affectus ad sexum, sed tantum ad pollutionem, sufficit confiteri: *habui pollutionem tactibus alienis*, nec oportet ut explicet an tactibus viri vel foeminae. Explicandum vero est si facta sit tactibus conjugatae, vel votum castitatis habentis [1].

737.—*Q.* Distillatio quid est, et est ne peccatum?

R. Distillatio est *fluxus humoris quasi medii inter urinam et semen.*

Distillatio venerea, vel cum notabili spirituum commotione, si voluntaria, est mortalis nisi vitetur, sicut vitanda est pollutio. Si vero fiat absque sensu et commotione, poterit *permitti* uti emissio alterius excrementi; sed ipsam directe et data opera procurare nullo modo a mortali excusari potest [2].

738. — *Q.* Quaenam regulae ad cognoscendum an et quatenus luxuria *indirecte volita* (quod praecipue evenit in pollutione indirecte voluntaria) peccatum sit?

R. Th. sequentes regulas tradunt:

Reg. 1ª. Si actio ex qua secutura praevidetur pollutio est per se honesta, et a fortiori si necessaria vel utilis, et in quovis casu simul adsit justa causa eam ponendi, nullum omnino erit peccatum, dummodo: 1° pollutio non sit intenta; 2° nec adsit consensus, aut periculum consensus.— Hinc licet alios alloqui, aut amplexari mulieres juxta morem patriae, servire in balneis, equitare causa utilitatis et etiam recreationis, decumbere aliquo situ ad commodius quiescendum, cibos aut potus incalescentes moderate sumere, et honestas choreas ducere. — Item, etiam praevisa pollutione (intellige semper involuntaria) licet confessariis audire confessiones mulierum, ac legere tractatus de rebus turpibus. — Licet medicis aspicere vel tangere partes foeminae aegrotantis, ac studere rebus medicis. — Licet ei qui patitur in verendis magnum et valde molestum pruritum, ortum ex acrimonia sanguinis, illum tactu abigere. Attamen monendi sunt qui puritatem amant ut, quantum moraliter est possibile, ab hujusmodi tactibus se abstineant [3]. — Cete-

[1] S. Alph., L. III, 467; Hom. Ap. T. IX, 29.

[2] S. Alph., Hom. Ap. Tr. IX, 39.

[3] Foeminae cuidam infirmitati subjectae sunt, qua vere excruciantur. Haec infirmitas est quidam violentus pruritus in verendis, qui aliquoties est pollutionis occasio, nam foemina quae illum patitur necesse habet sibi aliquod solamen procurare. Confessarius has foeminas magna indulgentia tractare debet, et respectum habere earum infirmitati. Ut autem cognoscere certe possit an ille pruritus in foemina sit vera

rum de hisce tactibus specialis quaestio fiet inferius n. 748.

Reg. 2ª. Si actio illa est mala, sed non in genere luxuriae, etsi mortalis sit in genere suo, uti ebrietas, comestio carnis nimis immoderata, pollutio nonnisi venialis censenda est, quum causa leviter tantum in illam influere videatur. Ita Th. communiter.

Reg. 3ª. Si actio illa est mala et quidem in genere luxuriae, sed leviter tantum in pollutionem influit, uti colloquium non diuturnum cum puella, levis aspectus, tactus, vel curiosa lectio leviter turpis, pollutio est tantum venialis, excepto casu quo actio praedicta, etsi leviter per se, respectu tamen talis personae graviter in pollutionem influat. Ita Th. communius et probabilius.

Reg. 4ª. Demum si actio illa mala in genere luxuriae per se graviter in pollutionem influat, uti diuturnum colloquium cum puella inordinate dilecta, vel cogitationes morosae, vel actus, tactus, aspectus, lectio, auditio, locutio graviter turpis, tunc si actio illa ponitur sine justa causa pollutio secuta grave est peccatum [1].

739. — *Q.* Quid de pollutione: 1° in somno secuta; 2° vel in somno incoepta et consummata in vigilia?

R. Ad 1um. Pollutio habita in somno est peccatum: 1° si fuerit antea directe vel formaliter procurata, et causa non fuerit retractata; 2° si post somnum placuit et approbata est propter delectationem venereamm [2]. — Seclusis his casibus non est peccatum, quia nec directe nec indirecte voluntaria.

Ad 2um. Quoad pollutionem in somno incoeptam, et consummatam in vigilia, distinguendum est: Si persona est *in vigilia solum semiplena*, et aliquam experitur delectationem, non peccat nisi venialiter, ex defectu plenae advertentiae et perfecti consensus. Si autem est *in plena vigilia*, tunc, si absit consensus in delectationem et proximum consensus periculum ex praeterita experientia, persona non tenetur pollutionem cohibere; sive quia difficillimum est cohibere effusionem seminis jam e lumbis decisi, sive quia non tenetur illam impedire cum periculo morbi ex semine corrupto retento; et in eo casu illam pollutionem non vult, sed mere patitur. Expedit tamen tunc signo crucis se munire, mentem ab illa delectatione avertere, ac SS. Nomina Jesu et Mariae ferventer invocare, ne ullum lapsum permittant [3].

infirmitas, quam propterea tactu abigere licet, vel potius motus extraordinarius libidinis, quem idcirco fricatione extinguere illicitum est, esset enim directe et proxime pollutionem procurare. Cl. Debreyne, olim celeberrimus medicus Parisiensis, postea religiosus trappensis, sequentem regulam prudentissimam in re adeo periculosa exhibet: — Confessarius ante omnia a muliere requirere debet num, quando illum pruritum abigere curat, pollutionem contra intentionem aliquando patiatur an non; nam si pruritus ortum habet ex quadam infirmitate, seu ex acrimonia sanguinis, ex tactu diminuitur quidem, sed penitus non extinguitur; e contra si pruritus ex ardore libidinis provenit, ex tactu, si pollutionem passa sit, statim quiescit et cessat. *Méchialogie*, chap. 1, art. I, § 1, sect. VIII. — De hac re vide etiam inferius dicenda n. 749.

[1] S. Alph., L. III, 484.

[2] S. Alph., L. III. 485.

[3] S. Alph, L. III, 479. — Attamen hodie omnes medici conveniunt nullum esse timendum periculum pro sanitate ex semine non expulso; quinimo expe-

740. — *Q.* Quomodo cognosci potest an adfuerit consensus in pollutionem ?

R. — 1. Si poenitens fatetur quod nec manibus usus est, nec naturae aliquem impulsum praebuit, consensus non est praesumendus.

2. Si vero poenitens dicat se naturae impulsum dedisse, aut manibus usum fuisse, tunc de consensu non est dubitandum; exceptis duobus casibus, qui sedulo a Confessariis prae oculis haberi debent. Primus casus impulsum, secundus manuum usum respicit.

Quoad impulsum itaque considerari debet quod interdum vis naturae est tanta, ut motus non solum in partibus genitalibus, sed etiam in toto corpore accidant et rem ad suum terminum perducant, quin voluntas ullo modo deliberate concurrat. Tunc itaque impulsus erit quidem physicus sed non deliberatus, illique motus erunt quidem in corpore, sed ex voluntatis imperio seu consensu minime provenientes.

Quoad manuum usum, interdum accidere potest quod non propter delectationem, sed propter aliquam necessitatem (v. g., ad munditiem procurandam vel ad pruritum sedandum) partibus genitalibus manus applicentur, et tunc praeter intentionem pollutio accidat. Accidere etiam potest quod manus actu primo-primo et prorsus indeliberato illuc accedant; et, quamvis statim amoveantur, pollutio subsequatur. — Haec, repeto, prae oculis habeant Confessarii, ne illos pios poenitentes, qui ex una parte, sive ex seminis abundantia sive ex quibusdam aliis morbis, huic miseriae assidue subjiciuntur, et ex alia parte sensum cum consensu confundunt, de peccato mortali indiscriminatim damnent et in desperationem conjiciant. — *In praxi*, ad distinguendum an aliquis ex his poenitentibus de culpa incusandus sit necne, prodest eum sic interrogare : Cognovisti ne te male facere, et nihilominus eras ne sic dispositus ut in corde tuo quasi diceres: quamvis hoc sit malum, illud facere volo ? Huic interrogationi poenitens respondere potest affirmative, aut negative, aut sub dubio. In primo casu judicandum erit adfuisse consensum; in secundo non; in tertio conscientiam poenitentis fuisse obnubilatam et confusam, ita ut peccatum mortale minime adfuerit [1].

dit etiam ad corporis sanitatem pollutionem cohibere aut impedire, illis praesertim qui frequenti pollutione extenuantur. Negant pariter medici adesse semen corruptum : nam, si quae pars seminis ex vasis seminalibus in urethram pervenit, aliquo modo defluit; altera vero pars remanet eo *modo* et eo *loco*, quo erat antea.—Vid. *Capellmann*, Med. Past., p. 79; *Aertnys*, L. III, 219, 4°; *Génicot*, I, 400, 3°; *Marc*, 798.

[1] Magnam anxietatem interdum ostendunt piae foeminae dicentes : mihi videtur quod libentius cum viris quam cum foeminis immorer; et quod libentius apud ordinarium meum confessarium quam apud alium confessionem faciam.— Item pii Sacerdotes interdum dicunt in confessione: mihi videtur quod libentius mulierum quam virorum confessiones audiam, et quod quasdam materias libentius audiam aut legam quam alias.

Q. Credendum ne est quod isti sic affecti delectationibus carnalibus consentiant ?

R. Si personae istae carnalibus delectationibus consentire in aliis occasionibus non consuescant, et si ex necessitate vel convenientia et cum debita discretione praedictis actionibus incumbant; si demum fateantur quod a motibus carnalibus (si forte insurgant) ab-

741. — *Q.* Licet ne gaudere de pollutione sine peccato secuta?

R. Si pollutio secuta sit via naturali et omnino sine peccato, licet de ea gaudere; modo quis non gaudeat de causa, sed solum de effectu secuto, scilicet de exoneratione. Imo licitum est ob finem honestum, v. g., minuendae tentationis, procurandae sanitatis, vel tranquillitatis animi, simplici affectu optare spontaneam et naturalem exonerationem naturae, modo desiderium illud non sit causa efficax pollutionis. Attamen haec desideria simplicia et inutilia suo periculo non carent [1].

§ 2°

De sodomia.

742. — *Q.* Quid est sodomia et quodnam peccatum est?

R. Sodomia, sic dicta ex habitantibus urbis Sodomae, qui huic vitio indulgebant, est *concubitus cum persona ejusdem sexus; vel cum persona diversi sexus, sed in vase indebito.* Prima dicitur *perfecta*, secunda *imperfecta.* — Vocatur etiam *paederastia*, quia ordinarie cum pueris exercetur.

Sodomia est peccatum multo gravius simplici pollutione, sicut patet ex pluribus locis S. Scripturae, in quibus dicitur quod Deus illud vitium vehementius abominatur, et propter illud quinque urbes ipse consumpsit. Sodomia autem specie differt a simplici pollutione.

Ex dictis sequitur: — 1° Quod coitus masculi cum masculo, foeminae cum foemina est *perfecta* sodomia, in quacumque corporis parte fiat congressus; quia ordinarie semper adest affectus ad indebitum sexum; et ideo non est opus in confessione explicare an pollutio fuerit intra vel extra vas praeposterum, sed sufficit confiteri: *peccavi cum persona ejusdem sexus*, ut confessarius judicet adfuisse sodomiam cum pollutione; si vero non adfuerit pollutio, debet explicari. — 2° Coitum viri in vase praepostero mulieris esse sodomiam *imperfectam*, specie distinctam a perfecta. Si quis autem se pollueret inter crura aut brachia aut in ore mulieris, duo diversa peccata committeret, unum fornicationis inchoatae, alterum contra naturam. — Qui sodomitice propriam uxorem cognoscit, probabilius et communius adulterium etiam committit, quia est contra fidem datam; et ex communi sententia contra paucos, explicare debet sodomiam se commisisse cum propria conjuge. — Censet autem S. Alph. quod relate ad sodomiam in confessione omnino explicandum sit an quis fuerit agens aut patiens (quamvis per se non mutet speciem peccati, ut ait Billuart), quia in agente multo facilius adest pollutio quam in patiente. Item si sodomia fuit per vim, aut cum conjugata, aut

horrere nituntur; tunc nullum adesse consensum judicandum erit. Rectissime scripsit cl. Ballerini ad Gurv, I, 173 (a): « Quod quis propensius versetur etc., id non deliberatae delectationis indicium est, sed humanae infirmitatis; et licet rejiciatur delectatio qua appetitus inferior sollicitatur, hoc non impedit quominus infirma natura ad ejusmodi magis quam ad alias materias versandas inclinetur »; et notat quod haec infirmae naturae inclinatio in iis qui proprias passiones sub fraeno tenere solent, vividior esse consuescit. *Berardi*, Praxis, n. 277, 278.

[1] S. Alph., L. III, 480.

cum consanguineo, vel habente votum castitatis; quia specie differt [1].

743. — *Q.* Quaenam poenae in sodomitas?

R. Laici de sodomia convicti ex jure canonico excommunicandi sunt, et declarantur infames. Clerici vero privantur omni beneficio, officio et privilegio clericali: sed requiritur ut sodomia sit perfecta; ut sit consummata, seu cum seminatione intra vas; ut sit frequentata, seu usu continuata. Has poenas probabilius etiam patiens incurrit. Communius vero et probabilius docent Th. ad has poenas requiri sententiam judicis saltem declaratoriam criminis [2].

§ 3°

De bestialitate.

744. — *Q.* Quid est bestialitas?

R. Bestialitas est *coitus cum bruto;* ipsa detestabilior est quam sodomia. Imo est maximum peccatum in genere luxuriae, quia prae ceteris legem honestatis conculcat; unde in V. T. reus hujus peccati morte afficiebatur. *Qui coierit cum jumento morte moriatur.* (Exod. 23, 19). Non oportet autem explicare an bestia fuerit mas vel foemina, ut communiter docent Th., quia tota hujus criminis deformitas est in accessu ad speciem diversam [3].

CAPUT III.

De luxuria non consummata.

745. — *Q.* Quinam actus luxuriae non consummatae, et quodnam peccatum sunt?

R. Ad luxuriam non consummatam pertinent omnes actus qui ad eam perficiendam animum incitant ac promovent. — Praecipui sunt aspectus, turpiloquia, tactus, amplexus, oscula; quibus choreae adduntur et theatra.

I. Isti actus, aliquando mortales, aliquando veniales, aliquando sine culpa sunt. — Ex triplici capite *mortales* esse possunt: *ex objecto,* si est graviter turpe, vel notabiliter ad venerea excitans; *ex fine,* si finis est ad capiendam delectationem veneream; *ex periculo* praeviso prolabendi in turpia, vel in delectationem veneream assentiendi. — Seclusis hisce tribus casibus, culpam venialem non excedunt; imo ab omni culpa vacant, si justa causa fiant.

II. Actus luxuriae non consummatae, quatenus peccaminosi, sunt ejusdem speciei ac actus luxuriae consummatae; - ratio, quia attingunt objectum in suo esse individuali. Ideoque isti actus, uti oscula, amplexus, tactus, etc., quando peccata mortalia sunt, in confessione explicandum est utrum habiti cum simili sexu an diverso, cum persona libera an conjugata, vel consanguinea, vel sacra, etc. [4].

[1] S. Alph., L. III, 466, 463.
[2] S. Alph., L. III, 472.
[3] S. Alph., Hom. Ap. T. IX, 27.
In dioecesi Taurinensi *pessima et horrenda scelera bestialitatis* aut *sodomiae tum activae tum passivae* sunt casus reservati secundae Classis. Sed pro reservatione requiritur ut scelus sit perfectum et consummatum.
[4] S. Alph., L. III, 417.

ART. I.

De aspectibus et turpiloquio.

746. — *Q.* Aspectus impudici quodnam peccatum sunt?

R. — 1. Aspectus impudici habiti ex venerea intentione, aut sine justa causa cum delectatione venerea, sunt peccata mortalia; - ratio, quia in primo casu finis est graviter malus, et in secundo delectatio est graviter illicita.

2. Secluso affectu venereo, et scandalo, aspectus impudici sunt peccatum grave vel leve, prout objectum est per se graviter vel leviter malum, vel prout periculum consensus est grave vel leve.

3 Aspectus impudici, si fiant sine desiderio, verius non induunt speciem objecti, seu personae quae aspicitur; unde in confessione non est explicanda qualitas personae aspectae, v. g. an nupta, vel sacra, etc.; - ratio, quia aspectus non violat personam, et ex se tendit tantum remote ad concubitum [1].

Hinc: Aspicere partes inhonestas *proprii corporis*, si fiat ex curiositate tantum aut levitate, secluso scandalo et periculo consensus venerei, venialem culpam non excedit; secus si fiat cum animo venereo.

Aspicere verenda personae *ejusdem sexus*, si non adsit periculum consensus, non est de se mortale, nisi aspiciens esset valde propensus ad sodomiam, vel nisi morose et delectabiliter aspiceret pulchrum adolescentem nudum.

Aspicere verenda personae *diversi sexus* videtur non posse excusari a mortali, propter gravem indecentiam et proximum periculum consensus venerei, nisi forte aspectus fiat e loco valde longinquo, et ita obiter ut nullum periculum delectationis adsit.

Aspicere *partes minus honestas* mulieris, sed non turpes, uti pectus, brachia, crura, secluso periculo lapsus, et modo aspectus non sit diuturnus, de se non est mortale; sed si aspectus sit deliberatus et diuturnus, aut si aspiciens sit ad venerea valde proclivis, difficillime a mortali excusabitur.

Aspicere *partes honestas* personae pulchrae *diversi sexus*, v. g. vultum, per se nulla est culpa, praecisa curiositate. Sed *in praxi* raro excusari potest a veniali, nisi fiat ex urbanitate debita, aut alia justa causa. Si autem aspectus sit diuturnus est venialis, et etiam mortalis si proximum sit periculum turpis concupiscentiae, vel morosae delectationis, quae procul dubio aderit si in aspiciendo adfuit commotio spirituum.

Aspicere *concubitum humanum* procul dubio est mortale: *brutorum* vero valde periculosum, unde nulli permittendum nisi tantum iis quibus incumbit animalia conjungere ad generationem, modo absit in ipsis periculum consentiendi in turpia [2].

Aspicere *picturas obscoenas* ex mera curiositate Th. dicunt non esse mortale, si absit periculum turpis delectationis; sed vir morose aspiciens mulieris pudenda depicta nuda vel levi velo tecta, nescio quomodo a mortali excusari possit. Qui autem pingunt vel exponunt hujusmodi picturas,

[1] S. Alph., L. III, 421.

[2] Parentes in conjunctione animalium curent ne adsint infantes et juvenes.

gravissimo peccato scandali delinquunt, cum adolescentes ad libidinem valde provocent. Et idem dicendum de iis qui eas domi retinent expositas omnium aspectui [1].

747. — *Q.* Turpiloquium, seu verba obscoena, quodnam peccatum est?

R. — 1. Verba obscoena per se non sunt mortalia, si proferantur ex ira aut joco, prout solent messores, vindemiatores et muliones.

2. Verba obscoena si sint nimis lasciva, aut si proferantur cum delectatione de ipsis rebus turpibus, vel cum gravi audientium scandalo, peccatum mortale sunt. — Scandalum autem ut plurimum adest si hujusmodi verba dicantur coram puellis aut pueris, et maxime si quis se jactet de aliquo peccato turpi, quo in casu tripliciter ordinarie peccat: quia gloriatur de re mala; quia magnum praebet scandalum; quia de facili sibi complacet de peccato patrato.

Audientes autem verba turpia peccant si illa non impediunt, cum impedire debeant vel possint sine gravi incommodo; vel audiunt cum delectatione turpi; vel cum periculo consensus.

Art. II.

De tactibus, osculis et amplexibus.

748. — *Q.* Tactus impudici quodnam peccatum sunt?

R. — 1. Tactus impudici, extra matrimonium, ob delectationem veneream habiti, sunt peccatum mortale; - ratio, quia finis est graviter malus.

2. Tactus impudici si fiant sine fine venereo et sine periculo consensus, sed ex necessitate vel alia rationabili causa, v. g. ad abstergendas sordes corporis, non sunt peccatum ne leve quidem; - ratio, quia illi tactus in tali casu non sunt a recta ratione difformes.

3. Tactus impudici in corpus alienum, quando peccaminosi sunt, tunc peccatum ejusdem speciei sunt ac actus consummati; - ratio, quia attingunt objectum in suo esse individuali.

Hinc, tactus verendorum *proprii corporis*, si fiat sine justa causa et cum commotione spirituum, non excusatur a mortali. E contra esset tantum venialis si ex curiositate vel ex levitate fiat, modo absit turpis delectatio, aut ejus periculum, et fiat obiter et non repetitis vicibus, quia alias jam adest periculum. Imo ne venialis quidem erit si talis tactus ex justa causa fiat, absque malo fine.

Tactus nudi verendorum *alterius corporis*, maxime si diversi sexus, etiam sine affectu venereo habiti, vix unquam excusantur a mortali, ob gravem indecentiam, et periculum delectationis venereae. Si quis autem alterius verenda super veste tangeret, nec etiam excusatur a mortali, nisi tactus fiat leviter et non ex proposito, neque per aliquod notabile temporis spatium.

Ancillae probabiliter excusantur a mortali tangentes pudenda puerorum, dum illos vestiunt, nisi cum mora aut carnali delectatione hoc agant. — Notant vero gravissimi auctores ab his tactibus, ex levitate interdum factis, vel ad pueros solandos, saepe ori-

[1] S. Alph., L. III, 424; Hom. Ap. T. IX, 8. 9.

ri jam a tenera aetate funestissimum masturbationis habitum.

Medici vero ac chirurgi tangentes ex necessitate pudenda personae, etiam diversi sexus, non peccant, esto per accidens involuntariam pollutionem patiantur. Hoc speculative verum est, ait S. Alph., utinam tamen practice medici in his jugiter non peccarent!

Tangere autem genitalia brutorum, secluso periculo delectationis venereae, ordinarie non est nisi veniale, nisi talis tactus usque ad pollutionem bruti fiat [1].

Tactus impudici *inter sponsos* non licent; pudici vero in partibus honestis, juxta aliquos probabiliter liciti sunt, si ex iis tantum intenditur delectatio sensitiva, secus si venerea. At S. Alphonsus cum aliis dicit quod haec sententia *in praxi* non est probabilis, quia ordinarie semper aderit certum periculum consentiendi in delectationem veneream cum sensitiva tam conjunctam [2].

749. — *Q.* Quid de tactibus ad pruritum ex sanguinis acrimonia provenientem abigendum?

R. Si nulla commotio carnalis suboriatur, qui illum sic abigunt nihil mali faciunt. Hinc si quis in verendis patitur magnum pruritum non venereum, potest illum tactibus abigere et extinguere, etiamsi improviso sequatur pollutio, modo non sit intenta, et absit periculum consensus. Si tamen sit tolerabilis pruritus, insinuandum est ut a tactibus, quatenus possint sine gravi molestia, abstineant: idque propter periculum, quod in posterum suboriri potest, maxime si agatur de puellis. Ceterum, ait S. Alph., non facile credatur quibusdam puellis quae se polluere solent praetextu hujusmodi ardoris; nam si diligenter examinentur, cognoscitur ille pruritus multoties potius excitatus fuisse vel a pravis cogitationibus praehabitis, vel a pravo habitu contracto se tangendi [3].

Si autem commotio carnalis suboriri soleat, tunc casus magna prudentia dignus esse potest. Sciendum est, sic cl. Berardi, quod aliquae foeminae, acrimoniam hujusmodi *interius* sentientes, eosdem pene faciunt actus quos facerent si se polluere vellent; unde res eo devenit ut vehementi delectationi aperte consentiant, aut saltem maximis conscientiae turbationibus perpetuo subjiciantur. Si forte itaque confessarius intelligat quod de actu adeo periculoso res sit, illum impedire pro viribus curabit; imo semper ac commotio carnalis adest, non solum de onere rem detestandi admonebit, sed etiam operam dabit ut misera foemina potius aliis mediis pruritum extinguere satagat.

Sed qualia sunt media ista? Hac in re, prosequitur cl. Berardi, medicum valde doctum consului, qui mihi sequentia dixit: Pruritus hujusmodi duas causas habere solet; prima et communior est defectus munditiei; secunda est inflammatio uteri, ex quo fluxus (medice *gonorrea*, vulgo *floresalbi*) procedit. In primo casu frequentes lotiones cum simplici aqua juvabunt. In secundo autem

[1] S. Alph., L. III, 419, 420; Hom. Ap. T. IX, 3.

[2] S. Alph., L. VI, 855.

[3] S. Alph., Hom. Ap. T. IX, 13.

remedia radicalia sunt 1° balnea; 2° potio aquae ferruginosae [1].

750. — *Q.* Oscula et amplexus quandonam peccatum sunt?

R. — **1.** Oscula, amplexus, compressiones manuum et similia non obscoena, si fiant ex justa causa, nempe causa officii, aut moris patrii, aut amoris honesti, vel benevolentiae augendae, non sunt peccata, etiamsi delectatio venerea suboriatur, modo in eam non consentiatur.

2. Si vero fiant sine justa causa, sed ex aliqua vanitate, joco, curiositate, levitate, petulantia, imo etiam cum delectatione naturali, dummodo non cum delectatione venerea, venialem culpam non excedunt.

3 Si autem oscula, etiam habita ex more patriae, habeantur cum mora et ardore, juxta Croix et S. Alph., *ordinarie* sunt mortalia: et idem dicendum de osculis in ore, vel si quis ore linguam alterius excipiat [2].

Art. III.

De choreis et theatris.

751. — *Q.* Quid de choreis?

R. — **1.** Choreae inter personas etiam diversi sexus, *per se*, seclusis pravis circumstantiis, non sunt illicitae; ratio, quia ex se sunt actus non libidinis, sed laetitiae. Unde quando ss. Patres eas interdum valde reprehendunt, loquuntur de turpibus et de earum abusu.

2. Choreae si fiant gesticulationibus inhonestis, vel pravo fine, vel cum periculo alios vel se ipsum ad libidinem excitandi (quod *in praxi* valde timendum est) vel cum alia circumstantia mala, illicitae sunt.

3. In choreis honestis apprehendere de more manum mulieris, si absit prava intentio, vel non est culpa, vel ad summum venialis [3].— Quod si fiat pravo affectu, culpa erit gravis vel levis pro pravitate affectus, vel pro gravitate periculi consensus in peccatum.

Confessarius tamen *in praxi* curet pro viribus ut poenitentes a choreis se abstineant, quia si non sunt malae in se, tales fiunt vel ratione inhonesti vestitus, vel ratione modi inhonesti quo saepius ducuntur, aut saltem sunt semper valde periculosae, praecipue inter personas diversi sexus.

[1] *Berardi*, 296. Balnea (nempe usque ad medium corpus) tempore aestivo in aqua simplici et tepida, videlicet minime frigida. Aliquod lenimentum etiam ex balneis exiguis (ope panniculi aqua aceto tincta madefacti) haberi poterit.

Aqua ferruginosa vulgo *marziale*, *del Pejo*, *civilina*. Hae duae ultimae sumi debent ter in die paulo ante comestiones in dose 33 gr. singulis vicibus. — Etiam pulvis ferreae buccella ter pariter in die sumpta bonum effectum habere solet.

Haec indicare volui quia ex una parte bonum spirituale non raro clamat ut hujusmodi morbo remedium apponatur; et ex alia frequenter accidit quod virgines pudicae variis de causis medicum consulere nequeant. - Hae itaque notitiae prudentibus Confessariis utiles esse poterunt. Dixi *prudentibus*: certe enim de praedicto fluxu inquisitiones facere non debent; et quando intellexerunt munditiem servari et morbum nihilominus subsistere, jam de hac re agi satis intellexerunt.

Si demum praedicta remedia (v. g. per mensem adhibita) nihil prosint, tunc medicus necessarius est; non ita tamen ut puella pudica visitationes (a quibus forte quam maxime abhorreat) acceptare teneatur, ut alias notavi. *Berardi*, ibid.

[2] S. Alph, L. III, 417.

[3] S. Alph., L. III, 429.

752. — *Q.* Quid de theatris et spectaculis?

R. Theatra et spectacula per se non sunt mala nec proinde illicita, quia nulli legi sive naturali sive positivae adversantur. Sed illicita esse possunt ratione periculi. Unde si in ipsis repraesentantur argumenta quae nimis cupiditates, maxime amoris, accendant; vel in quibus habentur gestus lascivi; vel mulieres non sunt ad modestiam compositae, tunc illicita sunt, et quidem graviter si res per se sit graviter inhonesta, vel adsit proximum periculum pravae delectationis: et tunc nemo nec ad animi solatium iis interesse potest [1].

Merito autem docet Bened. XIV clericos et religiosos non posse comoediis turpibus interesse sine scandalo gravi; et merito Th. propter scandalum aliorum damnant de mortali eos qui pecunia aut plausu cooperantur ad hujusmodi comoedias notabiliter turpes; eos qui illas impedire tenentur, aut commode possunt, et non impediunt; et a fortiori qui illas repraesentant. Gravissime quoque peccant qui theatralia componunt incitantia ad turpia, vel ad inhonestos amores.

[1] Histriones si parati sunt ad res quascumque, etiam turpes, aut alias quavis ratione illicitas repraesentandas, absolvi non possunt; secus si in repraesentationibus non utantur verbis aut factis illicitis.

APPENDIX

DE REMEDIIS CONTRA LUXURIAM, ET DE REGULIS PRO CONFESSARIIS

753. — *Q.* Quaenam praecipua remedia ad luxuriam compescendam?

R. Praecipua remedia ad luxuriam compescendam alia sunt *spiritualia*, alia *naturalia;* illa, opitulante gratia divina, voluntatem roborant viresque animae augent; ista immediate carnem effringunt, et consequenter concupiscentiam compescunt.

Remedia *spiritualia* alia sunt *negativa*, quae consistunt in removendis concupiscentiae incitamentis, prout occasio, lubrica spectacula, choreae et saltationes impudicae vel saltem periculosae, lectio librorum pravorum maxime qui vocantur romanenses (*romanzi*), licentia sensuum praesertim oculorum, intemperantia, et maxime familiaritas cum personis diversi sexus [1]. — Alia sunt *positiva*, quae consistunt in adhibendis armis quibus carnis stimuli retunduntur, vires animae augendo ad pugnam; qualia sunt vigilantia cordis, meditatio novissimorum, consideratio Passionis Christi maxime sero ante somnum, elevatio mentis ad Deum in tentationibus, oratio fervens, invocatio SS. Nominum Jesu et Mariae, sincera humilitas, consideratio vanitatis vitae humanae, frequentissimus confessionis et Eucharistiae usus, tentationum confessario sincera patefactio, et alia hujusmodi, quae confessarius pro diversitate tum poenitentium tum tentationum opportune praescribere curabit [2].

Quoad remedia *naturalia* vero,

[1] Si puella peccet propter familiaritatem aut amicitiam cum aliquo juvene, confessarius observet an occasio sit necessaria vel voluntaria. Si occasio est *necessaria*, etiam cura est difficilior, maxime si amor intercedat, prout accidit in puella quae cum amante peccet. In hoc casu fere unicum remedium esse solet ut matrimonium quo citius fieri possit concludatur, et interim puella absolute procuret ut mater vel soror praesens sit omni tempore quo juvenis cum ipsa permanebit. Si vero occasio est *voluntaria* seu *libera*, tunc puella juvenis praesentiam omnino et firmiter fugere debebit, dicendo ei v. g. quod parentes non sunt contenti, quod dicteria timentur, etc. Interdum illam vel illam domum aut illum vel illum locum deserere oportebit, ad bonam paroeciam vel domum honestam emigrando. *Berardi*, Praxis, 1121.

[2] Cognita vera causa mali, Confessarius totus in eo erit ut illam destruat vel diminuat. Oportet tamen ut vires tum physicae tum morales poenitentis, aliaeque circumstantiae considerentur. — Exempla:

Titia solet se polluere, et causa pollutionis neque in occasionibus externis, neque in pravis cogitationibus, neque in morbo aliquo physico, sed in sola libidine reponi debet. In hoc casu remedium particulare esset maceratio cor-

ut confessarius illa suggerat, poenitentes in quatuor classes secernere juvabit.

poralis, nempe jejunium, cilicium, flagellationes et vigiliae. Sed, si Titia esset paupercula, vel debilis, vel parum fervens, vel conjugata, vel gravida, vel lactans, etc., remedia ista adhiberi non possent. Attamen poenitens alia remedia adhibere poterit, nempe: — 1° insurgentibus motibus venereis graviter periculosis (praeter remedium generale jam supra indicatum orationis et praesentiae Dei) mutare situm; scilicet (si sit in lecto) vertere se prompte ad aliud latus (maxime evitando situm supinum), et rosarium vel sacrum numisma collo appensum manu tenere. Melius autem esset si surgeret aliquantulum sedens in lecto, vel etiam e lecto prosiliens. Interdum tamen media ista non juvant, solumque pro effectu habent ut motus carnales diutius durent et persona dormire non possit: quo casu solum ea ad quae stricte tenetur adhibere debebit. Porro stricte tenetur: tum animo suo repugnare; tum honeste se componere, si forte sive manibus sive situ, vel alio modo incompositum se reperiat. Alia autem (saltem ordinarie) ad cautelam dumtaxat bonumque consilium pertinere possunt. Si autem pollutiones diurno tempore committantur, maxime juvat fugere a loco ubi persona tentatur, et se distrahere. — 2° Juvare solent defatigationes, et solum quando somnum valde urget lectum petere, et mane cito surgere.—3° Recolendum est etiam consilium Apostoli dicentis: « Melius est nubere quam uri ».

Si causa pollutionum (prout fere semper accidit) reponenda sit in pravis cogitationibus, tunc cura principalis illas pro objecto habebit. Proposita, examina, preces etc., ad illas eliminandas dirigantur; quovis tempore, et speciatim insurgentibus motibus carnalibus, magno conatu expellantur, et mens ad pias et salutares cogitationes convertatur. Maxime vero oportebit ut otium declinetur. Attamen remedia quoque supradicta (si proximum pollutionis committendae periculum adsit) adhibeantur.

Si mulier peccet propter occasiones satisfaciendi necessitatibus corporalibus, v. g. propter menstrua atque ad se lavandam, tunc Confessarius non utique poterit interdicere ei ut a necessariis

Prima classis illorum est qui per intervalla communes libidinis tentationes experiuntur, quorum

abstineat; secus enim alia et forsan pejora mala provocarentur. Attamen jubebit ut cito se expediat et modestiam (quantum fieri potest) adhibeat. Ablutionibus vero, quae non ob menstrua seb ob alias minoris momenti causas peraguntur, abstineat; vel saltem easdem ad paucas vices reducat.

Si causa in uteri inflammatione reponi debeat, curandum summopere ne ad extinguendum pruritum manus adhibeantur. Balnea potius aliaeque medicinae adhiberi deberent. Si non juvarent, ad medicum (intellige chirurgum) recurrendum esset; et si de illius honestate certo citius non esset fidendum, mulier non sola sed alia comite ad illum se conferat.

Sed quid de *hysterismo*? Hysterismus est magna (ex aliqua uteri infirmitate) nervorum debilitas, unde quidquid minimum sufficit ut persona perturbetur, terreatur et quaquaversus abnormissime procedat. Propter phantasiae perturbationem, quae nullius momenti sunt enormia videntur; et omnia mirum in modum exaggerantur et transversim accipiuntur, vel omnino finguntur. Status hujusmodi est dementiae proximus; imo interdum in veram dementiam degenerat. Sicut aliae res omnes, ita etiam ea quae ad venerem spectant maximam impressionem faciunt; unde speciatim si persona sit naturaliter libidinosa, motus carnales adeo vividi evadere possunt, ut tandem in veram nymphomaniam (seu maniam veneream) degenerent; quo in statu misera infirma viros apprehenderet, coram ipsis se denudaret, aliaque faceret quae ad illam in manicomio occludendam cogerent. Rebus ad hujusmodi excessum deductis, utique persona culpae capax non esset; sed in aliis consuetis hujusce morbi stadiis reatus admitti debet. Confessarius tamen cautissime procedat, ne loco diminuendi morbi vim, acrioribus correctionibus illam adaugeat. Deambulationes, laetas distractiones, alimenta substantiosa consulat; medici balnea maritima praescribere, et curam potassiae adhibere solent.

In casu obsessionis diabolicae, si usus aquae benedictae non sufficiat, exorcismi adhiberi debebunt. Caeterum si mulier sit hysterica, non facile ejus dictis

scilicet ob seminis abundantiam, vel sensuum fortuitam perceptionem, vel daemonis incitamentum aut alia de causa, organa immediate moventur, vel sopita concupiscentia ab erotico aliquo phantasmate excitatur. — Cum hujusmodi tentationum auctor non voluntas sit sed naturae corruptae infirmitas, ut patet quoad personas pias, cura facilior evadit. In primis vel ab exordio tentationis animo virili pravae delectationi consensum denegare; si motus leves sint, eos contemnere sine positiva resistentia, quae saepe tentationem augeret; in incoepto opere insistere; ad aliena animum convertere, quia hoc est positive resistere; partes commotas vestibus tegere et comprimere; e loco stationis surgere vel paululum deambulare; cum socio confabulare; molestum laborem operare, et alia id genus.

Secunda classis illorum est qui ab intrinseco vehementiores et fere continuos motus patiuntur, ita ut minima scintilla magnum incendium in eis producat; quod et in personis reperies quidem honestissimis, sed nimis sanguineo seu erotico temperamento affectis. — Ad coërcendam hujusmodi indomitae carnis petulantiam, enumeratis remediis et haec adjicienda: fuga quam solers occasionum, temperantia et sobrietas quam maxima, lectus rudis, somnus brevis, idest non longior quam par sit corpori reficiendo, frigida balnea, labor manualis aut exercitatio laboriosa prouti venatio, deambulatio frequens, pilae ludus, rusticatio, castigatio corporis moderata, et demum continua occupatio mentis, et similia.

Tertia classis eorum est qui effraenata libidine laborant, quae physica et fere invincibilis propensio ad venerem dicenda videtur, quaeque a medicis, si de maribus agitur, *satyriasis* (quasi satyros faciens), si de foeminis, *nimphomania* seu *furor uterinus*, vocatur. Utriusque naturam in cerebri et plexus (*collegamento*) nervorum irritatione sistere ajunt; causas vel morales, puta eroticas lectiones, vel mere physicas assignant. Infelices caelibes isti, velint nolint, tota fere die et nocte foetidissimis impudicitiae cogitationibus, phantasmatibus et desideriis occupantur, carnalem copulam continuo violenterque appetunt, quin unquam, si cedant, satiari possint; ita ut, si venere priventur, in rabiem eroticumque delirium agantur, pudorem omnem, praesertim foeminae, abjiciant imo ut bruta animalia saepe istae se gerant, et ad foeditates quam horribiles se convergant. De cetero non abs re erit hic cum celebri et christiano medico praemonere nuperum confessarium quod non semper cogitationes, desideria, ipsosque actus impudicos horum infelicium caelibum tribuendos esse

credendum erit; quamvis enim diceret Daemonem in forma viri sibi apparuisse, et haec vel illa ei dixisse aut fecisse; vel in se ipsa hoc vel illud phenomenon (v. g., uteri tumescentiam, lactis ab uberibus egressum etc.) accidere; contingere potest quod ex phantasia (sicut in dementibus accidit) haec omnia procedant. Adde inclinationem maximam, cui personae hujusmodi subjici solent, decipiendi alios (quidquid vix credibile perpetrando et sufferendo) ut commiserationem inveniant. Certitudo absoluta obsessionis in his personis habetur solum quando facta supernaturalia (quae nullo modo ab illis ipsis procurata esse possint) testibus fide dignis patuerint. *Berardi.* Praxis, 1121.

omnino voluntatis malitiae, cum interdum tantus sit fervor libidinis, maxime ob irritationem cerebelli et dorsualis spinae (quod ex gravitate et calore permanenti occipitis dignoscitur), ut hi actus contra voluntatis conatus saepe evenire experientia testetur.—Ad curandam vero bestialem libidinem istam, remedia jam supra declarata adhibenda sunt efficaciori, ut ita dicam, modo quam pro classe secunda. Quae si non sufficiant applicandi sunt occipiti panniculi frigida aqua madidi (*pezzette diaccie*), efficienda est emissio sanguinis a pede, fricationes aridae (*freghe secche*) hinc et inde a spina dorsuali, aspersiones frigidae, quotidie etiam duo balnea frigida in aqua ex furfure frumenti (*crusca*) vel ex spinacia, et alia hujusmodi, quae in casu a medico aptius quaeres.

Quarta classis est illorum qui in nefandissimo vitio volutantur, quod onanismi *solitarii*, seu *mollitiei* vel *masturbationis* seu *manstuprationis* (quasi manu turbare vel stuprare) nomen sortitum est, et quod, ait Toletus, est adeo universale, ut crediderim maximam partem damnatorum hoc infici peccato. Hoc vitium apud pueros et adolescentes utriusque sexus magis vigere indubium est; ita ut a teneris saepe annis onanistae miserrime inveniantur, vel quia fortuito aut aliena manu concupiscentiam mali semel experti sunt, vel quia istud ab aliis sunt edocti. Quos turpissimum hoc vitium producat effectus, in adolescentibus praesertim utriusque sexus, nemo est qui nesciat, quales praecipue sunt: lassitudo, debilitas, incessus delumbis, labiorum et genarum pallor, immobilitas, encephali dolores, sudores nocturni, facies emaciata, convulsiones, sensuum omnium maxime visus hebetudo, caecitas, fatuitas, tabes pulmonica, debilitatio intelligentiae et memoriae, et demum perpetuus in venereum pruritus; ex quo fit ut in tentiginem pronae partes quavis occasione impetum concipiant, et non raro, apud utriusque sexus individuos, continuus fere ex genitalibus fluxus, etiam praeter omnem voluntatem, sine pudentis tentiginis et veneris impulsu; ita tamen ut in foeminis frequenter sit aegriusque tollatur quam in viris. Quorum effectuum cum causa sit non tantum semen deperditum sed maxime convulsivi motus quibus idem emittitur, et qui resolvendo vires necessario enervant, rationem habes cur effectus isti et producantur in individuis utriusque sexus nondum ad pollutionem apti, et cur masturbatio in foeminis perniciosior evadat. — Cum difficillima sit horum curatio, in hoc maxime exercendus est zelus confessarii. A moralibus propterea et spiritualibus remediis, ut supra, incipienda est onanistarum curatio; at si haec naturam mollitiei assuetam non transmutent, vel, reluctante etiam voluntate, per somnum aut secus masturbatio continuis et repetitis vicibus fiat, ad physica etiam remedia recurrendum est; et si vigilantia, exhortationes et sobriae vitae regula, prout dictum est de aliis, non sufficiant, recurrendum est ad manicas, ad compedes, ad subuculas rusticulas integrum corpus obvolventes, ad coriaceas vel metallicas zonas et alia a medicis exquirenda. Interea duo prae oculis habeat confessarius: pri-

mo quod miseri onanistae, adolescentes vel puellae (et istae quam maxime), difficillime confitentur peccatum istud etiam quum per aliqua signa evidenter patet, et proinde quod multa opus est sagacia ad illud detegendum, neque multum credendum denegationibus etiam repetitis poenitentium istorum; secundo, quod licet physica vel mechanica media supra enunciata efficaciter juvent, minor tamen eorum virtus videtur, ubi voluntas perversa ad libidinem continuo tendit; quam propterea voluntatem moralibus considerationibus et spiritualibus auxiliis roborandam esse, quoad fieri potest, nemo non videt [1].

754. — *Q.* Quaenam regulae pro confessariis quoad materiam sexti praecepti?

R. Has regulas teneat Confessarius:

1. Valde cautus sit in interrogando de materia luxuriae, praesertim cum mulieribus, adolescentibus et pueris, qui multo facilius scandalum pati possunt. Quot enim infelices poenitentes, ob incautam confessarii interrogationem aut explicationem, innocentiam et animam perdiderunt!

Hinc nunquam exquiratur a pueris vel puellis, qui de tactibus impudicis se accusant, an adfuerit seminis effusio; cum his *enim melius est deesse* in materiali integritate confessionis, quam esse causam ut apprehendant quod nondum noverint, vel ponantur in curiositate ea addiscendi. Imo ne a foeminis quidem petendum est an adfuerit hujusmodi effusio. Pollutae cognoscuntur cum, etiam sine ulla effusione, ex vehementi organorum commotione magnum (majorem vel minorem, ratione complexionis) experiantur sensum voluptatis, qua completa, partes commotae satiantur et quiescunt [2].

Cum conjugatis autem absque gravi causa nunquam mentionem faciat de debito conjugali; et satis erit, ubi res postulet, mulierem interrogare, num debitam marito fidem et obedientiam in omnibus praestiterit (plura hac de re dicentur in Tr. *de matrimonio*).

2. Sedulo servanda est regula ab omnibus admissa: *In materia luxuriae multo melius est in pluribus deficere, quam in uno superabundare ratione integritatis confessionis.* In dubio igitur an in tali casu interrogare possis vel debeas, pro parte *negativa* semper standum erit; minus enim malum est deesse integritati materiali confessionis, quam incurrere animae perdendae periculum.

3. Confessarius, etsi mitissime poenitentes excipere et cum eis agere debeat, oportet tamen, quantum possibile est, ut in hac materia omnem adhibeat severitatem, cum in re tam labili nulla cautela unquam nimia aestimari debeat, et plures opiniones, quae *speculative* loquendo sunt probabiles, *in praxi* improbabiles evadunt [3]. Hinc confessarius ubi plura et multiplicia peccata mortalia; et Confessarios hac in materia indulgentes magnam animabus afferre perniciem. Quapropter toties quoties rigor potest adhiberi, est adhibendus.

Dixi: *toties quoties potest adhiberi*; nam cum accedunt poenitentes qui praecipites in peccata ruunt, pluribus ab

[1] *Ciolli*, Direttorio pratico, 134, 5°.

[2] S. Alph., L. VI, 1075.

[3] *De rigore necessario a Confessariis adhibendo ut immunes servent animas poenitentium a peccatis turpibus.* — Cum homines sint proclives in venerem, docet experientia etiam causas leviter influentes eos trahere ad

riculum poenitentium inspicit, licet actionem quam illi vellent perpetrare de certo peccato mortali damnare non valeat, tamen nullo modo permittat. Hoc medici animarum est, praesertim respectu

annis male habituati, si ab ipsis exigatur maxima accuratio in vitandis omnibus occasionibus non graviter influentibus, denegando ipsis absolutionem si secus fecerint, tunc vel monita spernentes, vel emendationem desperantes recedunt, et in coeno peccatorum profundius labuntur. Proinde ab his poenitentibus non est exigendum nisi id quod exigi debet ex communi doctorum sententia; et interim iis permitti necesse est quod frustra prohiberetur; vel cujus negatio eos arceret a confessione. Hoc modo facilius Confessarius eos trahet ad conversionem; praesertim si obtinuerit quod saepe saepius, quantum fieri poterit, ad ipsum redeant. Cum autem viderit eos melius dispositos, et sensum timoris Domini intimius percipere, sensim ab eis ulteriora exiget quae facilius tunc poterit obtinere.

Cum vero agitur de poenitentibus bonae vitae, et maxime si vitam spiritualem ducant, eos omni nisu avertet a qualibet indulgentia in hac materia tam lubrica, per quam si quis confidenter incedit, utique inclamandum est: *Qui stat, videat ne cadat.* Proinde Confessarius eos deterreat ab omni aspectu, lectione, conversatione, spectaculis, choreis, etc., etsi non graviter periculosis. Videbit in praxi necessitatem hujusmodi rigoris, ut in casta vita perseverent.

Insuper majori rigore uti debebit quoad animas quae vitam prorsus spiritualem aggrediuntur, ut sunt juvenes utriusque sexus qui se Deo dicare volunt se recipiendo in sacras Congregationes, vel etiam remanentes in saeculo suis in familiis; praecipue vero juvenes qui sacerdotio initiari exoptant. Hi, nisi vitam prorsus angelicam in adolescentia et deinceps peregerint, nimis periculose sacros Ordines suscipient. Ut autem vitam prorsus angelicam ducant, necesse est ut ab omnibus se abstineant quae aliquo modo passionum sensus fovere possint. Juvenes etiam utriusque sexus qui sacras Congregationes ingrediuntur, etsi in iisdem votum perpetuae castitatis non emittant, paulo minus ac Sacerdotes integerrima castitate egent; et etiam illi qui in saeculo permanent multis occasionibus labendi obnoxii, valde caute incedere debent, praesertim puellae, ut Deo perpetuum praestent famulatum in omnibus operibus religionis et pietatis. Experientia docet juvenes et puellas Deo devotas, nisi pericula etiam remota quoad fieri potest effugiant, in bono castimoniae proposito non perseverare, et etiam levibus in occasionibus, in quibus voluntarie versantur, aliquando graviter labi. Hi omnes muniri debent frequentissima sacrae Eucharistiae perceptione, ad quam non satis parati judicabuntur, nisi studeant immaculatam vitam ducere ab omnibus sordibus, et sordium periculis. Ab ipsis igitur exigi debet ut se abstineant a visu moroso cujuscumque pulchritudinis, gratiarum, aliarumque illecebrarum humanarum creaturarum, et ab omnibus affectionibus quae possunt oriri ab hujusmodi vanitatibus, etsi nil sordidum in seipsis patiantur. Si secus fiat, passio sensim sine sensu eorum corda permeando, ipsos a vera pietate avertet; et, frigescente caritate, in gravia etiam peccata ipsi labentur.

Hoc adhibito salutari rigore, Confessarius eos liberabit a multis tentationibus, ipsique vitam magis tranquillam ducent; et etiam remanentes in saeculo, angelicae conversationis exempla dabunt, sanctificationem assequentur, et aliorum quoque saluti prospicient.

Sacerdotes qui muneri audiendi confessiones sedulo incumbunt, non poterunt dubitare de veritate sententiae S. Remigii dicentis omnia alia vitia simul sumpta non conjicere in damnationem tot christianos quot conjicit sola luxuria; proinde vel maxime adlaborabunt ut castos eos servent. Insuper cum experientia doceat tantummodo, generatim loquendo, magno inservire Ecclesiae bono qui perfectam castitatem profitentur (ex his enim omnes Sacerdotes et Religiosi; ex his omnes puellae quae sacras Congregationes ingrediuntur; ex his pii laici, qui maxime promovendis bonis operibus incumbunt), Confessarii zelo religionis instructi magnam diligentiam adhibebunt ut juvenes utriusque sexus, qui pietatem colunt et morigeram vitam ducunt, bonum perfectae castitatis doceant, eosque, si pronos inveniant, ad perfectam

eorum qui in vitio turpi habitum in praeterito habuerunt; his enim non solum proximas occasiones vitare, sed etiam remotas opus erit; alias ob fragilitatem contractam semper in idem recident, cum in hac materia, ad quam homines naturaliter sunt proni, de facili a minoribus ad ulteriora mala progrediantur [1].

castitatem servandam adhortentur. Hi quidem facilius perfectionem christianam assequentur, et bono religionis vel maxime inservient. Quod tamen Confessarii non praestabunt, nisi, omnibus praejudiciis prorsus ablegatis quae contra hanc virtutem vulgo obtinuerunt, zelum prospexerint quo Sancti Ecclesiae Patres ad perfectam castitatem extollendam usi sunt, ita ut pene omnes ad hoc ediderint libros; et insuper, nisi ipsi Confessarii hanc virtutem magno amore prosequantur, et vitam prorsus angelicam ducere adnitantur. Caro carnem gignit; spiritus spiritum; angeli nonnisi ab angelis procreabuntur. *Frassinetti*, n. 160, nota 62.

[1] S. Alph., Hom. Ap. T. IX, 36.

DE SEPTIMO DECALOGI PRAECEPTO

Non furtum facies (Exod. XX, 15).

Hoc Decalogi praeceptum est formaliter *negativum*, et prohibet ne proximo damnum quoquo modo inferamus per violationem alterius juris seu per injustitiam aut furtum. Ut vero virtualiter et implicite *affirmativum*, praecipit rei alienae restitutionem.

Quatuor hujusce tractatus erunt partes: 1ª de justitia et jure, seu de modo acquirendi dominium jure naturae ac jure civili; 2ª de modo acquirendi dominium voluntate privata, seu de contractibus; 3ª de violatione alterius juris, seu de injustitia et furto; 4ª de reparatione juris violati, seu de restitutione tum in genere tum in specie. — Accedit specialis Appendix de dominio Ecclesiae in bona temporalia, et de usurpatione, emptione, retentione, etc. bonorum ecclesiasticorum.

Materia hujus praecepti inter praecipuas Theologiae Moralis partes merito adnumeratur, tum *propter amplitudinem materiae*, quae omnia jura et officia complectitur quibus humanae societatis membra invicem devinciuntur; tum *propter difficultatem quaestionum* quae hanc materiam attingunt; tum *propter frequentiam casuum*, qui confessario solvendi occurrunt, sive in confessionibus sive in consultationibus. Quamobrem, optime advertit Cl. Gury, in hac potissima tractatione versanda ferventi oratione assiduoque studio utendum est.

PARS I.

DE JUSTITIA ET JURE

(seu de modo acquirendi dominium jure naturae ac jure civili)

Hujus dissertationis capita tria sunt: 1. *de justitiae et juris natura, ac de praecipuis juris speciebus; 2. de objecto et subjecto dominii;* 3. *de modis acquirendi dominium, seu de occupatione, de accessione et de praescriptione.*

CAPUT I.

De justitiae et juris natura, ac de praecipuis juris speciebus.

ART. I.

De natura justitiae.

755. — *Q.* Quid est justitia? *R.* Justitiae nomen sensu *latiori* indicat quamdam adaequationem et commensurationem cum alio; dicuntur enim vulgariter ea quae adaequantur, *justari*, ait Angelicus[1]. Hinc veteres scriptores, sive sacri sive profani, justitiam vocarunt complexum omnium virtutum; cum enim hic hominem cum qualibet moralitatis regula perfecte adaequet, recte justitia vocatur.

Sensu autem *strictiori*, et prout est specialis virtus moralis, justitia communiter definitur: *Voluntas constans et perpetua unicuique jus suum tribuendi.* Dicitur 1° *voluntas*, et quidem habitualis, quia justitia est virtus, virtus autem est habitus; 2° *constans et perpetua*, idest non mera velleitas, sed firma voluntas, constituens propositum efficax non ad tempus, sed in perpetuum, atque omnibus in adjunctis; 3° *unicuique jus suum tribuendi*, et quidem ad aequalitatem, quia justitia exigit exactam commensurationem rei quae tribuitur cum jure alterius; quare qui jus alteri non tribuit ad aequalitatem, totum jus ipsi non tribuit[2].

[1] 2a 2ae, q. 57, a. 1.

[2] Inter virtutes justitiae adnexas enumeratur *aequitas*, seu virtus quae alteri reddit quod ipsi debetur non quidem ex stricto jure, sed ex quadam decentia et convenientia. Quum autem virtus justitiae sit virtus moralis, ideoque in medio stat, patet quod quis potest circa ipsam peccare sive per defectum, sive per excessum, seu per justitiam nimis rigidam, quo in casu adest vitium verae justitiae et verificatur axioma: *Summum jus summa injuria.* Quare quando clare non constat quod alteri debetur ex stricto jure, tunc judicandum est quod ipsi debetur *ex judicio viri probi et prudentis; ex bona fide*, seu, ut dicitur *ex aequitate.*

756. — *Q.* Justitia quotuplex distinguitur?

R. Justitia triplex distinguitur: legalis, distributiva, commutativa.

Legalis, quae *generalis* etiam dicitur, est virtus quae voluntatem hominis inclinat ad ea omnia praestanda quae ad commune reipublicae bonum ducunt; unde in observantia legum consistit, ac proinde respicit obligationem subditorum erga legem.

Distributiva est virtus qua reipublicae praeses bona et officia vel onera distribuit, servata virium et meritorum proportione; ideoque obligationem respicit superiorum erga subditos [1].

Commutativa demum, sic dicta quia in commutationibus et commerciis communius versatur, est virtus qua homines privati inclinantur ad tribuendum alteri quod ei stricto jure debetur, servando aequalitatem rei ad rem, ideoque obligationem respicit privati erga privatum. Et haec sola strictae justitiae nomen obtinet, quia ipsa sola pro objecto habet jus alterius stricte sumptum; ideoque sola violatio hujus justitiae onus restitutionis importat, quia ejus laesio reparari nequit nisi per restitutionem [2].

757. — *Q.* Violatio justitiae quodnam peccatum est?

R. Violatio cujuscumque justitiae per se et ex genere suo peccatum mortale est; veniale tamen esse potest ex parvitate materiae vel ex imperfectione actus.

758. — *Q.* Violatio justitiae commutativae quomodo definitur?

R. Violatio justitiae commutativae, quae proprio nomine injuria dici solet, definitur: *Laesio voluntaria juris alterius rationabiliter inviti;* unde tria requiruntur: 1° ut quis vere et efficaciter jus alterius laedat; 2° ut laedat sciens et volens; 3° ut laesus sit rationabiliter invitus, nam scienti et volenti non fit injuria.

759. — *Q.* Lex civilis quae jus determinat circa proprietatem et dominium rerum obligat ne in conscientia immediate, seu ante sententiam judicis?

R. — 1. Si haec lex civilis concordat cum jure naturali, uti v. g. lex quae haereditatem ejus qui ab intestato decessit proximioribus ipsius defuncti parentibus defert; vel si concordat cum lege ecclesiastica quae in conscientia ligat, tunc lex civilis certe immediate obligat in conscientia, quia jam adest obligatio immediata etiam independenter a lege civili.

2. E contra si lex civilis non concordat cum jure naturali, quatenus hoc directe et immediate aliter decernit, non obligat in conscientia ante sententiam judicis. Data autem sententia, si materia juris civilis non sit intrinsece mala, obligat, quia lex civilis naturalem obligationem in aliquo casu

[1] Justitia distributiva alia est *pure distributiva*, quae partitionem moderat *bonorum* communium; alia *distributiva simul et commutativa*, quae distributionem moderat *onerum* communium. Haec est distributiva quatenus onera distribuere debet servata debita proportione; est commutativa, quatenus subditus jus habet quod reipublicae praeses ab eo non exigat ultra quod tenetur ex sua conditione juxta bonum commune, servata debita proportione.

[2] Alii tribus praedictis justitiae speciebus quartam adjiciunt, nempe justitiam *vindicativam;* sed proprie loquendo haec non est species justitiae, quia justitia specificatur et dividitur secundum diversitatem juris quod respicit, nempe triplex jus supra dictum: vindicativa igitur ad distributivam reducitur.

particulari auferre potest, quando nempe sic exigit bonum publicum. — Item si lex civilis est contraria juri canonico non habet vim directam obligandi in conscientia; potest tamen indirecte obligare, quando nempe aliter grave damnum secuturum esset: at in hoc casu talis obligatio non est ex vi legis civilis, sed vi illius virtutis quae praecipit ut illud grave damnum impediatur.

3. Seclusis his casibus, an lex civilis obliget immediate in conscientia, ita ut quis sub culpa injustitiae teneatur se illi ante judicis sententiam submittere, distinguo: — Si lex civilis est *inhabilitans*, uti v. g. lex quae minorem inhabilem declarat ad contrahendum, plures Th. sat probabiliter tenent non obligare in conscientia nisi post sententiam judicis, modo contractus jure naturae validus sit, quia lex civilis lata est in tutelam minoris ne ei fraus inferatur, unde si absit fraus, rationabiliter praesumitur legem nolle obligare. — Si lex est *poenalis*, uti v. g. lex quae inventorem thesauri in fundo alieno ejus dimidia parte privat si ex industria invenit, Th. communiter docent hanc legem qua parte est poenalis non obligare in conscientia ante sententiam judicis.—Si vero lex est *praeceptiva*, nempe aliquod jus determinat, et prohibet ne aliter de rebus disponatur, ut v. g. lex quae disponit de legitima filiorum, vel quae statuit thesaurum casu inventum in fundo alieno dividendum esse inter inventorem et dominum fundi, vel quae creditoribus privilegiatis jus praelationis tribuit; tunc an obliget immediate in conscientia ante sententiam judicis si desit obligatio jure naturae, disput. Th. Sententia communis affirmat[1], quia quum lex lata sit in bonum publicum statim in conscientia ligat; sed non desunt Th. qui sat probabiliter tenent obligare quidem in foro exteriori, at in foro interiori non obligare nisi post sententiam judicis, quia lex civilis nunc temporis respicit tantum forum externum, nec intendit prohibere quominus subditus in foro interno naturalem aequitatem servet, quando adest: hinc ante judicis sententiam non esset inquietandus qui aliquid accepit a patre cum detrimento legitimae filiis debitae[2].

[1] S. Alph., L. III, 689. *D'Annibale*, I, 23; II, 237. *Bucceroni*, 1, 1437 etc.

ART. II.

De juris natura, ac de praecipuis juris speciebus.

760. — *Q.* Quid est *jus*, et quomodo dividitur?

R. Nomen juris multiplici sensu accipi potest, sed triplici sensu regulariter accipitur.—1° Pro *lege*, quae est regula justi in genere, et sic dicitur *jus divinum, humanum, positivum*, etc.; et hoc sensu acceptum jus habetur ut fundamentum omnis juris. — 2° Pro *objecto materiali* justitiae, seu pro eo quod alteri debetur. — 3° Communiter vero jus sensu strictiori accipitur, seu *subjective* consideratum, et definiri potest: *Moralis et inviolabilis facultas ad aliquid praestandum, exigendum vel retinendum ut suum.*

Jus postremo sensu acceptum dividitur in *reale* et *personale*, seu in jus in re, et jus ad rem.

[2] *Bertagna*, Dissert. de Restitutione, 105.

Jus *reale*, seu jus *in re*, est illud quod quis habet in re determinata jam sua; unde confert actionem realem in rem ipsam, nempe facultatem eam occupandi, retinendi, repetendi penes quoscumque transierit et pro libito disponendi.

Jus *personale*, seu jus *ad rem*, est illud quod quis habet ut res fiat sua; unde confert actionem non in re, sed tantum in personam impedientem acquisitionem rei, nempe potest penes judicem cogere ad illam rem tradendam vel ejus pretium quicumque eam detinet.

761. — *Q.* Quid requiritur ad jus in re et jus ad rem?

R. Ad jus *in re* requiruntur: 1° existentia rei; 2° titulus legitimus; 3° in foro saltem externo, omnes aliae conditiones quas leges cujusque nationis apponunt ad rei dominium transferendum.

Ad jus *ad rem* requiritur et sufficit *justus titulus*, v. g. contractus vel quasi-contractus, delictum vel quasi-delictum, vel ipsa legis auctoritas.

762. — *Q.* Quaenam praecipuae juris species?

R. Praecipuae juris species quinque sunt: dominium, seu jus proprietatis;—usus;—usufructus;—servitus; — possessio.

763.—*Q.* Quid est *dominium* et quomodo dividitur?

R. Dominium definiri solet: *Jus disponendi pro arbitrio de re propria, nisi lege, vel conventione, vel testatoris voluntate prohibeatur.*

Dominium dividitur:—1. In *altum* et *humile*. Dominium *altum*, seu *publicum*, est jus quod reipublicae competit disponendi de bonis privatorum prout bonum publicum exigit. Est dominium improprie dictum, quia respublica per se non habet jus disponendi pro libito de bonis subditorum, sed solum in quantum id exigit bonum publicum, et quidem servato cive, quantum fieri potest, indemni. Dominium *humile*, seu *vulgare*, est dominium privatorum, cui convenit definitio superius data.

2. In *perfectum* seu *plenum*, et *imperfectum* seu *non plenum*. *Perfectum* est jus disponendi de re ac ejus usu. *Imperfectum* est jus disponendi vel de sola re non de ejus commodis, vel de solo usu. Qui disponit de sola re dicitur habere dominium directum, seu nudam proprietatem; qui vero disponit de solo usu dicitur habere dominium utile.

764. — *Q.* Quid est *usus* et quid *ususfructus*, et quomodo uterque dividitur?

R. Usus est: *Jus utendi re aliena, salva ejus substantia.*

Ususfructus est: *Jus utendi et fruendi sicut dominus re aliena, salva ejus substantia, tum quoad materiam, tum quoad formam.* Patet ergo quod usufructus magis extenditur quam usus.

Tam usus quam usufructus dupliciter dividitur: 1° Dicitur *legalis*, si constituitur ex lege; si vero ex conventione vel contractu dicitur *conventionalis*. 2° Si constituitur in rebus quae usu non consumuntur, dicitur *proprius;* si vero in rebus quae usu consumuntur, dicitur *improprius*, quia cum res usu consumptibilis servari nequeat, expleto usufructu, non substantia rei, sed ejus valor restitui debet.

765. — *Q.* Quinam fructus rei et quosnam fructus usufructuarius facit suos?

R. Fructus rei alii sunt *naturales*, uti fructus arborum, foetus animalium; alii *civiles*, ex contractibus aut civili obligatione; alii *industriales*, qui sola hominum industria acquiruntur; alii *mixti*, qui nempe proveniunt ex natura simulque ope hominum, uti vinum, oleum, etc.

Usufructuarius: 1° Fructus facit suos tum *industriales*, tum *naturales*, adhuc pendentes, sine onere solvendi pro cultura, vel semine, etc. Fructus vero *civiles* acquiruntur de die in diem, ac proinde dividi debent pro rata temporis quo usufructus duravit. — 2° Potest de fructibus perceptis pro nutu suo disponere, sive per se sive per alium. — 3° Potest jus suum alteri cedere, donare, vendere, modo conditio domini non immutetur.

Usuarius vero jus suum alteri cedere non potest, sed si jus habet aliqua domo utendi, bene potest in illa cum familia habitare, licet quando usum acquisivit non esset conjugatus.

766. — *Q.* Quaenam onera usufructuarii?

R. Onera usufructuarii sunt: 1° re aliena utendi ut bonus paterfamilias; 2° eam integram domino tempore debito reddendi; 3° debita ordinaria solvendi, ut contributiones, ordinarias reparationes, etc.; 4° quod si discedit ante maturitatem fructuum, fructus immaturos citius colligere non potest, nec aliquid reclamare. Haec in genere, nam attendendae sunt speciales quae adsunt leges, aut conventiones.

767. — *Q.* Quomodo cessat usufructus?

R. Cessat 1° morte naturali vel civili usufructuarii; 2° interitu vel totali mutatione rei, v. g. si pratum fiat stagnum; 3° consolidatione, seu cum usufructuarius fit proprietarius; 4° ex dispositione legis ob abusum usufructuarii, interveniente sententia judicis, vel ex praescriptione facta a domino directo, vel elapso conventionis tempore, vel renuntiatione usufructuarii, quae tamen si fraudulenta fuerit poterit invalidari, etc. — De his consulendi sunt Codices (C. it., a. 515).

768. — *Q.* Quid est *servitus*, et quotuplex?

R. Servitus est *subjectio ob quam aliqua res vel persona ad aliquod onus tenetur in utilitatem alterius.* — Servitus esse potest: 1° *personalis*, quae a persona debetur personae, et hac tenebantur olim servi seu mancipia apud Romanos; 2° *mixta*, quae a re debetur personae, uti habitatio, usufructus, etc.; 3° *realis*, quae a re debetur rei: et haec dicitur *activa* respectu illius qui jus habet in re aliena ut serviat sibi; *passiva* vero respectu domini ipsius rei cui impositum est onus in utilitatem alterius.

Servitus realis multiplex est: 1° Ratione *originis* alia est naturalis, alia legalis, alia conventionalis, prout ex dispositione locorum, vel ex lege, vel ex conventione oritur. — 2° Ratione *modi* est continua vel non continua; apparens, si aliquo apparenti signo declaratur, uti servitus januae; vel non apparens, uti prohibitio altius erigendi domum vicinam. — 3° Ratione *objecti* est urbana vel rustica, prout instituitur in utilitatem praedii urbani vel rustici.

Quaenam vero sint jura et obligationes servitutum, hoc pendet

vel a natura rei, vel a lege, vel a conventione [1].

769. — *Q.* Quid est *possessio*, et quomodo dividitur ?

R. Possessio sensu proprio sumpta est *detentio rei nomine proprio*. Possessio per se non est jus, sed signum juris, vel modus jus acquirendi.

Triplex distinguitur : *naturalis*, *civilis* et *civilissima*. — Possessio *naturalis* est illa qua res corpore simul et animo occupatur. — *Civilis* est quae corporis adminiculo inchoata, solo animo retinetur. Sic possidet res suas qui ab eis abest, nec a jure possessionis per alium dejicitur. — *Civilissima* est quae ex sola legum dispositione acquiritur etiam ab inscio, v. g., ab infante haerede [2].

770. — *Q.* Quinam effectus possessionis ?

R. Effectus possessionis alii sunt a lege naturali, alii a lege civili.

A lege *naturali* primarius effectus sequens est : *In dubio melior est conditio possidentis ;* possessio enim quamdam praesumptionem dat veri dominii, donec contrarium probetur. Hinc : 1° In judicio *petitorio*, seu circa rei proprietatem, possessor praesumitur esse dominus, ideoque onus probandi illi spectat qui possessori litem intendit ; 2° possessor nequit a sua possessione ab aliquo privato turbari, quo in casu habet in judicio actionem *possessoriam*, nempe a judice petere potest ut omnis molestia cesset, vel ut possessio jam de facto sublata sibi restituatur [3].

A lege *civili* possessor habet beneficium praescriptionis, ut suo loco dicetur.

CAPUT II.

De objecto et subjecto dominii.

ART. I.

De objecto dominii.

771. — *Q.* Quodnam objectum dominii ?

R. Objectum dominii sunt omnes res quae ab homine acquiri possunt et hominum usui subjiciuntur [4].

[1] Servitus in bonis Ecclesiae est quaedam juris alienatio, ideoque sine beneplacito Apostolico imponi nequit. Et ex lege nostra civili art. 556 facultas reddendi murum contiguum commune ad aedificia non extenditur ad ea quae sunt usus publici, ideoque nec ad Ecclesias.

[2] Possessio *vera* multum differt a possessione *legitima*, et haec a possessione *justa*. — Possessio enim furis, nisi sit de re prohibita possideri, est possessio vera, et si sit pacifica est etiam juridica. Possessio tertii, qui rem furtivam acquisivit titulo per se dominii translativo, v. g., donatione, venditione, est legitima ; et si accedit bona fides est etiam justa formaliter. Demum possessio pacifica domini est simul vera, legitima et formaliter materialiterque justa. *Marc*, 849.

[3] Ut possessio licite iniri et retineri possit bona fide opus est ; qui dubitat, rem sedulo explorare debet. Qua explorata, si nihil certi invenire potuit, et possessioni nihilominus incumbere velit, necesse habet efformare sibi conscientiam *certam* principio aliquo reflexo : nempe dominum fuisse eum a quo possessio in se transiit, vel uti accessione possessionis auctoris sui ; sic emptor uti potest possessione venditoris. At si hac neque uti possit, tunc possessionem inire non posse palam est. *D'Annibale*, II, 121.

[4] Privatum dominium a rerum divisione et occupatione originem trahit, et est inviolabile et sacrum : 1. *de jure naturae*, nam sublato dominio, subverteretur societas cum nullus servire et laborare vellet ; 2. *de jure divino*, ut patet ex prohibitione furti ; 3. *de jure humano*, ecclesiastico et civili, quod in eo totum est ut jus proprietatis cuique tueatur.

Porro res quae usui hominis subjiciuntur aliae dicuntur *incorporales*, quae sensibus non subsunt, et in aliquo jure consistunt, uti jus habitationis, jus fruendi, utendi, etc.; et aliae dicuntur *corporales* quae nempe per sensus percipi possunt.

Corporales vero subdividuntur in immobiles et mobiles. — *Immobiles* sunt quae loco moveri nequeunt, et tales esse possunt vel *ex natura sua*, uti fundus, vel *ex objecto* quod respiciunt, uti servitus praedialis, vel *ex earum destinatione*, uti statua quae partem aedificii constituit. — *Mobiles* sunt quae, salva propria earum forma, ab uno in alium locum transferri possunt; et tales sunt vel *ex propria natura*, uti animalia, massa auri, etc., vel *ex legis determinatione*, uti pensio vitalitia, syngraphae debiti publici, etc.

Res *mobiles* insuper aliae sunt non fungibiles et aliae fungibiles. — Res *non fungibiles* sunt quae usu non consumuntur, uti libri, picturae, quae idcirco in propria natura tradi debent. — Res vero *fungibiles* sunt quae usu consumuntur, ideoque aliarum rerum ejusdem generis *vice fungi* possunt; unde, in solutione vel restitutione, una loco alterius tradi potest. Consumptio autem alicujus rei duplex est: una *physica* seu *naturalis*, quando vere destruitur substantia rei, ut fit in vino, oleo, et aliis hujusmodi; altera *moralis*, seu *civilis*, quando res alienatur, seu distrahitur, ut fit in *pecunia numerata*, quae propterea *utenti perit*, ut dicunt Jurisperiti, vel quando mutatur ejus natura, etiam absque ulla destructione aut alienatione, ut in charta in qua scribitur.

772. — *Q.* Quodnam dominium habet homo in vita hominis, vel in fama, vel in bonis ingenii?

R. — I. Homo, et vel ipsa respublica, in *vita alius hominis* absque divina auctoritate *nullum directum* dominium habet; sicut enim solus Deus est vitae hominis auctor et conservator, ita soli Deo competit hoc dominium directum [1].

II. Homo et respublica habere potest in *vita alius hominis* dominium *indirectum* seu *utile*, quatenus habet jus disponendi in proprium commodum de alterius operibus et laboribus; - ratio, quia quilibet homo habet dominium plenum suorum actuum, ac proinde illos alienare et pro aliis impendere potest sive ad tempus, sive in perpetuum [2].

III. Homo in bonis quae sunt ipsi *intrinseca*, quibus nempe ipse constat et perficitur, uti *corpus*,

Merito igitur a Ss. Pontificibus damnatus fuit *Communismus*, qui proclamat omnium civium aequalitatem in bonis, seu omnium bona esse in mundo communia; *Radicalismus*, qui proclamat omnium civium aequalitatem in auctoritate, imperio, ac jurisdictione; et *Socialismus* qui nullum jus admittit nec proprietatis, nec auctoritatis, sed contendit omnes, sive in bonis sive in auctoritate, esse prorsus aequales. Admissa enim hac lethifera doctrina, humana societas penitus everteretur.

[1] Hinc juri naturae repugnat sive servitus in sensu absoluto accepta, sive commercium hominum quando, contra propriam voluntatem et libertatem, homines ut vilia pecora venduntur, ut est commercium Nigritarum.

[2] Hinc per se loquendo non repugnat illa servitus, seu ille status subjectionis etiam perpetuae, quo quis pro alimentis tenetur opera sua alteri praestare.— Dixi: *opera sua*, quia nemini unquam licet alterius servituti se ita subjicere, ut dominus eo uti et abuti possit.

anima, sanitas, vita, non habet dominium *directum,* quia hoc competit soli Deo: habet vero dominium *utile;* - ratio, quia Deus hominem reliquit in manu consilii sui, ut bene agendo vitam consequatur aeternam.

IV. Homo in *propria fama* habet dominium *plenum;* - ratio, quia fama est fructus nostrarum actionum; unde si injuste ablata sit, quisque poterit ejus restitutionem repetere, vel condonare [1].

V. Homo, in bonis quae fructus sunt *proprii ingenii,* uti inventio, manuscriptum, etc., ex jure naturali habet dominium *plenum* et proprietatem exclusivam; ideoque qui inventionem vel manuscriptum surriperet, et contra auctoris voluntatem in lucem ederet reus foret furti, et de damnis teneretur.

773. — *Q.* Violat ne jus proprietatis qui lectiones alicujus professoris, vel conciones oratoris, ipsis invitis, typis mandat?

R. Si agatur de lectione vel concione privata, perspicua res est professorem vel concionatorem retinere totum jus in suam lectionem vel concionem. Si vero agatur de lectione vel concione publica, tunc ex jure positivo conceditur jus proprietatis in illam lectionem vel concionem. Casu autem quo publicus lector vel concionator jus proprietatis a lege civili non petat, tunc omnes Th. conveniunt esse aequitati consentaneum ut auctori jus proprietatis exclusivum servetur. An vero hoc ex jure naturali, disput. Th. Alii negant, quia res in communitatem tradita, eo ipso fit de jure communi. Alii vero affirmant, quia publice docere vel concionari non est opus suum ita tradere ut alter typis mandare et vendere possit. — Idem dicendum de libris editis sine jure proprietatis auctori reservato.

ART. II.

De subjecto dominii.

774. — *Q.* Quodnam subjectum dominii?

R. — I. Subjectum dominii est sola creatura rationalis; - ratio, quia cum dominium sit legitima facultas disponendi pro libitu de re aliqua tamquam propria, sola creatura rationalis hac facultate uti potest [2].

II. Dominium *supremum* et *absolutum* in res creatas competit soli Deo; - ratio, quia Deus solus est omnium rerum creator et conservator; unde ipse solus potest de omnibus disponere prout sibi placet.

III. Omnis homo, etiam puer vel amens, est capax dominii; - ratio, quia jus dominii et proprietatis competit creaturae rationali; usus vero rationis necessarius est non pro dominio, sed pro administratione bonorum.

IV. De fide est quod sive Ecclesia, sive peccatores, sive hae-

[1] Hinc quisque poterit ex justa causa, v. g., ad petendum consilium, ad coërcendam superbiam, famam suam exponere. Dixi: *ex justa causa,* nam quisque tenetur, et aliquando etiam sub gravi, famam propriam servare vel ex caritate erga seipsum, juxta illud Eccl. (XLI, 15): *Curam habe de bono nomine;* vel ex caritate erga proximum ad vitanda scandala vel grave damnum familiae, etc.

[2] Angeli et daemones dominium habent suarum actionum, non vero rerum corporalium; - ratio, quia Deus *terram dedit filiis hominum.* Ps. CXIII, 16.

retici, sive infideles capaces sunt dominii, ut constat ex Conc. Constantiensi contrariam Wiclephi doctrinam ut haereticam damnante. Et sane rationalis natura, non fides vel caritas, est fundamentum dominii. Ergo.

Quoniam vero capacitas dominii quibusdam jure humano restringitur ob bonum tum publicum tum privatum, praestat de nonnullis speciatim disserere, nempe de dominio filiorum-familias, de dominio uxorum, de dominio clericorum.

§ 1°

De dominio filiorum-familias.

775. — *Q.* Quinam dicuntur filii-familias?

R. Filii-familias dicuntur qui ex legitimo matrimonio nati, vel saltem per subsequens matrimonium aut principis rescriptum legitimati, adhuc patriae potestati subjacent.

776. — *Q.* Quid est patria potestas, et quandonam cessat?

R. Patria potestas alia est a *jure naturae*, et est jus proprios filios recte educandi, instruendi, corrigendi, etc. Alia est a *jure civili*, et est jus administrandi filiorum bona.

Patria potestas quatenus profluit a *jure naturae* nunquam cessat, et filii perpetuo patri subduntur. Quatenus vero oritur a *jure civili* cessat: 1° Per majorennitatem a filio adeptam, quae majorennitas attingitur anno 21° expleto [1]; 2° per filii emancipationem.

Emancipatio vero alia est *legalis* seu tacita, quae ipso jure acquiritur per matrimonium [2]; alia est *voluntaria*, seu expressa, quae concedi potest a patre per actum quo filium minorem a sua potestate dimittit, ut fiat sui juris. Deficiente patre, concedi potest a matre, et, utroque parente defuncto, a consilio familiae, modo a respectivo jure statuto, post annum 18um expletum [3].

777. — *Q.* Quaenam sunt bona filiorum-familias?

R. Bona filiorum-familias ex jure romano quadruplicis generis sunt: 1° Alia *castrensia*, nempe acquisita in militia aut propter militiam. — 2° Alia *quasi-castrensia*, acquisita ex alicujus publici officii gestione, v. g., theologi, advocati, medici, etc. — 3° Alia *adventitia*, quae filio proveniunt aliunde quam a bonis paternis, v. g., ex industria propria separatim a negotio patris, ex quadam parsimonia in usu rei consumptibilis ipsi datae sine ulla conditione, aut quae filio donata sunt intuitu suo proprio. — 4° Alia *profectitia*, quae filius negotiando bona paterna lucratus est, aut filio donata sunt, sed tantum patris intuitu.

Nota: Moderni *Codices civiles* illa nomina *castrensia*, etc., amplius non retinent, sed in re plerumque conveniunt [4].

778. — *Q.* Quodnam dominium filius-familias habet in hisce bonis?

[1] C. It., a. 240.
[2] C. It., a. 310.
[3] C. It., a. 311.
[4] Ex recentioribus legibus bona filiorum-familias generatim distinguuntur: 1° in bona *industria separata* acquisita (vel libera), quae aequiparantur bonis castrensibus vel quasi-castrensibus; 2° bona *donatione* vel alio simili titulo obtenta, quae aequiparantur bonis adventitiis, 3° bona *negotiatione paternorum bonorum* lucrifacta, quae profectitiis aequiparantur. *Marc*, 861.

R. — I. In bonis *castrensibus* vel *quasi-castrensibus* filius habet perfectum dominium; nam ad bonum commune interest ut filius non retrahatur a bello aut a publico officio. Potest igitur de hisce bonis disponere sive per contractus, sive per ultimam voluntatem : nec requiritur consensus patris, dummodo sit puber, secus requiritur auctoritas judicis. Et hoc possunt etiam pupilli sine consensu tutoris, minor sine consensu curatoris [1].

II. In bonis *adventitiis* filius habet dominium perfectum in tribus sequentibus casibus: 1° Si filius sibi acquisivit talia bona proprio labore et industria separatim a negotio patris, v. g., ex pictura, musica, thesauri inventione ; 2° si bona filio donantur cum adnexa conditione ut parentes usumfructum non percipiant; 3° si bona filio, juxta legis dispositionem, dissentiente patre, obveniunt [2].— Seclusis his casibus, filius habet dominium directum seu proprietatem, et pater utile seu administrationem et usumfructum [3]. Pater tamen nequit haec bona filiorum alienare, hypothecae vel pignori subjicere, vel alias obligationes limites simplicis administrationis excedentes contrahere, nisi causa necessitatis, vel evidentis utilitatis, obtenta a tribunali civili facultate [4]. Mortuo autem patre, vel ipso impotente, administratio et ususfructus spectat ad matrem [5].

III. In bonis autem *profectitiis* pater perfectum dominium habet.

779. — *Q.* Filius-familias potest ne in aliquo casu habere dominium in bonis quae in domo paterna lucratur ?

R. Praemitto: *a*) Jure naturae fructus laboris spectat ad suum auctorem. *b*) Jure naturae pater tenetur filiis ministrare tantum quae necessaria sunt ad honestam et congruam sustentationem, scilicet victum, vestes, habitationem et expensas ad discendam artem suo statui congruentem. Quod si filius capax sit propriam sustentationem ex se ipso procurare, cessat obligatio patris. His praemissis :

1. Si filius sit emancipatus, vel si ex speciali conventione in negotio patris proprio nomine laborat, plenum habet dominium circa fructum suorum laborum; sed in his casibus pater eum alere non tenetur.

2. Si filius non sit emancipatus, et nomine patris laborat, et labor quem impendit non excedit expensas propriae sustentationis, nullum habet dominium in lucrum sui laboris; unde, seclusa speciali conventione cum patre, nihil sibi vindicare potest, quia censetur agere ut membrum familiae [6].

[1] *Marc*, 860.

[2] C. It., a. 229.

[3] Horum bonorum administrationem amittit: 1° Si ipse ad secundas nuptias transeat, vel filius moriatur (a. 232); 2° si pater patria potestate abutatur, suas obligationes negligendo, vel filii bona male administrando; sed requiritur judicis decretum (a. 233). — Quod si, cessante tempore ususfructus, illum pater percipere pergat, filio apud ipsum morante quin pactum reddendae rationis fuerit initum, pater vel ejus haeredes tenentur reddere tantum fructus existentes tempore quo petuntur (C. I., a. 234).

[4] C. It., a. 224.

[5] C. It., a. 331.

[6] Casus. — Petrus filius-familias dyscolus non parvas absumpsit opes paternas in ludo et potationibus; e contra Paulus ejus frater, patri obsequentissimus, in negotio paterno fideliter laboravit, quin tamen ejus labor expensas

3. Si autem labor quem impendit, sive ordinarius sit sive extraordinarius, *expensas propriae sustentationis excedit*, tunc an filiusfamilias possit sibi vindicare lucrum *pro rata excessus*, disput. Th. Plures probabilius affirmant, quia tunc lucra quae in bona patris proveniunt, ortum habent non solum ex ipsis bonis paternis, sed etiam ex speciali labore vel industria filii: ergo filius jus habet ad ratam suo labori vel industriae respondentem, quippe qui non est pejoris conditionis quam famulus, qui in casu haberet jus pro rata excessus; nihil autem obligat filium ad relinquendum patri non egenti fructum sui laboris, est enim veluti axioma: *Filii parentibus pietatem, non operas debent.* — Dixi: *patri non egenti,* nam si pater indigeat subventione filii, tunc jus filii ad ratam excessus suspensum manet quamdiu durat patris necessitas, qua transacta, jus filii reviviscit. Ergo si filius excessum sponte non remisit, habet jus ad illum; et si ex paterna reverentia jus suum renuit repetere, poterit seipsum occulte compensare [1]. — Haec autem sententia *in praxi* non est publice docenda propter incommoda quae ex abusu sequerentur. Insuper *ante factum* non est consulenda nec positive approbanda, ob periculum hallucinationis, praesertim si res fieri deberet per modum compensationis occultae; *post factum* vero facilius amplecti potest, ut sic saluti provideatur eorum qui aliquid parentibus vel haereditati subtraxerint, ne scilicet iis imponatur restitutio cui forte non sunt obnoxii.

780. — *Q.* Quodnam dominium habet filius-familias in bonis ipsi datis a parentibus?

R. — **1.** Si bona non sunt primo usu consumptibilia, uti vestes, libri, etc., filius-familias habet tantum dominium utile.

2. Si vero sunt primo usu consumptibilia, uti pecunia, tunc si sunt data sine ulla conditione plenum habet dominium; si autem data sub conditione, v. g., pro emptione libri, pro solutione pensionis, etc., filius illam pecuniam ad patris mentem insumere tenetur. Quod si in ludo consumeret, peccaret contra justitiam, quia disponeret contra jus ipsi tributum, et onus restitutionis incurreret nisi rationabiliter condonatio patris praesumi posset.

§ 2°

De dominio uxorum.

781.—*Q.* Quaenam sunt bona uxorum?

R. Bona uxorum triplicis ge-

propriae sustentationis excesserit. Ad se autem compensandum, magnam summam, inscio patre, ex bonis paternis sibi vindicavit.

Q. Paulus tuta conscientia potestne esse?

R. Paulus a peccato mortali *per se* excusari nequit, quia furtum in materia gravi commisit erga patrem rationabiliter invitum. Nec ulla injuria afficitur a fratre, nam bona quae Petrus dilapidavit, non ad Paulum, sed ad patrem pertinent: ergo Paulus nullum jus ad compensationem habet. Videat ipse pater si expensas Petri tolerare velit nec ne. — Ceterum si Paulus aliquem laborem impendit omnino indebitum, aliquam meretur indulgentiam, et pro rata hujus laboris se compensare potest.

[1] S. Alph., L. III, 544. — Si filius in domo paterna operas praestat, v. g., fabri, quod ex eis lucratur suum est, deductis alimentis quae a patre accipit. Nihilominus si nihil petit, videtur ea patri remittere pietatis et gratitudinis causa. *D'Annibale*, II, 626.

neris sunt : 1° *Dotalia,* quae marito dantur ad sustinenda onera matrimonii. — 2° *Paraphernalia,* seu *extradotalia*, quae uxor habet praeter dotem. — 3° *Communia,* et quidem vel *jure naturae,* nempe ea quae conjuges post initum matrimonium actione communi acquirunt ; vel *jure civili,* scilicet ea quae legis determinatione conjuges in communi acquirunt.

NOTA : Si mulier singulari industria vel labore extraordinario, adhibita sufficienti cura de familia, comparet bona, haec sunt *paraphernalia*, puta si negotietur suo nomine, si sit pictrix, etc. ; nam ipsa est sui juris.

782. — *Q.* Quodnam dominium uxoris in sua bona ?

R. — I. Bonorum *dotalium* uxor proprietatem habet, maritus administrationem et usumfructum [1]. — Si tamen dos vel aliqua ejusdem pars consistit in bonis mobilibus aestimatis in contractu praecedente matrimonium, maritus etiam proprietatem horum bonorum acquirit, et tenetur tantum de pretio illis tributo [2]. — Bona vero dotalia nullatenus alienari possunt, etiam uxore consentiente, nisi in quibusdam casibus a lege permissis.

II. Bonorum *paraphernalium* uxor habet proprietatem, administrationem et usumfructum ; unde maritus contra justitiam peccaret si illa surriperet, dilapidaret, etc. ; neque potest illa administrare sine consensu uxoris. — Uxor tamen nequit bona immobilia paraphernalia alienare, neque pro eis in judicio se sistere sine consensu mariti vel, eo recusante, sine tribunalis permissione [3].

III. Quoad bona *communia* proprietas est communis, ideoque mulier proprietatem pro dimidia parte habet. Quare conjux qui excedendo limites a lege concessos notabilem horum bonorum partem injuste dilapidaret, vel male impenderet, ad restitutionem pro rata alteri conjugi teneretur. Administratio et ususfructus, secluso speciali pacto vel legis dispositione, sunt penes maritum ; qui tamen nequit, uxore invita, hypothecare vel alienare illa bona nisi titulo oneroso [4]. — Ceterum, quoad haec bona communia inspicienda sunt statuta a jure propriae regionis.

Conjuges autem possunt simul inire societatem universalem, non quidem bonorum, sed fructuum ex ipsis bonis, sive mobilibus sive immobilibus, sive praesentibus sive futuris, provenientium, dummodo id fiat in ipso matrimoniali contractu. Haec tamen societas comprehendere nequit debita et credita ante conjugium existentia, neque ea quae postea defe-

[1] C. It., a. 1399 ; C. Gall., a. 1549.

[2] C. It., a. 1401 ; C. Gall., a. 1549,1551.

[3] C. It., a. 134, 136 ; C. Gall., a. 1576.

[4] CASUS.—Lazarus et Apollonia (quae dotem mille scutorum contulerat) conjuges, tempore matrimonii quatuor scutorum millia ex industria et labore ambo lucrati sunt. Hinc Apollonia, morti proxima et omni prole orbata, maritum obligat ad duo millia scutorum in pias causas eroganda.

Q. Lazarus tenetur ne legatum uxoris solvere ?

R. Disting. : Si bona tempore matrimonii lucrata fuerunt *communia*, Lazarus tenetur legatum solvere, quia dimidia pars ad uxorem spectabat. — Si vero, ratione contractus matrimonialis, uxor ad solam dotem jus habuerit, dotis valorem in legatis piis excedere non potuit. Si igitur jura sua excesserit, pro rata excessus legatum imminuendum erit. *Gury*, Casus Consc., I, 506.

runtur titulo successionis, vel donationis, ipsa communione durante. Cessat autem haec societas per mortem alterius conjugis, per declaratam unius absentiam, per definitam separationem personarum, vel judicialem separationem bonorum [1]. Quoad reliqua, observentur regulae pro contractu societatis.

783. — *Q.* Quaenam ex propriis bonis conferre debet uxor pro familia?

R. — 1. Uxor, si non habet bona dotalia quae sufficiant, tenetur uti paraphernalibus ad onera conjugii sustinenda, pro ratione bonorum [2].

2. Si vir pro alenda familia debita contraxerit nomine uxoris, vel ipsa sciente, mortuo viro, tenetur uxor ex bonis dotalibus debita solvere [3].

784. — *Q.* Quodnam jus uxoris in bonis familiae?

R. — 1. Uxor habet jus strictum ad sustentationem ex bonis communibus. — Hinc non peccat uxor subducendo aliqua pro victu, vestibus ceterisque familiae necessariis, si maritus dare renuit, vel non curat, vel nimis aegre consentiat, vel bona dilapidet, vel si prae pudore ipsa non audeat petere; - ratio, quia in hisce casibus rationabiliter praesumitur consensus mariti, qui secus esset irrationabiliter invitus [4]. In his tamen et similibus caute procedendum est ne uxoribus laxentur habenae, cum propensae sint ad jura sua plus aequo extendenda.

2. Jus habet disponendi de bonis communibus ad avertendum grave damnum marito vel familiae impendens, ad procurandam mariti vel filiorum conversionem, v. g., per aliquod sacrificium, quia quod potest pro corpore, potest et pro anima [5].

3. Jus habet ad faciendam eleemosynam juxta familiae conditionem et loci consuetudinem.

4. Demum si non habet bona paraphernalia, potest de bonis communibus succurrere parentibus, vel filiis ex alio viro genitis, si sunt in necessitate, quia eorum inopia censetur inopia uxoris, cui maritus succurrere debet [6]. Quod si postea bona paraphernalia consecuta fuerit, viro restituere non tenetur pro eo quod parentibus in necessitate dedit, si quod dedit sit *parvi momenti,* quia habetur ut eleemosyna communis. Si vero quod dedit sit *magni momenti,* an ad restitutionem teneatur disput. Th. Plures negant, quia onera omnia quae, stante matrimonio, uni conjugi obveniunt, alteri communia censentur [7].

§ 3°

De dominio clericorum.

785. — *Q.* Quaenam sunt bona clericorum?

R. Bona quorum dominium ad clericos pertinet sunt triplicis generis: Patrimonialia, quasi-patrimonialia, et ecclesiastica. — *Patrimonialia* dicuntur quae clerico

[1] C. It., a. 1433-46.
[2] C. It., a. 1426.
[3] S. Alph., L. III, 354.
[4] S. Alph., L. III, 541.
[5] *Gury,* I, 554.
[6] S. Alph., L. III, 542, 543.
[7] Per illud *magni momenti* intellige quando subtractio illorum bonorum notabilissimum detrimentum afferat administrationi domesticae. *Gury,* I, 557.

proveniunt causa profana, v. g., ex haereditate, donatione, etc. — *Quasi-patrimonialia*, quae et *quasi-ecclesiastica* vel *casualia* audiunt, sunt ea quae clericus acquirit ex functionibus ecclesiasticis, v. g., missa, concione, etc. Ad haec referuntur, etiam *distributiones* quas canonici percipiunt ob assistentiam in choro, istae enim non dantur praecipue vi tituli, sed propter servitium personale [1]; item *juria parochialia*, seu *reditus stolae*, quippe qui non proveniunt ex ipso beneficio, sed dantur parocho ut quoddam stipendium pro suo labore et sollicitudine, et ideo dantur illi etiam absenti, quia praesumitur incumbere aliis officiis sui pastoralis muneris. — *Ecclesiastica*, quae habet ex beneficiis ecclesiasticis. Haec bona, ut ordinata ad congruam seu honestam clericorum sustentationem [2], alia sunt illi congruae sustentationi *necessaria*, alia *superflua*, et alia *parsimonialia*, idest studiosa frugalitate et parsimonia ab honesta sustentatione subtracta [3].

786. — *Q.* Quodnam dominium habet clericus in hisce bonis?

R. — I. Bonorum *patrimonialium* clericus plenum habet dominium, quia ex una parte ipse est capax dominii perinde ac laicus, et ex altera nullo jure prohibetur quominus de ipsis disponere valeat.

II. Bonorum *quasi-patrimonialium* clericus plenum pariter habet dominium, quia haec bona a fidelibus absolute tribuuntur clericis ob ministerium personale, quin aliquod onus iisdem imponere cogitent.

III. Bonorum *ecclesiasticorum* (intellige eorum reditus) clericus beneficiatus plenum etiam habet dominium quoad *necessaria* ad congruam sustentationem, quamvis ex bonis patrimonialibus habeat unde vivat; - ratio, quia justum est ut qui altari servit de altari vivat, et ad hunc finem instituta sunt beneficia. Per accidens autem est quod sit dives vel pauper; non enim ratione paupertatis, sed ratione laboris habet jus ad sustentationem; unde ait Apostolus: *Quis militat suis stipendiis unquam?* [4]. Hinc sequitur etiam bona *parsimonialia* cedere in plenum dominium beneficiato, quia quidquid subtrahit ab honesta sustentatione parcius vivendo ad ipsum pertinet.

IV. Quoad bona *superflua*, clericus certe tenetur ex praecepto Ecclesiae illa elargiri in pauperes, vel in usus pios, si non adsint pauperes in gravi necessitate constituti, quia si adsint pauperes in gravi necessitate, tunc quum ur-

[1] S. Alph., L. III, 491.

[2] Honesta clerici sustentatio ea est quae clerico convenit ratione sui status, dignitatis, etc. Quocirca non excludit honestas recreationes, moderatas donationes, et alias ejusmodi expensas; sed haec prudenti timoratae conscientiae judicio, potiusquam generali regula determinari debent. *Billuart*, a. 5; *Gury*, I, 561.

[3] Pensiones vel supplementa, quae a quibusdam Gubernis Parochis aut Canonicis dantur vi concordati inter Papam et Gubernium, naturam induunt beneficiorum, seu bonorum ecclesiasticorum, quia constituta sunt uti dotatio, vel pars dotationis quam Gubernium promisit. (S. Poenit., 19 aug. 1821).

Secus tamen omnino dicendum est de supplementis vel de pensione quae tribuitur alicui Clerico ex oblationibus liberis, vel quae a Gubernio tribuitur Presbyteris Religiosis e monasterio ejectis; sunt enim auxilia, vel compensatio quaedam, bonis patrimonialibus omnino aequiparanda. — Vide tamen *Génicot*, I, 475.

[4] I, Cor., IX, 7.

geat praeceptum naturale caritatis, ipsis succurrere tenetur [1]. Hoc patet ex innumeris pene locis sacrorum Canonum et SS. Patrum, unde a nemine in dubium vocatur.

787. — *Q.* Clericus beneficiarius tenetur ne ex *justitia* reditus superfluos in pauperes vel usus pios elargiri ?

R. Disput. Th. *Prima* sententia cum S. Alph. affirmat, quia talis praesumitur voluntas Ecclesiae quae bonorum ecclesiasticorum supremum dominium habet; unde juxta hanc sententiam beneficiarius qui reditus superfluos proprii beneficii in usus profanos impendit, ad restitutionem tenetur. *Secunda* vero, quae juxta ipsum S. Alph. est etiam probabilis et valde communior inter recentiores, cum D. Th. negat, et dicit Ecclesiam quidem velle ut reditus superflui in pios usus impendantur, sed hoc ex caritate aut ex religione non vero ex justitia: unde juxta hanc sententiam beneficiarius, qui superflua non erogaret in pauperes vel usus pios, peccaret quidem contra caritatem vel religionem ob Ecclesiae praeceptum, sed non contra justitiam, ideoque ad restitutionem non tenetur [2]. Unde *in praxi* restitutio suadenda est, saltem ut poenitentia delictorum, sed non imponenda.

788. — *Q.* Quinam veniunt nomine pauperum ?

R. Nomine pauperum veniunt non solum ostiatim mendicantes, sed etiam qui aliter nequeunt suum statum conservare. Quos si consanguinei sint potest clericus praeferre aliis pauperibus etiam gravius egentibus, quia ad eum proximius pertinent et eorum subventio confert etiam ad proprii status decus servandum, cum illorum paupertas in ejus dedecus redundet. — Imo beneficiarius potest subvenire consanguineis, saltem proximioribus, ut quodammodo decenter vivant juxta suam dignitatem. Hoc tamen recte dicitur pro Episcopis, aut assumptis ad similem dignitatem, non vero pro Parochis.

An vero in distributione praeferendi sint pauperes loci, Th. dicunt quod beneficiarius potest superfluum erogare in quosvis pauperes aeque egentes, sive loci sint sive non, nisi aliud exigat bonum commune illius dioecesis, puta si subveniendum sit collegio educandorum [3].

789. — *Q.* Beneficiarius potest ne superflua reservare in futurum ad usus pios ?

R. Disput. Th., sed verius affirmant, modo necessitas non immineat providendi pauperibus, et cautio adhibeatur ne, morte adveniente, tales reditus forte a consanguineis diripiantur [4].

790. — *Q.* Qui bona a clerico dono vel haereditate accipit peccat ne, et tenetur ne ad restitutionem ?

R. — I. Si hujusmodi bona sunt patrimonialia, vel quasi-patrimonialia, vel ecclesiastica quidem

[1] Hic sedulo notandum quod in hoc, ut materia censeatur gravis, requiritur quantitas multo major quam in furto. Quaenam autem sit ista notabilis quantitas non conveniunt Th.: alii requirunt quartam vel quintam partem superfluorum; sed verius sufficit pars vigesima ad materiam gravem constituendam. S. Alph., L. III, 490, 4. Intellige si haec ipsa vigesima pars pertingat ad materiam gravem constituendam multo majorem quam in furto.

[2] S. Alph., L. III, 492. — Vid. etiam *Génicot*, I, 476.

[3] S. Alph., L. III, 491, 3.

[4] S. Alph., L. III, 491, 4.

sed necessaria aut parsimonialia, et accipiens nec fraude nec mediis injustis usus est, tunc nec peccat nec ad restitutionem tenetur, quia clericus plenum dominium in illis bonis habet.

2. Si vero sunt ecclesiastica et quidem congruae sustentationi superflua, sed clericus libere illa bona dedit, et accipiens in bona fide accepit, hic certe non peccavit.— Si vero dubia vel mala fide accepit, vel si clericum ad donandum induxit, tunc peccavit quidem, quia peccato donantis cooperatus est, sed ad restitutionem stricte non tenetur, quia satis non constat an clericus de superfluis donans injustitiae reus sit.

3. Si accipiens fraude vel mediis ex se injustis clericum ad talem donationem induxit, ad restitutionem erga pauperes vel causas pias tenetur; fraus enim et injustitia nemini patrocinari debent.

4. Si haeres bona superflua in haereditatem habuit a clerico defuncto *ab intestato,* et clericus a condendo testamento impeditus fuit ab ipso haerede, vel etiam ab aliis, tenetur illa bona restituere, quia sicut clericus teneba-

tur vel ex justitia vel saltem ex religione aut caritate illa bona in opera pia erogare, ita haeres secundum illius legitimam voluntatem ipsa distribuere tenetur [1].

5. Demum si clericus *ex consulto* sine testamento vel ultimae voluntatis declaratione decessit, sciens illa bona ex lege civili in haeredes transire, tunc haeres illa bona elargiri in pauperes vel usus pios certe tenetur ex virtute religionis aut caritatis, quia Ecclesia clerico, ideoque ejus haeredibus, facultatem tribuit disponendi quidem de bonis ecclesiasticis, sed solum ad causas pias. An vero elargiri teneatur etiam ex justitia, non satis constat, ut supra dictum est [2].

De usurpatione, emptione etc. bonorum ecclesiasticorum dicetur in Appendice, in fine.

CAPUT III.

De modis acquirendi dominium.

791. — *Q.* Quinam modus acquirendi dominium?

R. Modus dominii acquirendi duplex est. — Primus dicitur *originarius,* quando res quae acqui-

[1] Circa bona clericorum nunquam satis commendari potest Parochis, Beneficiariis et omnibus Sacerdotibus, ut tempore opportuno testamentum holographum condant, et ita de propriis bonis juste et pie disponant. Quot Sacerdotes qui piam voluntatem habebant proprium patrimonium in toto vel magna ex parte relinquendi pauperibus vel locis piis, morte improvisa correpti, vel ob morbum incapaces ad testamentum condendum effecti, mortui sunt ab intestato! Interim ex defectu testamenti post eorum mortem quot confusiones et contentiones exortae sunt! Illorum vero bona transierunt ad haeredes laicos plerumque etiam ingratos, imo et impios, qui bona ecclesiasticorum ut plurimum in vitiis et ludis cito dissiparunt! Hoc igitur monitum maximi momenti est.

[2] *Lehmkuhl,* I, 902. — Ceterum haec pro plerisque locis fere ad meram theoriam spectant, siquidem rara jam sunt beneficia adeo pinguia, ut illius proventus in se solis spectati excedant mensuram eorum quae ad honestam sustentationem conferre possunt,... postquam impia manus sacras Ecclesiae possessiones invasit. Verum clerici est non tantum videre quid summo jure debeat, sibive liceat, sed imprimis quid deceat atque fideles aedificet, quid contra populo scandalo sit et malo exemplo. *Ibidem.*

ritur est aut censetur nullius, et sub hoc respectu venit *occupatio.* — Secundus dicitur *derivativus*, quando acquiritur res quae jam ad alium spectabat, et sub hoc respectu veniunt *accessio*, *praescriptio* et *contractus :* sed de contractibus inferius.

792. — *Q.* Quid requiritur ut quis possit acquirere dominium rei sive nullius, sive alterius ?

R. Ut quis possit acquirere dominium rei, sive nullius sive alterius sit, tria requiruntur : 1° ut sit capax dominii acquirendi vel per se, vel per alios, v. g. per parentes ; 2° ut animum habeat dominium acquirendi ; 3° ut in his quae constant solo jure civili aut canonico omnia ex jure requisita adimpleat.

Art. I.

De occupatione.

793. — *Q.* Quid est *occupatio,* et quotuplex ?

R. Occupatio est *apprehensio rei corporalis, quae est, aut censetur nullius, animo eam faciendi suam.* Porro occupatio est legitimus titulus, seu modus, acquirendi dominium rerum ; - ratio, quia nulli infert injuriam, seu nullius jus laedit. Unde commune effatum : *Res nullius fit primi occupantis.*

Species occupationis sunt *venatio, piscatio, inventio.*

§ 1°

De venatione et piscatione.

794. — *Q.* Cujusnam sunt animalia venatione vel piscatione capta ?

R. Praemitto : Animalia triplicis generis sunt : 1° alia sunt natura sua *fera* seu *sylvestria,* quae plena utuntur libertate vel eam omnino recuperaverunt, talia sunt animalia terrestria uti lepores, vel volatilia uti aves, vel natantia uti pisces ; 2° alia sunt natura sua *mansueta* seu *domestica,* ut boves, oves, etc. ; 3° alia *mansuefacta* seu *cicurata,* nempe ex natura sua sylvestria sed mansuefacta uti apes, columbae, etc. Hoc posito :

I. Animalia *fera* sunt primi occupantis ; - ratio, quia sunt nullius et *jure naturae* licite a quocumque occupantur. Hinc si fera ita vulnerata vel illaqueata est ut adhuc fugam arripere possit, fit primi occupantis, secus primi vulnerantis aut illaqueantis, quia est jam inchoata ejus possessio. — *Jure civili* attendendae sunt leges peculiares cujusque regionis circa venationem aut piscationem.

II. Animalia *mansueta* semper sunt domini sui, quantumvis aberrent ; - ratio, quia haec animalia ex natura sua non judicantur plenam habere libertatem. Unde non possunt ab aliô occupari, et fructus naturales ab aliis percepti, uti lac, ova, lana, etc. restituendi sunt. Si tamen haec animalia censentur totaliter amissa vel derelicta, tunc res solvenda est juxta ea quae de inventione traduntur.

III. Animalia *mansuefacta* semper sunt prioris domini quoadusque consuetudinem retinent revertendi ad dominum. Si vero illam consuetudinem amittunt, fiunt primi occupantis ; haec ex jure naturali. At quoad *apes, columbos, cuniculos* et *pisces,* adest apud nos specialis dispositio legis [1].

[1] Dominus *apum*, quae suum alveare reliquerunt, habet jus eas insequendi in fundo alieno, sed tenetur domino fundi

795. — *Q.* Peccat ne qui venatur aut piscatur in fundo alieno, vel tempore aut loco prohibito?

R. — 1. Qui venatur aut piscatur in fundo alieno etsi non clauso, et grave damnum in confuso saltem praevisum fundo affert, peccat graviter contra justitiam commutativam et damnum illatum reparare debet.

2. Qui venatur aut piscatur in fundo alieno omnino clauso nec valde spatioso, peccat contra justitiam commutativam; nam eo ipso quod dominus fundi ea animalia inclusa habet, eorum dominium acquisivit et retinet.—Quod si fundus etsi clausus, tamen ita est amplus ut dominus fundi non sit certus de captura animalium, peccat quidem contra justitiam commutativam, sed gravitas injustitiae non est metienda ex pretio praedae factae, sed ex probabili spe capturae quam dominus fecisset, et a qua per alienam captionem impeditus est; ideoque restitutio secundum hanc probabilem spem, seu secundum probabilem damni aestimationem facienda est.

3. Qui venatur aut piscatur tempore vel loco vel modo a lege prohibito, vel sine debita licentia, certe non peccat contra justitiam commutativam, quia nullum jus strictum violat; imo probabiliter nec peccat contra justitiam legalem, quia haec prohibitio communiter habetur ut lex mere poenalis. — Potest tamen peccare si custodibus paratus sit armis resistere aut seipsum gravissimae poenae temere exponat.

4. Qui venatur aut piscatur in aliquo publico loco in quo venandi aut piscandi jus alter emit a legitima actoritate vi *justi contractus*, v. g., ex contractu locationis, violat justitiam commutativam; unde si in eo loco tantam multitudinem animalium caperet vel destrueret, ut jus alterius notabiliter laedat, ad reparationem damni teneretur. — Dixi *vi justi contractus*, quia si tantum *ex privilegio* quod jus strictum non conferat, nonnisi justitiam legalem violaret.

§ 2°

De inventione.

796. — *Q.* Quid est inventio?

R. Inventio est *occupatio quae casu fit.* Ex rebus inventis: 1° aliae sunt quae *nullius* dicuntur, quae nempe nunquam dominum habuerunt nec habent, uti *lapilli*, *coralia*, et de istis inventor plenum habet dominium; 2° aliae sunt quae dominum olim habuerunt, sed nunc desierunt habere, uti *thesaurus*, *bona vacantia* vel *derelicta;* 3° aliae vero sunt quorum dominus ignoratur, uti *bona amissa.*

797.—*Q.* Quid est thesaurus?

R. Thesaurus est *vetus quaedam depositio pecuniae, vel cujusvis rei mobilis pretiosae, cujus depositionis memoria non extat.* Ex Cod. It. thesaurus est quodlibet objectum mobile pretiosum, absconditum vel latens sub terra, cujus nemo pro-

damna compensare, si quae inde obvenerint. Verum si dominus apum eas non sit insecutus intra biduum, tunc possessor fundi eas capere et retinere potest. — Idem jus competit domino animalium mansuefactorum quae illius custodiam evaserint, sed haec ad capientem

spectant si non repetantur intra 20 dies. (C. It., a. 713). — Columbi vero, cuniculi, pisces, si sedem propriam mutaverint, acquiruntur a domino novae sedis, modo tamen arte vel fraude illos non attraxerit, (a. 462).

bare potest se esse dominum (a. 714). Quare ad naturam thesauri duo requiruntur: 1° ut res aliquo loco abscondita fuerit; secus non thesaurus erit, sed res nullius in genere, quae tota cedit primo occupanti; 2° ut ignoretur quisnam eam deposuerit. Quare si appareat a quo deposita fuit, ipsius erit, vel haeredum etiam per longissimam successionem; e contra, si is lateat, thesaurus intelligitur, etsi depositio recens videatur.

798. — *Q.* Thesaurus cuinam spectat?

R. — I. Thesaurus, *jure naturae* est inventoris, quia censetur res nullius. Dicitur autem inventor qui primus thesaurum detegit, sive per se sive per alios, v. g. per operarios *ad hunc finem* conductos.

II. Thesaurus si inventus sit in proprio fundo etiam ex *jure civili* totus inventori cedit; - ratio, quia res erat nullius.

III. Si inventus fuit in fundo alieno, sive rustico sive urbano, et *casu fortuito* fuit inventus, jus civile sic determinat: Dimidia pars debetur domino fundi jure accessionis [1]; altera dimidia pars debetur inventori jure occupationis. — An vero lex civilis in hoc casu obliget in conscientia ante sententiam judicis, disput. Th. Aliqui negant, quia thesaurus jure naturae totus est inventoris, utpote res nullius, nec est fundus, nec pars aut fructus fundi. Sententia tamen communis affirmat, quia lex civilis in hoc casu est determinativa proprietatis ratione boni publici [2].

IV. Si inventus fuit in fundo alieno sed *data opera*, clam, vel invito domino, tunc lex civilis in poenam delicti inventoris totum tribuit domino fundi. An vero inventor tribuere teneatur ante sententiam judicis, Th. communiter negant quia lex poenalis tantum est [3].

V. Si thesaurus repertus sit in loco usibus publicis destinato, uti via, foro, theatro, ecclesia, etsi data opera, alii tenent dimidiam partem fisco, vel civitati, vel ecclesiae spectare; alii e contra totum inventori cedere [4].

VI. Demum qui scit aut suspicatur thesaurum in fundo alieno latere, potest istum emere pretio communi, quia thesaurus non est fundus, nec pars nec fructus fundi, ideoque non auget ejus valorem; nec ejus scientia injuriam infert venditori.

799. — *Q.* 1° Quaenam sunt bona vacantia, derelicta, et amissa; 2° et cuinam spectant?

R. Ad 1um: Bona *vacantia* sunt ea quae reliquit moriens ab intestato sine ullo haerede intra decimum consanguinitatis gradum. — Bona *derelicta* sunt ea quae dominus rejicit animo abdicandi dominium; unde huc non spectant bona quae dominus projicit ex necessitate, v. g., in incendio, in naufragio. — Bona *amissa* sunt ea quae dominus amisit, sed adhuc inquirit.

[1] *Dominus fundi* intelligitur proprietarius, non usufructuarius (C. I., a. 714; C. G., a. 711).

[2] Vid. *Lehmkuhl*, Casus consc., I, 593; *Génicot*, I, 484. — Haec sententia videtur omnino tenenda juxta omnes Theol.; quia non desunt rationes quae jus naturale in hoc casu incertum reddunt, ac proinde ad jus positivum spectat illud determinare. Nihilominus, cum *in praxi* aliquis bona fide crederet totum retinere posse, nec facile hanc persuasionem deponeret, in sua bona fide relinqui posset.

[3] S. Alph., L. III, 602.

[4] *D'Annibale*, II, 130 (20).

Ad 2um: Bona sive *vacantia* sive *derelicta* jure naturae sunt primi occupantis, quia sunt nullius [1].
At jure civili bona *vacantia* absque distinctione mobilium vel immobilium pertinent ad regium fiscum [2]. Bona *derelicta* si mobilia sunt, fiunt primi occupantis; si immobilia cedunt fisco.

Quoad bona *amissa:* Inventor tenetur et quidem in conscientia— 1° adhibere debitam diligentiam ut dominus inveniatur, et huic comparenti ac rem esse suam probanti, ipsam tradere. — 2° Si dominus non compareat, tenetur rem resignare competenti auctoritati illius loci quo res inventa fuit ut fiat publica denuntiatio inventionis, et sic facile a domino reclamari possit. Quare si inventor debitam diligentiam omittit ad inveniendum dominum, cum aderat spes illum inveniendi, injustitiae reus est, nec rem potest facere suam. — 3° Si peractis debitis publicationibus res inventa nec a domino nec a Statu reclamata fuerit, tunc, elapso biennio, res ad inventorem spectat ex jure civili; et probabilius etiam in foro conscientiae, quia tunc res fit nullius, et ideo primi occupantis. Attamen si inventor est dives consulendus est ut eam impendat in usus pios. — 4° Si post adhibitam diligentiam ad inveniendum dominum, inventor ante tempus praescriptionis rem alteri tradiderit, ac deinde dominus compareat et rem suam repetat, tunc si inventor rem alteri tradiderit quando adhuc aderat spes dominum inveniendi, traditio est nulla et tenetur rem domino restituere; si vero non amplius aderat spes dominum inveniendi, tunc si inventor rem dedit alteri titulo gratuito, v. g. pauperi, et bona fide dedit, existimans se esse dominum, ad nihil tenetur; si autem dedit titulo oneroso, tunc restituere tenetur in quantum factus est ditior [3].

800. — *Q.* Operarius qui, in aliqua domo laborando, pecuniae summam in quodam angulo parietis, vel in veteri arca invenit, potest ne partem illius sibi retinere?

R. Disting.: Si adsint vestigia, ex quibus judicetur pecuniam hanc esse cujuspiam personae vel familiae, tota huic reddi debet, quia talis pecunia reputanda est ut bonum *amissum*. Secus dimidiam partem sibi retinere potest, quia tunc rationem thesauri habere videtur [4].

[1] Res nullius fiunt primi occupantis, licet is eas occupaverit in fundo alieno (veluti apes quae in arbore tuo consederant); aut vi, aut dolo adhibito (ut puta si vi in tuo fundo ingressus, venatione acceperim aliquid; vel si expiscatus a te ubi thesaurus lateat, illum abstulerim; sed si, dolo aut vi adhibita, prohibuerim te eum occupare, teneor injuriae et damni; aut lege prohibente (ut in venationibus prohibitis), quia non idcirco desinunt nullius esse. Ejusmodi vero res sunt in primis fera animantia, thesauri, et res derelictae. *D'Annibale*, II, 128.

[2] C. It., a. 758.

[3] S. Alph., L. III, 590. — «Il proprietario deve pagare a titolo di premio al ritrovatore, se questi lo richiede, il decimo della somma o del prezzo comune della cosa ritrovata. Ove tale somma o prezzo ecceda le due mila lire, il premio pel soprappiù sarà solamente del vigesimo». C. It., a. 718.

[4] Qui rem alienam invenit non tenetur ex justitia illam colligere, nisi speciali officio, vel contractu ad id teneatur; tenetur tamen ex caritate colligere pro domino, si res secus periret, vel si dominus eam amplius recuperare non posset, modo commode colligere possit. Quod si rem alienam jam collegit, non potest postea in eodem loco reponere, si probabilitas aderat, rem deti-

ART. II.

De accessione.

801. — *Q.* Quid est *accessio,* et quomodo distinguitur?

R. Accessio est *alienae materiae adjectio nostrae facta, sive ope naturae, sive humanae industriae, sive utriusque simul.* Hinc triplex est: naturalis, industrialis et mixta, seu quae ope naturae simul et humanae industriae contingit [1].

802. — *Q.* Quibusnam modis fit accessio *naturalis?*

R. Accessio *naturalis* fit:

1. *Nativitate,* nempe quando ex animali alicujus aliud nascitur, licet conceptum de masculo ad alium pertinente; fert enim axioma: *Partus sequitur matrem.*

2. *Alluvione,* nempe quando aliquid, vi cursus fluminum, paulatim et insensibiliter, praedio alterius adjicitur, et tunc incrementum pertinet ad eum cujus est fundus; vel quando aqua currens pau latim unam ripam deserit, alteram supergrediendo, et tunc proprietarius ripae a flumine derelictae incrementum hujus alluvionis acquirit, quin proprietarius ripae oppositae fundum amissum reclamare possit; fundus tamen a mare relictus ad demanium spectat [2].

3. *Avulsione,* quae contingit vel quando vi et impetu improviso, v. g., fluminis, pars aliqua notabilis, vel planta, ab uno fundo distrahitur et alteri adjungitur; et tunc pars avulsa manet in dominio illius a cujus fundo detracta fuit, quique intra anni spatium illam sibi vindicare potest; quod si negligat, jure suo privatur, nisi forte pars illa avulsa nondum ab aliquo sit occupata.— Vel contingit *mutatione alvei,* seu quando flumen, primo alveo relicto, per alium novum decurrit; et tunc proprietarii duabus ripis contermini alveum a flumine relictum sibi dividunt. — Vel contingit quando *insula in flumine nata sit;* et tunc si flumen navigationi non inservit, neque insula impetu sit avulsa, ad eos pertinet qui utrinque praedia possident [3].

803. — *Q.* Quibus modis fit accessio *industrialis?*

R. Accessio *industrialis* fit:

1. *Aedificatione,* quando quis vel aedificat in fundo proprio, sed materia aliena, et tunc evadit dominus aedificii, sed tenetur solvere materiae valorem, et potest etiam cogi ad compensationem damnorum; vel aedificat in fundo alieno, sed materia propria, et tunc si id egit *mala fide,* dominus fundi habet jus vel sibi retinendi illa opera compensando materiam et expensas, vel exigendi ut operarius propriis expensis penitus illa opera destruat et damna secuta compenset. Si vero id egit *bona fide,* dominus fundi potest persolvere valorem materiae et expensas operum, vel aug-

nendo, dominum inveniendi, quia colligendo suscipit obligationem ex justitia rem domino restituendi, si possit; unde res est jam in tuto posita, et si in eodem loco reponit, periculo exponit quod domino pereat, perinde ac rem ab incendio a se liberatam, iterum in ignem projiceret.

[1] Quidquid supra solum implantatum est vel aedificatum *superficies* dicitur; quidquid subter solum pretio aestimabile est, uti creta, ferrum, aurum, etc. *fodinae* dicuntur, v. g. cretifodinae, aurifodinae, etc.

[2] C. It., a. 454.

[3] C. It., a. 456, 458, 461.

mentum valoris fundi, at neutiquam exigere potest ut opera e fundo evellantur [1].

2. *Adjunctione,* seu quando duae res ad diversos dominos pertinentes ita in unum quid coalescunt, ut sine detrimento separari nequeant, v. g. pictura in aliena tela, gemma in annulo alterius, etc.; et tunc compositum est illius ad quem pertinebat res *principalis*, juxta axioma: *Accessorium sequitur principale;* sed in hoc casu dominus rei principalis alterum indemnem servare debet [2]. Quid vero principale, et quid accessorium censeri debeat, non semper facile est definire.

3. *Specificatione*, seu quando *species nova* ex re aliena conficitur, v. g. si quis ex ligno alterius vas sibi conficit; et tunc res pertinet ad dominum materiae, qui tamen pretium operis solvere debet. At si pretium operis pretium materiae longe superet, tunc res ad artificem spectat, soluto tamen materiae pretio; et si artifex mala fide egerit damna domino rei illata reparare debet [3].

4. *Confusione* nempe quando duae res liquidae vel liquefactae, aeque principales et ad diversos dominos pertinentes, simul confunduntur seu commiscentur, v. g. vinum unius dolii cum vino alterius, argentum cum stamno; aut *commixtione* quando res solidae ad diversos pertinentes commiscentur, v. g. frumentum cum frumento; et tunc si res sine detrimento separari nequeunt fiunt communes, et, nisi aliter domini inter se conveniant, compositum debet sub hasta vendi ac pretium dividi. Sed si una pars est principalis et alteram pretio multum superat, dominus rei principalis totum sibi vindicare potest, refuso pretio alterius partis [4].

804. — *Q.* Quibusnam modis fit accessio mixta?

R. Accessio *mixta* fit praesertim *plantatione* et *seminatione,* iisdemque regulis subjicitur quibus aedificatio.

Art. III.

De praescriptione

805. — *Q.* Quid est praescriptio; quomodo distinguitur; et quonam jure introducta fuit?

R. Praescriptio definitur: *Modus acquirendi dominium vel jus, aut ab aliqua obligatione se liberandi, per lapsum temporis a lege praefiniti, et sub conditionibus ab ipsa lege statutis* [5].

Praescriptio duplex est: *Acquisitiva*, et per hanc acquiritur aliquod jus, et dicitur proprie *usucapio*, quia per illam res usu capitur; et *liberativa*, et haec ab aliqua servitute vel onere liberat.

Praescriptio introducta fuit jure gentium et civili ob bonum publicum, ne videlicet dominium rerum remaneret incertum, ac proinde ne jurgia et lites multiplicarentur, etc.; unde fundamentum habet in ipso jure naturali, et vim obtinet in foro tum externo tum interno.

806. — *Q.* Quotnam conditiones requiruntur ad praescriptionem?

R. Ad praescriptionem quinque conditiones requiruntur hoc versiculo comprehensae:

[1] C. I., a. 450, 451.
[2] C. I., a. 454.
[3] C. I., a. 468, 470.
[4] C. I., a. 472-3.
[5] S. Alph., L. III, 504.

Sit res apta, fides, titulus, possessio, tempus.

807. — *Q.* Quaenam res ad praescriptionem apta?

R. Res ad praescriptionem apta ea est quae natura sua vel legum dispositione potest a privatis acquiri et possideri. — Hinc praescribi possunt res positae in commercio privato, uti fundi, gemmae, instrumenta materialia, transitus, etc.

E contra praescribi nequeunt: — *a)* res quae sunt *juris naturalis* aut *divini,* uti jus patris in filios, jus percipiendi decimas, onera missarum et conditiones a fundatoribus appositae, legata pia, dotes, eleemosynae distribuendae, etc.; — *b)* res quae *non sunt in commercio,* uti res sacrae, jura spiritualia; — *c)* res *publico bono* deputatae, uti platea, via publica, etc.; — *d)* res quae ex legis sanctione impraescriptibiles sunt [1].

808. — *Q.* Quaenam fides requiritur ad praescriptionem?

R. Ad praescriptionem requiritur bona fides, seu persuasio prudens et firma qua quis rem quam possidet judicat esse suam.

In *foro externo* bona fides semper supponitur, et ex jure civili (C. It., a. 702) sufficit quod bona fides, in ordinariis usucapionibus, adsit tantummodo in initio acquisitionis. Elapso autem tempore ad praescriptionem a lege requisito, non datur amplius actio in *foro externo,* ne praetextu malae fidei turbentur possessiones, ac lites in infinitum protrahantur.

In *foro interno* vero bona fides semper requiritur, non solum initio possessionis, sed etiam per totum tempus ad praescribendum requisitum. Hinc axioma Juris Canonici: *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit. Definimus ut nulla valeat absque bona fide possessio,... unde oportet, ut qui praescribit in nulla temporis parte habeat conscientiam rei alienae* [2]. Notandum vero est quod in initio possessionis requiritur bona fides positiva, unde qui dubitat an res sit aliena possessionem inchoare nequit; in decursu autem possessionis sufficit ut non superveniat mala fides, unde si possessori bonae fidei dubium tantum suboritur, praescriptio non interrumpitur, modo interim diligentiam adhibeat ad veritatem cognoscendam; neque bona fides vitiatur per negligentiam inquirendi leviter culpabilem.

809. — *Q.* Mala fides antecessoris impedit ne successorem a praescriptione assequenda?

R. Distinguo: Si successor succedit titulo *particulari*, et succe-

[1] S. Alph., L. III, 515; L. VI, 324.

[2] Et ita, ait *D'Annibale*, II, 152, (10) omnino tenendum, quippe ei tantum praescribere fas est, *qui in nulla temporis parte habet conscientiam rei alienae* (C. 20, h. t.). Quidam putant, hoc locum non habere in actionibus personalibus, v. g., in rebus creditis, si creditor per 30 continuos annos pecuniae creditae ne usuras quidem petierit; sive 1° quia mora debitoris heic vacat letali, et jus canonicum derogat legibus civilibus quae absque *peccato mortali observari non possunt;* sive 2° uti Recentiores quidam, quia NN. LL. heic naturalem quoque obligationem sustulerunt; nec hoc inquiunt, contrarium est Juri canonico. Sed hisce non obstantibus Th. communiter docent bonam fidem requiri in conscientia non solum in initio praescriptionis, sed toto tempore requisito. Quare concludit *Gousset*, si possessor animadvertat, antequam tempus praescriptioni necessarium praeterierit, rem a se possessam esse alterius, impotens fit ad praescribendum in foro conscientiae, licet praescriptio admitti possit in foro externo (De Decalogo, p. VII, c. VI).

dit bona fide, tunc praescribere potest, quia ipse non est, nec fictione juris censetur una persona moralis cum antecessore. Idem dicendum de rebus acquisitis emptione vel alio contractu.

Si vero succedit titulo *universali*, nempe uti haeres, tunc praescribere non potest si agatur de praescriptione ordinaria 10 vel 20 annorum, quia unam personam moralem facit cum suo antecessore, ideoque quum possessio antecessoris habuerit initium vitiosum, etiam possessio successoris fictione juris reputatur vitiosa. Probabiliter autem mala fides antecessoris non nocet successori *mediato*. Si vero agatur de praescriptione extraordinaria 30 annorum, tunc plures Th. affirmant praescribere posse, quia Jus civile, nulla facta distinctione, dicit omnes obligationes, sive reales sive personales, posse praescribi per annos 30, neque ullam admittit exceptionem ex parte tituli vel bonae fidei [1].

810. — *Q.* Quinam titulus requiritur et sufficit ad praescriptionem ?

R. Praemitto: Titulus est ratio qua aliquid possidemus. Alius est *verus*, qui habet omnes conditiones requisitas ad dominium transferendum. Alius est *coloratus*, seu apparens, qui speciem quidem habet veri tituli, sed ob occultum defectum vim suam non obtinet, uti donatio ab eo facta qui a jure donare prohibetur. Alius est *existimatus*, qui prudenter creditur adfuisse, licet revera non adfuerit, uti si filius haereditate possideat rem quam putat a patre emptam, cum tamen empta non fuerit. Alius *praesumptus*, qui nempe probari nequit, sed ex pacifica et diuturna possessione recte praesumitur. Alius demum est *vitiosus*, qui ex natura sua non est aptus ad transferendum dominium, v. g., titulus quo res non possidetur nisi per vim, vel quo res non acquiritur nisi precarie, uti locatio, commodatum. Hisce positis:

I. Ad praescriptionem non requiritur titulus *verus*, ut patet, quia per illum res jam possidetur, sed requiritur et sufficit titulus *coloratus;* imo sufficit etiam *existimatus*, et ad praescriptionem 30 annorum sufficit *praesumptus*. Non sufficit vero titulus *vitiosus* juxta axioma: *Melius est non habere titulum, quam habere vitiosum*. Notandum vero quod in praescriptione *liberativa*, et rerum incorporearum, patientia et silentium domini vicem tituli obtinet; quare sufficit possessio quieta et pacifica [2].

2. Pro rebus *mobilibus*, v. g., gemmis, pecunia, quibus aequiparantur schedulae bancariae, vulgo *titoli al portatore*, generatim pro titulo sufficit sola possessio, unde valet illud: *Possideo quia possideo;* qui enim rem detinet censetur ejus dominus, nisi contrarium probetur. Sed requiritur ut res possideatur titulo proprietatis; — ut adsit bona fides; — ut res mobilis sit talis ex natura sua, et agatur de re mobili in particulari, non vero de generalitate mobilium [3]. Haec tamen dispositio legis non extenditur ad res furtivas, vel inventas, quas verus dominus intra biennium a quovis possessore repetere potest; pretio tamen emptionis ipsi soluto, si rem furtivam aut inventam emerit sub ha-

[1] C. I., a. 2135; C. G., a. 2262.
[2] *Aertnys*, L. III, 276.
[3] C. It., a. 707.

sta, aut in nundinis, aut a mercatore qui ejusmodi res vendere soleat [1].

811. — *Q.* Quaenam possessio ad praescriptionem requiritur?

R. Ad praescriptionem requiritur possessio 1° *dominativa*, seu animo proprietarii non depositarii: hinc colonus praescribere nequit; nec datur praescriptio quoad transitum vel pascua in aliquo loco, quando permissio domini est actus tolerantiae; 2° *certa*, nam si esset dubia deficeret bona fides; 3° *pacifica*, ita ut de ea non litigetur; 4° *publica*, pro foro externo, ita ut ille contra quem currit praescriptio reclamare possit; 5° demum *continua*, per tempus a lege requisitum.

812. — *Q.* Quomodo aut quandonam praescriptio infirmatur?

R. Praescriptio infirmatur per interruptionem et per suspensionem.

1. *Interruptio* esse potest sive *naturalis*, cum quis a possessione dejicitur, et rei fruitione privatur ultra annum; sive *civilis*, v. g. si intervenit litis contestatio vel injunctio, vel quis sequestrum indicit, vel etiam *renuntiatione* ejus qui praescribere potest. — Porro interruptio efficit ut pro nihilo habeatur tempus praeteritum, et praescriptio de novo inchoari debeat. Notandum vero quod praescriptio non interrumpitur si res possessa ab uno in alterum transferatur, v. g. emptione, donatione, etc, manente bona fide.

2 *Suspensio* habetur quando, perdurantibus iisdem rerum vel personarum adjunctis, praescriptio inchoata suspensa remanet, seu non currit, sed *dormit*, ita tamen ut, remoto impedimento, pergit sine alio detrimento praeter amissionem temporis dormitionis, seu suspensionis; nempe computatur tempus praeteritum quod connectitur cum sequenti.— Hoc autem accidit: 1° quando judicia exerceri nequeunt, v. g. *tempore pestis* aut *belli*; 2° quando is contra quem praescribitur jus suum prosequi non valet: unde praescriptio non currit contra ecclesiam si caret rectore, vel contra pupillos dum sunt sub tutela, vel contra quemlibet qui non possit jus suum prosequi.

813. — *Q.* Quodnam tempus ad praescriptionem inducendam?

R. Praemitto: apud auctores praesertim modernos distinguitur: 1° Praescriptio *longissimi* temporis, seu 30 annorum. — 2° Praescriptio *longi* temporis, seu 10 annorum. — 3° Praescriptio *brevis* temporis, seu 5 annorum, quae respicit summas solvendas periodice per modum fructuum civilium (C. I., a. 2144). — 4° Praescriptio *brevissimi* temporis infra 5 annos, v. g. 3, 2, unius anni sex mensium, etc. Hoc posito:

Tempus ad praescriptionem inducendam variat pro diversitate rerum et nationum. Penes nos:

1. Quoad res *immobiles*, si possidentur *sine titulo*, vel cum titulo tantum praesumpto, requiruntur 30 anni [2]; si cum titulo colorato

[1] C. It., a. 708-9.

[2] Jure *canonico* ad praescribenda bona *immobilia ecclesiastica* requiruntur 40 anni; imo 100 pro bonis Ecclesiae Romanae. S. Alph., L. III, 510.—Idem tempus requiritur ad praescribendas *actiones* ecclesiis et locis piis competentes. — Hac de re leges civiles plus minusve discordant a jure canonico; sed hoc in foro interno semper tenet, cum lex civilis juri canonico derogare nequeat.

vel existimato, qui in publicis libris debet esse transcriptus, 10 anni [1].

2. Quoad res *mobiles* lex civilis non determinat tempus: attamen pro re deperdita aut furata dat domino tempus 2 annorum ad eam reclamandam.

3. Quoad actiones *personales*, uti actiones medicorum, magistrorum, operariorum, etc., consulendi sunt varii Nationum Codices [2].

Porro praescriptiones *longissimi* et *longi* temporis valent in conscientia, positis debitis conditionibus, quia lex humana legitime potest transferre dominium de uno in alium ratione boni communis. — Praescriptiones *brevis* temporis an valeant in conscientia, disput. Th.; quare in dubio juris valet axioma: *melior est conditio possidentis*. — Praescriptiones vero *brevissimi* temporis, quoad debita solvenda, non valent in conscientia, et solam praesumptionem constituunt factae solutionis, ut omnes fatentur. Quare debitor qui certus est debitum suum non solvisse, tenetur in conscientia illud solvere, quia lex civilis quoad hanc praescriptionem non habet intentionem transferendi dominium, ut constat ex juramento quod petit a debitore, sed solum negat creditori actionem in foro externo, ne administratio justitiae nimis difficilis reddatur. Insuper hic certe bona fides adesse deberet, quae saltem in debitore immediato vix reperiri potest.

—

[1] C. It., a. 2137.

[2] Ex Cod. It. — Spatio *sex mensium* praescribuntur actiones cauponum quoad cibaria et hospitia praestita (art. 2138). — Spatio *unius anni* praescribuntur actiones janitorum (*uscieri*) pro eorum mercede; mercatorum pro mercibus venditis civibus non mercatoribus; eorum qui contubernia habent pro pensione ipsis debita; domesticorum pro eorum salario. Item actiones magistrorum sive scientiarum, sive artium pro lectionibus quas tradunt ad dies, vel ad menses (art. 2139). — *Triennio* praescribuntur actiones medicorum, chirurgorum, pharmacopolarum pro cura et medicinis. Item actiones advocatorum, procuratorum ad lites, et notariorum pro eorum honorariis et stipendiis: anni computantur pro advocatis et procuratoribus a die litis finitae, vel mandati revocati, et pro notariis ab eorum operum complemento. Item actiones magistrorum sive scientiarum sive artium mercede ducti ad tempus ultra unum mensem. Item actiones architectorum et similium artium pro solutione mercedis ipsis debitae (art. 2140). — *Quinquennio* praescribuntur annui census, canones, pensiones, usurae, et generatim quidquid quotannis vel breviori tempore solvi debet (art. 2144).

PARS II.

DE CONTRACTIBUS

(seu de modo acquirendi dominium privata voluntate)

DE CONTRACTIBUS IN GENERE

Duobus capitibus haec dissertatio constat : 1. *De contractus natura, et de requisitis ad contrahendum;* 2. *de contractus obligatione.*

CAPUT I.

De contractus natura, et de requisitis ad contrahendum.

ART. I.

De contractus natura.

814. — *Q.* Quid est contractus, et quomodo dividitur?

R. Contractus definiri solet : *Conventio qua unus aut plures se obligant erga unum aut plures ad aliquid dandum, vel faciendum, vel omittendum.*

Contractus dividitur praecipue: — 1° In *nominatum* et *innominatum*. Prior est qui proprium habet nomen, uti emptio, venditio; posterior est qui nomine speciali caret; hujusmodi quatuor dantur species : *Do ut des; — do ut facias; — facio ut des; — facio ut facias.* — 2° In *unilateralem* seu *gratuitum* et *bilateralem* seu *onerosum*. Primus obligat tantum unam partem, uti donatio; alter obligat utramque partem, uti venditio [1]. — Onerosus subdividitur in *commutativum*, cum utraque pars contrahens obligatur ad dandum vel faciendum aequivalens, ut in venditione; et in *aleatorium* cum hujusmodi aequivalens pendet ab incerto eventu lucri vel damni pro utraque parte, ut in ludo, censu vitalitio. — 3° In *purum* seu *absolutum* et *non purum* seu *qualificatum* vel *conditionatum*. — 4° In *vestitum* et *nudum*. Primus est qui omnes formalitates a lege praescriptas continet, unde obligat etiam in foro externo; alter qui forma a lege requisita caret, unde pro eo in foro externo non datur actio [2]. — 5° In contractum *stricti juris*, si judex stare debet omnino verbis contra-

[1] Bilateralis ampliorem, unilateralis strictiorem interpretationem desiderat; scilicet quae quis gratuito promisit, *amare exigenda non sunt. D'Annibale*, II, 408 (6).

[2] Leges quae nominatim prohibent aliquos contractus inire, strictissimam interpretationem recipiunt, quippe naturalem libertatem coërcent. Proinde qui aliqua emere vetantur, ea conducere posse vix dubium puto; et sane quando lex id quoque prohibere voluit, id palam expressit. *D'Annibale*, II, 409, 8.

hentium; et *bonae fidei*, si judex multa ex aequo arbitrari potest. — 6° In *solemnem* et *simplicem*, prout speciales legis formalitates requirit, vel tantum dispositiones communes. — 7° In *formalem* seu *explicitum* et *virtualem* seu *implicitum*. Prior est in quo consensus verbis, scriptis, vel aliis signis explicite manifestatur. Alter vero in quo consensus realiter quidem existit, sed implicite tantum aliquo dicto vel facto manifestatur; sic medicus artem suam exercens promittere censetur se omnia facturum quae ejus professio requirit. Contractus implicitus a Th. communiter etiam *quasi-contractus* nuncupatur et definitur : *Voluntaria assumptio alicujus officii*. Et sic omnia comprehenduntur munera quae quis quocumque modo suscipit, uti officia parochi, advocati, judicis, notarii, tutoris, famuli, etc., in quibus tacita conventio existere censetur inter eos qui haec exercent, et eos qui illorum officia requirunt.

ART. II.

De requisitis ad contrahendum.

815.—*Q.* Quaenam requiruntur ad contrahendum ?

R. Ad contrahendum tria essentialiter requiruntur; materia apta, persona ad contrahendum idonea, legitimus consensus.

§ 1°

De materia apta.

816. — *Q.* Quaenam materia apta ad contrahendum ?

R. Materia apta ad contrahendum, seu objectum contractus, est res, aut actio vel omissio, quae sit possibilis, existens vel in re vel saltem in spe certa aut probabili, honesta, pretio aestimabilis, propria tradentis, in commercio posita, et determinata in specie quoad qualitatem, et quoad quantitatem saltem ex adjunctis determinabilis.

817. — *Q.* Res spiritualis potest ne esse materia contractus ?

R. Res spiritualis, seclusa omni simonia et speciali prohibitione, potest esse materia contractus, quia nihil adest inordinati in tali contractu. Hinc v. g. sacerdos ex justitia vel ex fidelitate missam promittere potest.

818. — *Q.* Valet ne contractus de re impossibili, vel partim possibili partim impossibili ?

R. — 1. Si res est absolute vel relative impossibilis contractus nullus est, quia ad impossibile nemo se obligare potest. Et in hoc casu si contrahens cognoverit rem esse sibi impossibilem et alteri non manifestaverit, tenetur de damnis quae alter passus est, quaeque ipse saltem in confuso praeviderit.

2. Si res est partim possibilis et partim impossibilis, distinguo: Si ex natura sua vel ex intentione contrahentium est indivisibilis, contractus non valet, quia contrahentes non censentur voluisse se obligare nisi aut ad totum aut ad nihil. Si vero est divisibilis, contractus valet quoad partem possibilem, juxta axioma juris: *Utile non debet per inutile vitiari*. — Et in dubio standum est pro valore contractus, donec aliter certo non constet.

819.—*Q.* Valet ne contractus de re illicita ?

R. — 1. Si res illicita est *adhuc patranda*, contractus certe non valet, sive res sit mala ex natura

sua, sive solum ex lege positiva, quia justitia nullo modo obligare potest ad illicitum; unde si promittens pretium pro re illicita adhuc patranda illud jam solverit, accipiens tenetur et a re illicita se abstinere et pretium restituere [1].

2. Si res illicita *jam est patrata*, et est illicita solum ex lege positiva, puta opus servile in die festo, contractus post opus patratum obligat, quia res per se honesta est; unde juxta omnes promittens tenetur pretium solvere, et accipiens potest illud retinere.

3. Si vero res illicita et *jam patrata* est intrinsece mala, an talis contractus valeat ita ut pretium promittens illud solvere teneatur, duplex adest sententia. *Prima*, quam tenent plures graves Th., negat, quia actio ex natura sua illicita nullo pretio digna est, ideoque nec vendibilis, et aliunde si pactum ante impletionem erat nullum, non potest per impletionem validari. *Secunda*, ex S. Alph.[2] probabilior et communis, affirmat, quia in quocumque contractu oneroso lex naturalis dictat quod, cum quis partem suam praestiterit, alter tenetur et suam praestare si licite potest.—Quare *in praxi* stat regula: *In dubio melior est conditio possidentis*. Ideoque si pretium nondum est solutum, promittens non est *cogendus* ad solutionem, nisi interveniat sententia judicis; si autem jam solutum est, accipiens non est *cogendus* ad restitutionem, et acceptum retinere potest; sed *hortandus est* ut illud ex toto, vel saltem ex parte in usus pios impendat, sive in poenam patrati delicti, sive ne commodum reportet ex iniquitate, sive ne lucri cupiditate ad eadem iniqua opera redeat.

820. — *Q.* Res aut actio jam aliunde debita potest ne esse materia contractus?

R.—**1.** Si res aut actio est debita *ex justitia* alteri contrahenti, nequit esse materia contractus, quia secus alteri venderetur res jam sua; unde qui pro tali actione vel aliquid contra specialem prohibitionem acciperet, vel exigeret pacto sive explicito sive implicito [3] peccaret contra justitiam et ad restitutionem teneretur. Sic judex nihil pro justa sententia ferenda accipere potest. Dixi: *contra specialem prohibitionem*, vel *qui exigeret;* nam esclusa speciali prohibitione, vel scandalo aut periculo judicium subvertendi, nec peccaret nec ad restitutionem teneretur qui aliquid acceptaret sponte et liberaliter datum ob actionem jam ex justitia debitam.

2. Si autem est debita *ex justitia* quidem, sed tertiae personae et non contrahenti, tunc potest esse materia contractus, dummodo illaesum maneat jus tertiae personae, quia salvo ejus jure rem utilem alteri facis. Sic v. g., si tu ex contractu cum Titio quopiam pergis pro negotio tractando, potes etiam ex contractu cum Caio una eo pergere pro alio negotio, dummodo posterius mandatum priori non noceat.

[1] Si vir feminae donet cum pacto explicito vel implicito de copula ineunda, mulier, copula non concessa, tenetur acceptum restituere; secus si dedit solum ad animum alliciendum, quia datio illa fuit omnino liberalis. Mulier tamen tale munus accipiendo difficulter excusatur a peccato scandali, quia, munere accepto, vir ardentior et audacior redditur ad eam concupiscendam.

[2] S. Alph., L. III, 712.

[3] Censetur adesse pactum implicitum quando tot vexationes ac molestiae parti afferuntur, ut ipsa eligat potius munera offerre, quam illas sustinere.

3. Si vero solum *ex caritate* aut alia virtute debita est, non vero *ex justitia*, tunc est materia contractus, modo sit pretio aestimabilis. Hinc v.g. potes accipere pretium ut jejunium serves, ut missam audias, etc. Attamen peccaret qui aliquid tanquam pretium *exigeret* pro actione quam ex caritate aut ex alia virtute jam gratuito praestare debet.

§ 2°

De subiecto contractus.

821. — *Q.* Quodnam subjectum contractus ?

R. Subjectum contractus sunt personae contrahentes jure habiles. Porro jure *naturae* contrahere possunt omnes qui usu rationis pollent ; jure vero *civili* contrahere possunt qui, praeter usum rationis, liberam habent suorum bonorum administrationem, vel habent legitimam potestatem ab eo qui illam facere potest, idque pro mensura administrationis et potestatis sibi concessae.

Hinc jure civili contrahere prohibentur saltem in quibusdam casibus expressis : 1° Minores ; 2° Uxores; 3° Interdicti; 4° Inhabilitati; 5° omnes illi, quibus determinatos quosdam contractus lex vetat (C. It., a. 1106).

822. — *Q.* Contractus initus cum persona ex lege civili inhabili est ne nullus ?

R. Contractus initus cum persona ex lege civili inhabili jure naturae tenet, juxta communissimam sententiam, nisi lex civilis obligationem quoque naturalem sustulerit. Jure civili vero non est ipso facto nullus, sed est rescindibilis ex parte inhabilis.—Rescissionem petere possunt tum ipse inhabilis, tum administrator bonorum ejus, tum illius haeredes[1]; sed actio nullitatis proponenda est in casibus et conditionibus a lege specialiter expressis [2].

E contra qui cum persona a lege civili inhabili contrahit, si omnia a lege praescripta absolverit, vere obligatur etiam civiliter, nec potest inhabili, nisi in casu deceptionis ex ejus parte, incapacitatem opponere, exceptis jure interdictis in poenam. (C. I., a. 1107; C. G., a. 1125).

823. — *Q.* Minor potest ne quandoque contrahere ?

R. Minor non emancipatus potest de bonis castrensibus vel quasi-castrensibus disponere sive per contractus, sive per ultimam voluntatem, nec requiritur consensus patris, dummodo sit puber. Item potest contractus inire spectantes mercaturam vel artem quam ipse ex consensu patris vel tutoris ex-

[1] Ex jure italico, art. 1303, omnis contractus cum minore, si conditiones speciales a lege appositae non impleantur, est rescindibilis.—Jure gallico, art. 1305, rescissio minori conceditur non ad libitum, sed tantum si ex contractu (non ex casu fortuito) laesus fuerit.

[2] Actio nullitatis non conceditur si laesio contractus originem habet ex casu fortuito nec praeviso; si obligatio oritur ex delicto vel quasi-delicto personae inhabilis; si minor non simplici affirmatione, sed dolo alteri persuaserit se esse majorem ; si commercium aut artem exercens, pro rebus sui commercii aut artis obligationem contraxerit ; si major factus ratum habuit gestum in minoritate, etiamsi illud fuerit nullum ob defectum formae (C. I., a. 1305 et seq.; C. G., a. 1306 et seq.).

Tempus vero utile pro actione nullitatis proponenda ex jure ital. non excedit *quinquennium* a die majoritatis (a. 1300), et ex jure gall. *decennium* (a. 1304).

ercet. Alios vere contractus inire non potest sine assistentia tutoris (C. I., a. 277; C. G.; a. 456).

Minor emancipatus potest inire contractus qui sunt purae administrationis, quin possit rescissionem petere, nisi quando jus rescissionis competit etiam majori. In ceteris contractibus eget assistentia curatoris, et in rebus majoris momenti tutor et curator ab auctoritate *consilii familiae* pendent (C. I., a. 257-301; C. G., a. 450, 468).

824. — *Q.* Quandonam minor ad restitutionem tenetur?

R. Minor ad restitutionem tenetur quando alteram partem mala fide laesit, vel quando ex re aliena factus est ditior. — Seclusis his casibus, probabilius ad restitutionem non tenetur, et potest etiam in foro conscientiae uti beneficio legis civilis, quamvis altera pars inde damnum passura sit, quia lex inhabiles declarando minores bonum publicum intendit, ne ipsi minores bona sua dilapident, et ne alii eorum imperitia abutentur; unde qui mala fide vel imprudenter cum minoribus contrahunt, sibimetipsis imputent damnum quod patiuntur. Nec minores post adeptam majoritatem in rigore juris talia debita solvere tenentur.

825. — *Q.* Uxor potest ne aliquando contrahere?

R. — **1.** Uxor, *ex jure communi,* de bonis familiae vel de dote ejusque fructibus, praesente viro et valente haec bona administrare, non potest contrahere aut disponere sine consensu mariti expresso aut saltem rationabiliter praesumpto.

2. Ex *jure civili* (C. I., a. 134) uxor sine auctoritate a marito facta nequit donare, bona immobilia alienare, hypothecae subjicere, mutuum accipere, sortes *(capitali)* cedere vel exigere, fidei jussionem interponere, transactionem inire, neque in judicio conveniri circa hujusmodi actus. Vir autem actu publico mulieri concedere potest auctoritatem pro omnibus praedictis actibus, vel pro quibusdam tantum, salvo semper jure hanc auctoritatem revocandi. — Haec mariti auctoritas necessaria non est: 1° quando ipse est minor, vel interdictus, vel absens, vel ad carcerem damnatus ultra annum, tempore expiationis poenae; 2° quando mulier legaliter separata est ob viri culpam; 3° quando mulier mercaturam exercet (C. I., a. 135).

3. Uxor sine consensu viri potest: 1° disponere per testamentum de bonis suis; 2° comparare quae sustentationi familiae necessaria sunt; 3° contractus inire, sed merae administrationis circa bona paraphernalia, vel circa bona separata [1]. — Quod si uxor facultates a lege sibi concessas praetergrediatur, contractus est rescindibilis, et rescissio peti potest vel a marito, vel ab ipsa uxore, vel ab eorum haeredibus.

[1] Casus.—Anna nomine viri mutuum petit, se obligans ad restitutionem in defectu viri, si hic restituere non possit aut nolit. Alia vice pecuniam in propriam utilitatem, inscio marito, mutuavit.

Q. Anna tenetur ne ad restitutionem?

R. Anna certe tenetur, quia fuit causa absolute determinans contractus, unde obligationem libere susceptam adimplere debet, praesertim viro defuncto, secus malae fidei evaderet; et a fortiori tenetur in secundo casu, ut clamat naturalis aequitas. *Gury,* I, 769, 4°.

826. — *Q.* Quinam sunt interdicti a contractibus ?

R. Interdicti a contractibus sunt: — 1° Qui judicis sententia declarantur incapaces administrandi propria bona ob imbecillitatem mentis vel dementiam — 2° Prodigi juridice denuntiati, qui contrahere nequeunt sine adsistentia consiliarii a judice designati. — 3° Civiliter mortui, qui nempe omnibus juribus civilibus destituti sunt, uti perpetuo ad triremes damnati. — 4° Tutores et curatores, durante tutela, interdicuntur a contractibus cum minoribus, et hoc non solum jure civili sed etiam naturali ; — genitores quoque quoad bona filiorum sub patria potestate ; — advocati, procuratores, judices circa ea de quibus causam vel patrocinium agunt.

§ 3°

De legitimo consensu.

827. — *Q.* Consensus ad valide contrahendum qualis esse debet ?

R. Consensus ad valide contrahendum debet esse : 1° *Internus,* seu *verus,* quia obligatio contractus oritur ex sola contrahentis voluntate. Non requiritur tamen voluntas explicita, sed sufficit ut quis aliquid velit quod ex natura sua obligat. 2° *Externus,* seu manifestatus et intimatus alteri parti, ita ut possit ab alio cognosci et acceptari ; interdum vero in favorabilibus silentium pro consensu habetur. 3° *Liber,* seu *plene deliberatus,* nempe quod contrahens agat cum plena advertentia, secus consensus non esset perfectus, nec perfectam obligationem parere posset. 4° *Mutuus,* unde necesse est ut ambo contrahentes consentiant ; non requiritur tamen ut sit *simultaneus,* sed sufficit ut consensus unius non revocetur donec consensus, seu acceptatio alterius eidem adjungatur [1].

828. — *Q.* Valet ne contractus initus cum consensu externo, sed sine animo contrahendi, vel sine animo se obligandi, vel sine animo adimplendi ?

R. — 1. Contractus initus sine animo contrahendi, vel sine animo se obligandi probabilius et verius non valet, quia consensus et obligatio sunt de essentia contractus. Ille tamen qui sic contraxit tenetur in conscientia aut partem deceptam indemnem facere aut verum consensum praestare. Imo in foro externo non auditur, et merito, secus actum esset de contractibus ; ideoque ex quo externe annuit, obligationem juridicam contraxit contractum implendi.

2. Contractus vero initus cum animo contrahendi et se obligandi, sed sine animo adimplendi, valet et obligat in conscientia, quia contractus ex consensu et obligatione perficitur, et pravus animus non implendi essentiam contractus non tollit (v. dicta de juramento, n. 591).

829. — *Q.* Contractus initus ex errore vel dolo valet ne ?

R. — 1. Si error vel dolus est circa *substantiam* rei, vel quali-

[1] Si agatur de negotio inter absentes per epistolam, vel per telegraphum, vel per telephonum, necesse est ut mea pollicitatio tibi, et tua acceptatio mihi innotuerit ; ideoque medio tempore licet *illinc* mihi, et *hinc* tibi, immo et mihi, a contractu quippe nondum perfecto discedere, refuso alteri damno, si quod exinde passus est. *D'Annibale,* II, 411 (35).

tatem *substantialem*, sive sit antecedens sive concomitans [1], nempe sive causam dederit contractui sive non, contractum irritat jure naturae, quia deficit debitus consensus.

2. Si error vel dolus est circa qualitatem *accidentalem*, v. g. emisti vinum mosellanum putans esse rhenanum, sed qualitas accidentalis deducta fuit in pactum uti *conditio sine qua non*, etiam tunc contractum irritat; quia in tali casu error habetur ut substantialis, quum versetur circa objectum principale voluntatis.

3. Si error vel dolus est circa qualitatem *accidentalem*, sed haec qualitas *non fuit deducta* in pactum, tunc si *causam non dedit* contractui (nempe si, patefacto errore, pars adhuc contraxisset), contractum non irritat, quia habetur debitus consensus circa objectum principale. — Si vero *causam dedit* contractui, an contractum irritet, disput. Th. Sed communiter distinguunt inter contractum gratuitum et onerosum; et communius affirmant quoad *gratuitum*, quia talis contractus ex natura sua consensum omnimode spontaneum requirit. Negant vero communius quoad *onerosum*, quia ad valorem hujus contractus sufficit animus voluntarius quoad substantiam, licet involuntarius sit quoad accidentia. — At si talis error, seu dolus, fuit non a tertia persona, sed ab altero contrahente, pars decepta semper potest talem contractum rescindere, et deceptor tenetur ad damna ex deceptione secuta et aliquo modo praevisa [2].

4. Demum si error vel dolus est circa *personam* cum qua contrahitur, contractum non irritat, quia hic error est mere accidentalis; nisi haec circumstantia personae afficiat substantiam rei, seu quando consideratio personae est causa principalis contractus, quod praecipue obtinet in contractibus gratuitis.

830. — *Q.* Contractus initus ex metu valet ne?

R. — I. Si metus est *levis*, in foro externo non attenditur, quia facile contemni potest. In foro vero interno si talis metus non fuit causa contractus, ipsum pariter non irritat; si autem fuit causa contractus, tunc probabilius irritat contractus *gratuitos*, quia isti requirunt plenam spontaneitatem; contractus vero *onerosos* communius non irritat, sed facit *rescindibiles* ad nutum illius qui metum passus est, quia injuria levis reparanda est sicut et gravis, quae reparatio importat quod laesus facultatem habeat rescindendi contractum.

2. Si metus est *gravis*, at non aufert usum rationis, et est incussus a causa *necessaria*, sive intrinseca, v. g. a morbo, sive extrinseca, v. g. a naufragio; vel a causa *libera* sed *justa*, v. g. a judice, contractum non irritat, quia nulla intervenit injuria, et talis metus non tollit simpliciter voluntarium.

3. Si metus est gravis, extrinsecus et injuste incussus a causa *libera*, seu ab homine, an contractum irritet disp. Th. Alii affirmant si talis metus incussus fuit ad extorquendum consensum, etsi incussus fuerit a tertia persona. Alii solum si incussus fuerit a comparte contrahente. Communius vero et probabilius sic distinguunt: Si contractus est gratuitus, irritatur, quia ad illum, ut diximus,

[1] Vide dicta *de ignorantia*, n. 16.

[2] S. Alph., L. III, 714, 715.

requiritur voluntas omnino libera. Si vero est onerosus, tunc est quidem rescindibilis ex parte illius qui metum passus est, sed est validus tum *jure naturae*, quia talis metus non tollit simpliciter voluntarium, tum *jure positivo*, quia jus civile praecipit judicibus ut tales contractus rescindant, ideoque per se lex positiva illos habet ut validos [1].

Ex jure autem *canonico* nullus est contractus initus ex metu gravi, extrinseco et injuste incusso, si agatur: 1° de electione Praelati; 2° de matrimonio, et probabilius etiam de sponsalibus; 3° de traditione rerum Ecclesiae et renuntiatione beneficii; 4° de voto et probabilius etiam de jurisdictione ecclesiastica [2].

CAPUT II.

De obligatione contractus.

831. — *Q.* Quid est obligatio contractus?

R. Obligatio contractus est *vinculum quo quis, vi contractus, tenetur ad aliquid dandum vel faciendum vel omittendum.* — Obligatio est *naturalis* si tenet tantum in foro conscientiae, uti obligatio debitum solvendi quod juridice probari nequit; *civilis*, si actionem parit tantum in foro externo, uti obligatio in praesumptione facti, facto non existente; *mixta*, si in utroque foro ligat.

832. - *Q.* Contractus quomodo obligat?

R.—I. Omnis contractus *validus* parit obligationem *naturalem*, seu in foro conscientiae, in utroque vel saltem in uno contrahente, pro natura conventionis; et haec obligatio in foro conscientiae tenet, etiamsi quandoque validitas contractus probari nequeat in foro externo; - ratio, quia jure naturae quisque tenetur servare fidem datam, et eam fallere intrinsece malum est.

II. Natura et extensio obligationis desumenda est ex voluntate contrahentium, unde attente inquirenda est eorum intentio. Si autem intentio obscura et ambigua ex seipsa maneat, interpretanda est ex natura contractus, ex usu locorum, ex indole personarum. Et si omnibus perpensis dubium tolli nequit, amicabilis transactio suadenda est [3].

III. In contractu *qualificato*, seu qui aliquam secum fert conditionem, vel circumstantiam, obligatio determinanda est ex natura clausulae adjectae.

IV. In casu quo obligatio legis fundetur in praesumptione facti, si factum desit, obligatio cessat, quia *praesumptio cedit veritati.*

833. — *Q.* Quaenam obligatio contractus conditionati?

R. Praemitto: Conditio est *qualitas seu circumstantia contractui adjecta, a cujus existentia ex contrahentium voluntate valor contractus dependet.* — Conditio dicitur *suspensiva*, quando obligationis validitas pendet a conditionis adimpletione; *resolutiva*, quando obligatio jam existens per eventum conditionis revocatur seu resolvitur, ita ut nunquam extitisse censeatur. — Conditio suspensiva, quae nempe contractum proprie conditionatum facit, multiplex est:

[1] Metum passus bene potest occulte sibi compensare; intellige, si petat et alter nolit contractum rescindere. S.Alph., L. III, 717.

[2] S. Alph., L. III, 716.

[3] *Gury*, I, 785.

expressa vel tacita; possibilis vel impossibilis; necessaria vel contingens; licita vel illicita; de praesenti vel de futuro; potestativa vel casualis vel mixta, prout a voluntate contrahentis vel a casu fortuito vel ab utroque pendet.—Conditio de praeterito, de praesenti, vel de futuro *necessario* dicitur *impropria;* de futuro vero *contingenti* dicitur conditio *propria* [1]. Hoc posito:

1. Contractus initus sub conditione *proprie dicta* generatim obligat ad expectandum eventum hujus conditionis; et interim non potest aliquid fieri, quo illa impleri amplius nequeat, v. g. alienando rem conditionate promissam. Impleta autem conditione, contractus fit absolutus absque novo consensu. — Quando vero conditio est *impropria*, seu de praeterito vel praesenti, si extat, contractus statim valet; secus est nullus.

2. Conditio eo sensu adimplenda est quo rationabiliter censetur contrahentes voluisse se obligare; quare potius intentio, quam verba, intuenda est.

3. Conditio, generatim loquendo, in propria forma adimpleri debet; aliquando tamen sufficit ut aequivalenter adimpleatur, nempe qualiter censetur fuisse contrahentium intentio.

4. Conditio contraria substantiae contractus, hunc irritat. — Item conditio de re *impossibili*, si talis a contrahentibus cognoscitur, quia nemo potest ad rem manifeste impossibilem serio se obligare. Si vero contrahens nesciret rem impossibilem esse, posset dari verus consensus; unde ex adjunctis videndum quaenam fuit intentio illius, saltem quoad forum conscientiae.

5. Conditio illicita ante conditionis eventum contractum irritat sive jure naturae, sive jure civili. Post vero conditionis eventum, si conditio posita respicit matrimonium, ex jure canonico, illud non irritat, dummodo non sit contraria substantiae hujus contractus. Quoad alios vero disput. Th., ut dictum fuit n. 819 [2].

6. Conditio potestativa, si unice a voluntate ejus qui promittit pendet, donec posita non sit, nullam parit obligationem; posita vero contractus tenet. Si autem pendet a voluntate tertiae personae, vel a voluntate utriusque contrahentis, vel aliquod factum respicit quod unus e contrahentibus adimplere tenetur, contractus in hoc casu tenet, et si alteruter contrahens conditionem culpabiliter impediverit, vel impedire tentaverit, pro eo conditio habetur ut impleta, quia fraus nemini patro-

[1] Praeter *conditionem*, sunt et aliae circumstantiae quae contractui adjici possunt et ipsum *qualificatum* reddunt ejusque obligationem aliquo modo determinant, juxta contrahentium intentionem. – Praecipuae sunt: 1° *Modus*, seu onus contractui additum, non tamen uti conditio; v. g. dono tibi mille francos, sed volo ut ores pro me. 2° *Causa*, nempe motivum expressum ob quem contrahitur 3° *Demonstratio*, seu signum appositum, ad determinandam rem vel personam. 4° *Alternatio*, quando quis obligatur ad unum ex duobus vel pluribus dandum vel faciendum. 5° *Poena* imposita ei qui non adimplet quod contractu obligatur. 6° Tandem *dies*, seu tempus statutum quo contractus exequi debet. (Vide *Aertnys*, L. III, 400; *Marc*, 1057; *Génicot*, I, 597-98).

[2] Conditio impossibilis vel turpis in contractibus adjecta illos irritat, non vero si adjecta fuit in testamento, quo in casu habetur uti non apposita; - ratio, quia in 1° casu contrahentes jocari intelliguntur, non vero in 2° casu, quia nemo praesumitur velle in morte nugari. Vid. C. It., a. 849, 1160.

cinari debet; contrahens vero innocens liber evadit.

834. — *Q.* Contractus initus sine formalitatibus legis civilis obligat ne in conscientia?

R. Praemitto: Formalitates quae a lege civili apponi solent aliae sunt accidentales, quarum praetermissio non infirmat contractum, sed tantum obligat ad solvendam poenam, vel contrahentes actione civili privat; aliae vero sunt essentiales quarum praetermissio contractum invalidat in foro externo. Hoc posito:

1. Si formalitates a lege civili praescriptae sunt solum *accidentales*, contractus tenet et obligat.

2. Si vero sunt *essentiales*, ita ut sine illis contractus ex lege civili sit ipso jure nullus [1], an talis contractus obliget in conscientia ante sententiam judicis, triplex datur probabilis sententia. *Prima* negat, quia lex humana potest omnino tollere naturalem obligationem contractus ob bonum commune; unde tenet quemquam licite posse a contractu recedere quousque contractus per formalitates a lege praescriptas non perficiatur, nec de damnis erga alterum teneri, nisi adsit fraus aut dolus. *Secunda* affirmat, quia lex civilis non declarat quod talis contractus ante judicis sententiam in foro conscientiae sit nullus, sed tantum denegat actionem civilem, unde non tollit naturalem obligationem. *Tertia* vero, quam sequitur Sanctus Alph. [2], docet in his contractibus praeferendum *possessorem*, donec per sententiam judicis condemnetur ad restitutionem. Et haec sententia non solum est probabilior, sed *in praxi* omnino tenenda.

835. — *Q.* Quomodo cessat obligatio contractus?

R. Obligatio contractus cessat: 1° Per *solutionem* seu praestationem rei debitae quaecumque sit, sive pecunia, sive actio, sive quid aliud. — 2° Per *novationem* seu per translationem veteris obligationis in novam; v. g. Titius Cajo promisit decem vini dolia, et nunc cum eo convenit ut, loco vini, solvat summam pecuniae. — 3° Per *condonationem* debiti. — 4° Per *compensationem legalem*, quando nempe duo sibi mutuo fiunt creditores, v. g. debeo tibi 100 pro frumento et tu 100 mihi pro vino. — 5° Per *confusionem*, nempe quando obligatio debitoris et jus creditoris in una eademque persona confunduntur, v. g. si debitor fiat haeres sui creditoris, vel vicissim. — 6° Per *destructionem* aut *perditionem* rei debitae absque culpa aut mora debitoris secutam, dummodo agatur de re non tantum in genere, sed in specie determinata. — 7° Per *rescissionem* contractus, sive fiat utriusque consensu, sive voluntate illius partis quae facultate rescindendi gaudet. — 8° Per *praescriptionem*, de qua vide dicta n. 805 et sequ. [3].

[1] Ex Cod. It., a. 1314, sub poena nullitatis, publico instrumento vel privata scriptura fieri debent conventiones quae transferunt proprietatem immobilium, aut aliorum bonorum, aut jurium capacium hypotheca. Ex Cod. G., a. 1341, 1583, quaelibet venditio solo partium consensu perficitur absque ulla formalitate. At si venditio summam excedit 150 fr., ut in foro externo probari possit, scriptum authenticum vel privatum requiritur.

[2] S. Alph., L. III, 711.

[3] In omnibus contractibus ultro citroque obligatoriis, seu bilateralibus, inest conditio implicita, ut si alter e contrahentibus obligationem suam non impleverit, alteri liceat a contractu discede-

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE

De tribus contractuum speciebus agemus: 1. *de contractibus onerosis;* 2. *de gratuitis;* 3. *de aleatoriis.*

CAPUT I.

De contractibus onerosis.

836. — *Q.* Quinam dicitur contractus onerosus, et quotuplex est?

R. Contractus onerosus, dicitur *ille in quo dans vel faciens recipit pretium aut mercedem;* et sic nuncupatur quia onus importat ex parte utriusque contrahentis.

Multiplex est: Emptio-venditio, monopolium, cambium, societas, census, locatio-conductio, emphyteusis, pignus et hypotheca, ac demum transactio.

ART. I.

De emptione-venditione.

837. — *Q.* Quid est emptio-venditio?

R. Emptio-venditio definiri potest: *Contractus quo res determinata datur pro pretio determinato.*

Hinc tria ad hunc contractum necessaria sunt: — 1° Mutuus consensus, sine quo nullus intelligi potest contractus; — 2° merx determinata; — 3° pretium determinatum.

§ 1°

De consensu.

838. — *Q.* Contractus venditionis et emptionis perficitur ne solo consensu?

R. Contractus venditionis et emptionis jure *naturae* solo contrahentium consensu perficitur, ita ut nulla per se requiratur scriptura; contrahentes tamen inter se convenire possunt quod contractus non valeat nisi scriptura confecta[1]. — Ceterum de consensu in contractibus v. dicta n. 827 et seq.

§ 2°

De merce.

839. — *Q.* Quid est merx?

R. Nomine mercis venit quidquid vendi vel emi potest.

Ut autem aliqua res vendi aut emi possit requiritur: 1° Ut sit in commercio posita, nec specialis adsit prohibitio. Vendi autem possunt non solum res corporeae, sed etiam incorporeae, puta jura, actiones, nomina debitorum, bona

re; unde effatum: *Frangenti fidem, fides frangatur ei.* Verum tacita haec conditio, juxta recentiores leges (C. I., a. 1165) contractum non resolvit, nisi post sententiam judicis; si vero *expresse* apponatur, ipso jure contractum resolvit.

[1] Vide *Cod. Civ. It.*, a. 1448.

tum praesentia tum futura, uti fructus, excepta viventis haereditate. (C. It. 954, 1460. Cod. G. 1600). — 2° Ut sit propria venditoris, ideoque vendi potest jus proprium etsi rem alterius afficiat, uti pignus, hypotheca, etc. [1] — 3° Ut sit determinata vel in se vel ex circumstantiis, ideoque sit ab omni alia re distincta.

An autem liceat vendere rem qua emptor abuti potest, vid. dicta *de cooperatione ad peccatum*, n. 467.

840. — *Q.* Licet ne 1° sine debita permissione vendere res quarum venditio certis personis reservatur; 2° easdem res ab illis venditoribus non privilegiatis emere?

R. Ad 1um. Quoad venditores: 1° Certe peccant contra justitiam *legalem*. — 2° Peccant etiam contra justitiam *commutativam*, si alii jus vendendi acquisierint titulo oneroso, tunc enim habent jus strictum. — 3° An vero peccent contra justitiam commutativam si alii jus privatum vendendi habent solum ex privilegio, disput. Th.

Ad 2um. Quoad emptores, certe peccant contra justitiam legalem, sicuti venditores; et etiam contra justitiam commutativam si alii jus vendendi habent *ex titulo oneroso* et ipsi scienter emunt, quia in hoc casu cooperantur injustae venditorum actioni, ideoque de damnis tenentur, sed solum in ipsorum vendentium defectu. Si vero illi jus habent nonnisi *ex privilegio* disput. Th., ut supra de venditoribus dictum est.

841. — *Q.* Venditor tenetur ne vitium mercis manifestare?

R. — I. Si vitium, etsi occultum, est *substantiale* seu circa *substantiam* rei, v. g. si vendatur stannum pro argento; vel est circa *qualitatem substantialem* ita ut vitium rem reddat noxiam, vel ad finem emptoris inutilem aut notabiliter minus aptam, puta si vendatur vinum dilutum pro puro, tunc venditor, sive interrogatus sit sive non, tenetur illud manifestare [2]; - ratio, quia hujusmodi vitium ab emptore ignoratum plane infirmat ejus consensum ad contractus validitatem requisitum. Unde si non manifestat dolose agit et ex justitia tenetur de damnis secutis, confuse saltem praevisis: emptor vero habet actionem sive *redhibitoriam*, nempe jus ut venditor rem suam resumat; sive *aestimatoriam*, nempe jus ut excessus pretii pro rei aestimatione sibi restituatur [3].—Et vicissim si venditor, propria ignorantia deceptus, circa rem erret quam vendit, emptor certiorem eum facere debet, aut rem emere pretio saltem infimo [4].

II. Si vitium est tantum *accidentale*, ac de se *manifestum*, venditor non tenetur illud emptori ostendere; ubi enim res ipsa lo-

[1] Venditio rei alienae nulla est etiam ex jure civili. C. I., a. 1459; C. G., a. 1599. Haec nullitas opponi non potest a venditore; verum venditio *commercialis* rei alienae valida est. Haec venditio obligat venditorem ad ejus acquisitionem, et ad eam emptori tradendam sub poena reparationis damni. Cod. It. Comm. 95.

[2] Cod. Civ. It., a. 1498.

[3] S. Alph., L. III, 819.

[4] Ut puta si tabulam Raphaëlis nullius nominis auctoris esse putet, aut animal gravi morbo aut vitio laborare, quod revera leve est. Dixi *propria ignorantia*; non enim tenetur eum admonere, si quae dos occulta rei insit, quae communem aestimationem non auget quamdiu latet; velut herbis (quas muliercula vendit) virtus occulta, aut praedio fodinae. *D'Annibale*, II, 450, (31).

quitur, voce venditoris opus non est. Quod si emptor ex incuria vitium non advertit, imputet sibi. Excipe tamen si venditori constet de emptoris ignorantia, uti si esset puer, quia tunc quoad illum vitium censetur occultum. Caeterum in casu quo venditor non teneatur vitium patefacere quia de se manifestum, semper tamen tenetur pretium minuere pro ratione defectus.

III. Si vero vitium *accidentale* est *occultum,* distinguo : Si venditor interrogetur *in genere,* non tenetur illud manifestare, et si res utilis est ad finem emptoris, venditio est valida. Si autem venditor interrogetur de aliquo defectu *in specie,* tenetur illud manifestare, etiamsi rem noxiam aut inutilem non reddat, quia secus dolum committeret. Quo in casu, si dolus fuit *vera causa* emptionis, contractus est rescindibilis. Si vero dolus fuit tantum *incidens,* ita ut emptor, etiam cognito vitio, rem emisset licet non tanti, venditor restituere debet solum quanti minus emptor emisset.

IV. Si venditor protestetur se nolle rationem reddere de quolibet suae rei defectu, tunc ad nihil teneretur ; ratio, quia emptor satis jam admonitus est ut sibi consulat [1].

842. — *Q.* Cuinam ex duobus emptoribus debetur res utrique cum intervallo vendita ?

R. — **1.** Si res neutri tradita sit, debetur ei qui prius emit, quia prior in tempore potior fit in jure ; alter vero actionem habet in venditorem.

2. Si vero res secundo emptori jam tradita sit, tunc, si ipsa mobilis est, ex lege civili praefertur secundus emptor qui rem possidet, etsi ejus titulus tempore sit posterior, dummodo rem bona fide possideat [2]. Sed in hoc casu venditor qui mala fide egerit tenetur de damno a primo emptore passo. — Si vero de re immobili agatur, potior est qui prior *legaliter* illius possessum acquisivit, nisi a priore emptore probetur secundum contractum dolo utraque ex parte completum fuisse (C. It., a. 1235).

3. Si autem res vendita aut data sit Ecclesiae aut aliis locis piis, vel civitati, etsi dein alteri tradatur, et ab eo pretium solvatur, tamen priori emptori restituenda est ; quia Ecclesia aut locus pius vel civitas etiam sine traditione dominium jam acquisivit [3].

843. — *Q.* Si res vendita perit, cuinam perit ?

R. Praemi to : Dominium rei, etiam ex jure civili (C. I., a. 1448), ac proinde ejus periculum et commodum transeunt ad emptorem per solum consensum partium, licet res nondum tradita sit, neque pretium solutum. Hinc :

1. Si res vendita perit *ante traditionem,* et est *certa* ac *determinata,* perit emptori cui spectat periculum rei aeque ac fructus illius: excipe si aliter expresse conventum sit, vel si venditor sit in mora tradendi, vel si culpa venditoris res perierit. — Si autem res vendita *indeterminata* sit, aut determinata quidem, sed vendita ad pondus, vel ad numerum, vel ad mensuram, vel sub pacto praeviae degustationis, probationis; et perit ante ponderationem, numerationem, mensurationem, degu-

[1] S. Alph.. L. III, 823.
[2] C. It., a. 1126.
[3] S. Alph., L. III, 827.

stationem, aut probationem, venditori perit [1].

2. Si res perit *post traditionem* item emptori perit, nisi id eveniat ex vitio intrinseco quod tempore traditionis existebat; quo in casu venditor tenetur emptori restituere acceptum, solvere expensas contractus si quae sint, et reficere omnia damna praevisa.

844. — *Q.* Quaenam sunt obligationes venditoris quoad rei traditionem ?

R. Venditor tenetur: 1° Emptori tradere rem et accessoria, et quidem in eo loco, modo et quantitate de quibus in contractu conventum est, et in eodem statu quo tempore venditionis erat [2]. 2° Rem tradere tempore statuto, secus emptor jus habet ad indemnitatem. 3° Emptorem indemnem reddere (vulgo *garantire)* ab omni molestia circa rem venditam, et ab oneribus inconsuetis, etsi ea indicata non fuerint in contractu. Unde si emptor patitur molestiam, actionem habet apud judicem contra venditorem, ut indemnis reddatur.

845. — *Q.* Quid est evictio; et in casu evictionis venditor tenetur ne ad aliquid erga emptorem ?

R. Evictio est *deturbatio juridica emptoris a possessione rei emptae.*

In casu evictionis, si ejus causa, existens tempore venditionis, non fuerit emptori manifestata, praeter resolutionem contractus, venditor tenetur: 1° restituere pretium integrum, etsi valor rei venditae imminutus sit; 2° solvere expensas ab emptore factas pro revendicatione; 3° reparare damna quae emptor passus sit, et dare augmentum pretii quod, tempore evictionis, res consecuta est; 4° solvere expensas necessarias et utiles in re ab emptore factas, imo etiam voluptuarias si venditor in mala fide fuerit [3].

Ad nihil vero tenetur: 1° quando pactum fuit de non praestanda evictione; 2° quando emptor sciens rem esse litigiosam vel periculo obnoxiam, tamen emit se subjiciendo illius periculo; 3° quando emptor non denunciat venditori litem motam, ut ille eam defendat.

846. — *Q.* Quaenam sunt obligationes emptoris ?

R. Emptor tenetur: 1° solvere pretium loco et tempore statutis; 2° solvere foenus pro pretio non soluto a die quo rem possidet si est frugifera: si vero non sit frugifera, tenetur tantum ad foenus solvendum si sit in mora culpabili, nec aliter conventum fuerit; 3° solvere expensas factas pro asportatione rei venditae, et pro sumptibus necessariis ad rei conservationem a die venditionis. (C. It., a. 1507 et seq.).

—

[1] S. Alph., L. III, 827; C. I., a. 1450-52.

[2] Si quae impensae his praestandis necessariae sint, quae fiunt traditionis causa, v. g., in numerando, apprehendendo, mensurando etc. ad venditorem, quae exportationis causa, ut puta consarcinando, ad emptorem, cui et necessariae instrumento emptionis conficiendo, pertinet, nisi aliud mos regionis ferat (C. I., a. 1467; C. G., a. 1608). — Si error in mensura rei immobilis, quantitate in contractum deducta, intercessit, venditori non licet a contractu recedere, bene vero emptori, si excessus mensurae vel quantitatis inveniatur ultra vigesimam partem major. Si a venditione non recedatur, et excessus vel defectus sit circa quantitatem, pretium augendum vel minuendum erit pro quantitatis ratione. Hujusmodi autem actio anno finitur. C. I., a. 1473-8; C. G., a. 1617-23.

[3] C. It., a. 1486.

§ 3°

De justo pretio.

847. — *Q.* Quid est pretium, et quomodo distinguitur ?

R. Pretium definitur: *Pecunia valori rei commensurata.* Ergo pretium in pecunia numerata consistere debet vel in toto vel saltem in parte, alioquin si res pro re detur non esset venditio sed permutatio.

Pretium aliud est *legale*, quod a publica auctoritate taxatum est, et consistit in indivisibili, ita ut nec minui nec augeri possit; — aliud est *naturale* seu *vulgare*, quod determinatur a communi hominum aestimatione, et potest esse *summum* seu *supremum*, supra quod res vendi non licet; *infimum*, infra quod emi non potest; et *medium* inter infimum et supremum [1]. Quanta vero esse debeat illa latitudo inter pretium supremum et infimum non potest certo determinari; communiter tamen admittitur pretium rerum vilium et necessariarum minorem habere latitudinem quam pretiosarum.

848.—*Q.* Pretium quale esse debet ?

R. Pretium debet esse eminens, seu in pecunia numerata, justum et certum seu determinatum, ita ut si venditori aut emptori illud omnino remittatur, contractus sit nullus; validus vero si positum fuerit fundamentum determinationis, v. g. pretium quo eadem res vendita fuit in ultima nundina, vel quo res in proxima nundina vendenda sit. Item validus est contractus si pretium arbitrio tertii committatur; quod si iste nequeat aut nolit pretium definire, contractus est nullus [2].

849. — *Q.* Quodnam pretium est justum ?

R. — **1**. Pretium *legale* habetur ut justum, quia ad auctoritatem civilem pertinet jus statuendi quidquid ad commercium publicum pertinet.

2. In defectu pretii legalis, pretium *naturale* seu *vulgare* habetur ut justum, quia valor rei a communi aestimatione determinatur. Porro pretium vulgare, aestimari debet ex more loci in quo res venit, nec non illius temporis quo rei dominium transit in emptorem, ac periculum venditori esse desinit [3].

3. Si pretium rei nec a lege nec a communi aestimatione determinatum est, et ambo contrahentes pretium rei ignorant, tunc justum est illud de quo conveniunt, quia uterque eidem periculo se exponit [4].

[1] Alii tertium addunt *conventionale* dictum, illud nempe quod libera emptoris et venditoris pactione determinatur. *Génicot*, I, 631.

[2] C. lt., a. 1454.

[3] Ideo quae apud aliquos vilissima sunt, si alibi plurimi fiant, non est illicitum et illic minimi comparare, et hic plurimi vendere.

Nec interest si eo loco ideo viliora sunt quia eorum pretium ab omnibus ignoratur, quippe hoc ibi vulgare pretium est. Hinc contra justitiam non peccant mercatores europaei qui maximo pretio penes Indos vendunt cultellos, specula et alia id genus, quia pretium vulgare ex communi aestimatione hominum regionis determinatur. S. Alph., III, 804, 808.

[4] Pretium justum praesumitur quamdiu aut ex se, aut ex mutatis forte rerum circumstantiis, non apparet manifeste injustum esse. Proinde non est injustum quod certo scis vespere depretiatum iri, mane carius vendere id ignorantibus, vel contra (S. Th., $2^a\,2^{ae}$, q. 77, a. 3 ad 4), v. g. frumentum, cujus inopia civitas laborat, etsi scias naves frumento onustas mox appulsuras (S. Alph., III, 824); aedes locare quanti plurimi locari solent eo loco ubi Rex commoratur, etsi

850.—*Q.* Emptor et venditor tenenturne in conscientia ad justum pretium?

R. Tam emptor quam venditor tenetur in conscientia ad justum pretium; unde peccaret contra justitiam sive emptor infra infimum pretium emens, sive venditor ultra supremum vendens, et uterque teneretur ad restitutionem excessus.

Quod si in pretio non fuit servata aequalitas a jure naturali requisita in contractibus onerosis, nempe quando pretium et cetera onera sunt supra vel infra valorem rei in stipulationem deductae, tunc adest laesio contractus. Laesio autem supponit errorem vel metum in laeso.

Porro in casu laesionis contractus, pars quae laedit tenetur in foro conscientiae ad pretium elevandum usque ad justum, saltem infimum; et in foro civili si laesio est ultra dimidium justi pretii habet per biennium jus, cui renuntiari nequit, petendi rescissionem contractus (C. I., a. 1529-34) [1].

851. — *Q.* Ex quanam causa pretia augeri vel minui possunt?

R. Variae sunt causae ex quibus pretia augeri vel minui possunt.

Pretium *legale* seu *taxatum* augeri potest: 1° Si taxa sit certe injusta [2]; dixi *certe*, quia in dubio de ejus justitia standum est pro superiore. 2° Si major civium pars, superioribus scientibus et non contradicentibus, taxam non observet.

Pretium *naturale* vero augeri potest si justi interveniant tituli, nimirum: 1° Si venditio fiat cum damno venditoris, aut lucro cessante, aut alio quovis incommodo pretio aestimabili, modo ea de re moneatur emptor; et hoc licet adsit taxa pretii, et licet venditor ipse offerat vendere. — 2° Si venditor peculiari animo erga rem quam vendit affectus sit; quia affectus domini ad rem suam est vere pretio aestimabilis. — 3° Ex multitudine emptorum, vel paucitate venditorum. — 4° Si res vendatur minutatim, ratione majoris incommodi quod sustineri debet, et detrimenti quod perferri solet. — 5° Si res sit rara, uti gemma, pictura etc.—An autem haec vendi possint quanti plurimi, disput. Th., sed probabilius negant [3].

Ex oppositis vero rationibus pretium minui potest [4].

clam resciveris eum brevi perpetuoque discessurum. Et si emptor, locator, de his interroget, dissimulare poteris; modo ne ille hac quasi lege emat, conducat. *D'Annibale*, II, 400, 441 (10).

[1] Haec, si vendita sit res immobilis; quid si mobilis? Quaestio salebrosa, quia heic certo et directo jure deficimur, existimo repetitionem jure nostro biennii (ex C. I., 708, 709, 2146) perinde ac per errorem facta (C. I., 1300) praescriptione finiri. Verum, quam recte haec dixerim in re prope intacta, viderint sapientes. V. *D'Annibale*, 459, 18.

[2] Si venditor justum pretium consequi non posset ob injustam taxam legalem, vel injustum monopolium emptorum inter se convenientium ne justum pretium offerant, etc., non est improbabile quod dicunt Lugo et alii, posse scilicet venditorem de mensura tantum diminuere quantum requiritur ut justum, sed dumtaxat infimum pretium percipiat, sic enim ab injusta vexatione juste se liberat. S. Alph., L. III, 822.

[3] Res quae vendendae circumferuntur, ex S. Alph., emi possunt quocumque pretio, dummodo fraudes absint, quod mihi perdifficile est, nisi aleae aliquid subsit. *D'Annibale*, II, 449.

[4] V. g. si emas, conducas in gratiam venditoris, locatoris, rem tibi parum necessariam aut utilem; si ex pecunia poteras negotiari, vel aliam rem utiliorem comparare; si periculum sit ne res penes te deterior fiat, vel pereat; vel si emas magnam mercium copiam.

Non licet autem pretium augere vel minuere pro emptoris aut venditoris necessitate vel utilitate, quia pretium est quanti *res* valet, ea vero quae personas spectant *extra rem* sunt [1].

852. — *Q.* Venditor potest ne rem carius vendere quia emptor eam valde desiderat?

R. Si talis affectus emptoris esset communis etiam ipsi venditori, tunc certe rem carius vendere potest, quia talis affectus est vere pretio aestimabilis, unde venditor in hoc casu venderet quod suum est.

Si vero talis specialis affectus se tenet tantum ex parte emptoris tunc disput. Th. Plures hodie affirmant, quia venditor emptori commodum procurat, quod pretio aestimabile est [2]. Sed communius cum S. Th. et S. Alph. negant, quia venderet quod suum non est [3].

853. — *Q.* Licet ne pretium augere ob dilatam solutionem?

R. Disput. Th. *Prima sententia* negat, quia esset veluti palliata usura. At *secunda sententia* probabilior, quaeque *in praxi* tuto sequi licet, affirmat, modo absit animus usurarius; ratio, tum quia communis aestimatio in hoc casu auget pretium rerum ex majori numero emptorum et minori venditorum, tum quia in multitudine emptorum semper adest aliquod pericu'um amittendi pretium [4]. E contra ex iisdem rationibus pretium minui potest ob solutionem anticipatam.

854. — *Q.* Licet ne minori pretio emere credita, seu chirographa, et alia jura?

R. — 1. Si credita et jura sunt certa nec litigiosa, et non adest difficultas in illis exigendis, plures negant, quia ipsa tanti valent quanti pecunia debita; plures vero affirmant, quia licet haec credita aut jura tuta sint, eorum tamen exatio *in praxi* semper aliquod incommodum aut periculum importat, unde jure in commercio minoris aestimantur; ideoque etsi ementi sit facile illa integre exigere, minori tamen pretio emere potest, quia pretium sumitur ex communi aestimatione, non ex peculiari circumstantia ementis.

2. Si vero credita aut jura sunt incerta et litigiosa, tunc omnes conveniunt ea posse minori pretio emi, habita ratione periculi, laboris, etc. in illis exigendis, quia periculum, labor etc. sunt pretio aestimabilia. — Haec autem emptio, ut valeat quoad *tertios*, denuntianda est debitori, vel ab ipso authentico actu acceptanda (C. I., a. 1539).

855. — *Q.* Peccat et tenetur ne ad restitutionem qui fraude vel mendacio alios inducit ad merces majori pretio emendas, quod tamen summum non excedit?

[1] Hinc non licet, v. g., mercatori carius vendere quia ipse merces suas carius emit, vel quia in eis advehendis vel servandis impensas forte immodicas fecit, vel quia infortunium circa eas passus est. — Et ex diverso non licet emptori velle rem minoris emere eo quod venditor minimo aut nullo pretio eam comparavit, v. g. quia donatam vel fortuito inventam, vel quia venditori forte minus utilis est, vel quia is nihili eam facit; ut puta praedium in longinqua regione positum, vel instrumentum artis quam non callet. *D' Annibale*, II, 441 (17-19).

[2] *Gousset*, I, 480; *Berardi*, 491; *Marc*, 1130.

[3] S. Alph., L. III, 806. — Ex affectione emptoris pretium augere, nedum iniquum foret, sed et absurdum. *D'Annibale*, II, 441 (20).

[4] S. Alph., L. III, 811.

R. — 1. Si fraude inducit, peccat et ad restitutionem tenetur, quia tunc fraus est causa vera, injusta et efficax damni quod emptor patitur; unusquisque autem jus strictum habet ne dolo aut fraude inducatur ad aliquod damnum patiendum.

2. Quoad mendacium vero observandum est quod communiter non praestatur fides mendaciis venditorum et emptorum, dum satis noscitur haec esse communia stratagemata; unde *regulariter* non adest ex mendacio onus restitutionis, dummodo emptor non emat infra *infimum* pretium, et venditor non vendat ultra *supremum*.— At si in casu particulari venditori certo constaret suis mendaciis aut perjuriis fidem adhiberi, eaque vere esse causam majoris vel minoris pretii, a culpa deceptionis et injustitiae non esset excusandus [1]

Art. II.

De praecipuis venditionum speciebus.

§ 1°

De venditione sub hasta.

856.— *Q.* Quaenam est venditio sub hasta, et quonam pretio bona in hoc casu vendi possunt?

R. Venditio sub hasta *ea est in qua per praeconem res publice emenda exponitur, et addicitur offerenti majus pretium.*—Haec venditio alia est *coacta*, si fit instantibus creditoribus; alia *necessaria*, si fit necessitate juris, uti venditio rerum minoris, aut venditio in judiciis divisoriis; alia *voluntaria*, quae fit sola vendentium voluntate.

Bona vero quae veneunt sub hasta possunt vendi et emi quocumque pretio quod pacisci possunt venditores et emptores; sive quia talis venditio in contractum aleatorium recidit, sive quia potestas publica habet pro justo illud pretium quod publice in emptorum concursu probatur: dummodo absit fraus sive ex parte venditoris, sive ex parte emptoris [2].

857. — *Q.* Licet ne: 1° alios licitatores rogare ne pretium offerant; 2° cum iisdem pacto convenire ne plus offerant?

R. Ad 1um: Th. communiter affirmant licere alios licitatores rogare ne pretium offerant, quia emptor utitur jure suo, et sua diligentia sibi consulit. — Item, si emptores sint societate conjuncti vel quasi conjuncti, uti fratres, amici, etc.; quia faciunt quasi unam personam moralem, nec potest exigi ut adversum se licitent.

Ad 2um: Si venditio est voluntaria, et venditor determinare potest pretium infra quod rem suam dare non vult, vel potest rem suam retrahere si pretium inferius ei offertur, tunc licet; quia si venditor potest impedire ne pretium sit nimis exiguum, aequitas etiam postulat ne ipse conqueratur quod emptores conveniant ne pretium nimis augeatur [3].

Si e contra venditio est coacta, et venditor remaneat expositus periculo rem suam vendendi quocumque vilissimo pretio, tunc licitatores certe contra justitiam peccant si inter se conveniant ut pretium infra infimum privatae emptionis descendat, quia licitationem

[1] S. Alph., L. III, 805.
[2] S. Alph., L. III, 808.
[3] *Gury*, I, 910.

impediunt ejusque naturam pene destruunt, et sic utilitate juste emendi infra infimum gaudere non possunt. — Si autem in pretium justum, quamvis infimum, conspirent, tunc nonnulli Theol. illos ab injustitia excusant [1].

858. — *Q.* Qui in licitatione munus accepit ab aliis licitatoribus ne ipse licitetur, potest ne acceptum retinere?

R. Si iste animum licitandi non habebat, acceptum retinere nequit, utpote fraude et dolo acquisitum.

Si autem vere animum habebat licitandi, pariter retinere nequit acceptum si alius licitator jus strictum habebat ne ille licitaret, puta, quia cum debita venia S. Sedis fundum ecclesiasticum sub hasta vendendum emere paratus erat. — Si vero nemo ex licitatoribus jus strictum alios excludendi habebat, an ille munus acceptum retinere possit, disput. Th. Alii negant quia pactum fuit *de re illicita*. Alii vero affirmant. quia iste cedit juri suo. Unde *in praxi* conveniunt quod *in dubio et pari causa melior est conditio possidentis* [2].

§ 2°

De venditione per proxenetas.

859. — *Q.* Quis est proxeneta, et potest ne sibi aliquid ex pretio retinere?

R. Proxeneta dicitur *ille cui aliquid vendendum vel emendum committitur* (vulgo *sensale, commissionario*).

Proxeneta autem si vendit ultra pretium sibi designatum non potest excessum pretii sibi retinere: non ratione rei, quia sua non est, sed domini; non ratione laboris et industriae, quia vel est stipendio ductus et nullum jus habet, vel operam gratuito praestat et jam renunciavit mercedi, saltem quae debetur ex stricto justitiae titulo; nec ratione pretii designati, quia adsignatio pretii facta a domino communiter intelligitur *ne infra* illud pretium rem vendat, minime vero *ne supra*.

Attamen aliquid cum debita proportione sibi retinere potest in sequentibus casibus: 1° si adfuerit specialis conventio cum domino ut sibi retineret quod ultra pretium designatum accepturus erat; — 2° si extraordinariam diligentiam adhibuerit; — 3° si rem melioraverit; — 4° si lucrum esset parvi momenti; — 5° si ipsemet sibi emeret rem pretio designato, dummodo tamen adsint hae duae conditiones: *a*) ut, adhibita morali diligentia, emptorem non inveniat qui plus offerat, secus enim contra officium suum et voluntatem mandantis certo cognitam ageret; *b*) ut rem non ficte, sed vere sibi emat, ita ut ejus periculum subeat et pretium determinatum solvat, licet ipse postea rem tanti non vendiderit [3].

[1] *Berardi*, 491; *D'Annibale*, II, 494.
[2] *Berardi*, 491.
[3] S. Alph., L. III, 825. — Hinc sartores qui, v. g., sese offerunt ad emendos pannos, non possunt exigere plus pretio quod solvunt, nisi venditor ob peculiarem amicitiam, aut quia suam officinam frequentant, *ipsis* revera remitteret aliquid ex pretio communi.

Sic famula, quae ab alio mercatore emendo quae ad victum domini sunt necessaria pecuniae pepercerit, non potest excessum sibi retinere, quia ratione officii ac stipendii tenetur utilitatem domini sui procurare. Nec refert quod dominus pretium determinaverit, quia id fecisse censetur non *ne infra*, sed *ne supra* illud pretium emeret. Potest tamen parvula munuscula a mercatoribus accipere, ut fert usus, quia facile prae-

§ 3°

De venditione cum pacto retrovendendi, et de mohatra.

860. — *Q.* Quid est venditio cum pacto retrovendendi, et est ne licita?

R. Venditio cum pacto retrovendendi est *contractus quo venditor sibi reservat jus rem suam statuto tempore repetendi, sub conditione pretium ejus restituendi, sumptus venditionis solvendi, meliorationem rei et similia resarciendi.*

Hujusmodi venditio licita est, dummodo pretium minuatur pro gravitate oneris quod emptori imponitur, ut aequitas postulat. Imo etiam emptori probabilius, jure naturae spectato, retrovenditio permittitur, quia pacta ex mutuo consensu per se firmantur et hoc nil inhonesti continet.—Attamen lex civilis retractum conventionale pro solo venditore admittit, et quidem non ultra quinquennium, ne diu rei dominium incertum maneat. Quo tempore elapso, emptor irrevocabiliter proprietarius evadit (C. It., a. 1516).

861. — *Q.* Quid est mohatra?

R. Mohatra, juxta idioma hispanicum, et juxta italicum *scrocco,* est *contractus quo quis pecunia indigens emit credito aliquas merces cum pacto explicito vel implicito ipsi mercatori retrovendendi, sed pecunia numerata et pretio minore.*

Hic contractus illicitus est, ut constat ex propos. damnata ab Innoc. XI, n. 40; sed hodie in desuetudinem abiit.

—

§ 4°

De monopolio.

862. — *Q.* Quid est monopolium, et quotuplex?

R. Monopolium idem sonat ac *venditio unius,* a voce *monopola,* idest unicus venditor.

Monopolium duplex est: Aliud *publicum (privativa),* quod publica auctoritate constituitur, et est privilegium uni vel paucis concessum, ut quasdam merces ipsi soli vendere possint. Hoc monopolium legale, modo justo pretio fiat, licitum est, utpote concessum ad industriae et commercii incrementum.

Aliud est *privatum,* quod privata auctoritate inducitur, et sequentibus modis fit, nimirum: 1° quando quis impedit, etiam falsam spargendo notitiam, quominus aliae merces in regionem introducantur, ut ipse solus vendat suas cum civium damno; 2° quando unus aut pauci emunt omnes res ut postea carius vendant.

863. — *Q.* Monopolium privatum est ne licitum?

R. Monopolium privatum licitum est: — 1° Quando quis emit ea quae non sunt ad sustentationem vitae necessaria, uti gemmae pretiosae, ornatus mulierum, equi generosi etc.; et emit ut carius vendat, sed justo pretio. — 2° Quando quis emit res quidem vitae necessarias, uti triticum, vinum, etc., sed postquam cives jam emerunt quae sibi necessaria sunt, et emit ut postea carius quidem sed justo tamen pretio vendat, esto sit summum, quo nempe vende-

sumitur domini consensus, dummodo absit fraus, ne scilicet id cedat in damnum domini sui, puta si ideo plus solvere debeat pro merce.

rent de longe easdem res asportantes; - ratio, quia nemo tenetur suum commodum negligere ut damnum alterius evitet, modo agat sine dolo. Sed etsi antea emat, ex hoc capite non laedit justitiam, quia nullius jus laedit; alias et venditores eam laederent, quod nemo dixerit [1].

E contra illicitum et injustum est:—1° Quando emptores, ut carius res vendant, vi aut dolo alios impediunt ne easdem vendant.— 2° Quando emptores inter se conveniunt ut merces vendantur ultra pretium summum. — 3° Quando merces venduntur ultra pretium quod juxta fori aestimationem curreret si monopolium factum non fuisset; in hoc enim casu venditores sunt causa cur pretium injuste augeatur [2]. — 4° Quando emptores impediunt, falsas spargendo notitias, quominus aliae merces in regionem introducantur, ut ipsi soli res carius vendant cum civium damno. — 5° Quando domini conveniunt de non solvenda justa mercede operariis. — 6° Demum quando operarii inter se conveniunt de non locanda opera (vulgo *far sciopero*) nisi pretio ultra summum.

864. — *Q.* Peccant ne contra justitiam mercatores qui inter se conveniunt ne merces vendantur nisi pretio summo?

R. Disput. Th. S. Alph. tenet quod non peccant contra justitiam, modo in tali conventione absit quaelibet vis, aut fraus. Peccant tamen graviter contra caritatem, quia caritas prohibet ne cuiquam suadeatur ut non minori pretio vendat [3].

865.—*Q.* Facta injusta conventione inter aliquos non vendendi nisi pretio summum excedente, licet ne aliis mercatoribus eodem pretio vendere?

R. Disput. Th. Salmanticenses cum aliis affirmant, quia illud pretium jam factum est commune. — At S. Alph. cum aliis negat, quia tale pretium ex injustitia adauctum semper injustum est [4].

ART. III.

De cambio.

866. — *Q.* Quid est cambium, et est ne licitum?

R. Cambium est *contractus quo pecunia cum pecunia commutatur cum lucro campsoris.* — *Campsor* vero seu bancarius est qui cambium praestat; qui illud petit *campsarius* appellatur.

Cambium aliud est *reale*, aliud *fictum* seu *siccum*. Reale subdividitur in manuale et locale. *Manuale* est mutatio pecuniae diversae speciei, uti aurea pro argentea, italica pro gallica. *Locale* est solutio pecuniae in uno loco, alibi repetendae.

Cambium fictum, quo datur pecunia tanquam peregre transferenda et recipienda (ideo pretium pro translatione accipitur), quae tamen non transfertur sed illico recipitur, prout hic a nobis sumitur, est mutuum sub nomine cambii palliatum. Hoc per se est illicitum, quia nullum fit cambium proprie dictum; unde S. Pius V illud dam-

[1] *D'Annibale*, II, 470 (25).
[2] S. Alph., L. III, 816.
[3] Quae de venditorum conspiratione diximus, valent etiam quoad emptores qui conspirant in pretium infra infimum (quod est contra justitiam), vel infimum tantum (quod contra caritatem est). *Marc*, 1139.
[4] S. Alph., L. III, 816.

navit in Bulla *In eum*, anno 1571. Dixi *per se,* quia licet aliquid exigere ratione mutui titulo lucri cessantis, ut dicetur ubi *de mutuo*. Caeterum hodie cambium fictum vix obtinet.

E contra cambium reale licitum est, modo lucrum cambii non excedat pretium determinatum a lege vel a locorum consuetudine; et hoc sive ratione locationis operae et officii ad numerandam vel transmittendam pecuniam, sive ratione expensae in detinendo telonio, sive ratione curae in custodienda pecunia, sive ratione translationis et assecurationis pecuniae, vel damni emergentis, vel lucri cessantis, etc.

867. — *Q.* Qui pecuniam falsam accepit potest ne eam expendere ?

R. Qui pecuniam falsam accepit non potest eam expendere si materialiter falsa sit, nempe si careat signo principis, vel si falsa ratione materiae aut justi ponderis, quia in hisce casibus est res intrinsece vitiosa, quae propterea alteri tradi nequit. Nec excusatur qui illam ab alio accepit bona fide; cujusdam enim deceptio non dat tibi jus decipiendi alios [1]. — Ex jure autem poenali, qui monetam falsam accepit, valorem 10 fr. excedentem, tenetur intra tres dies civili auctoritati illam consignare, ejus provenientiam indicando (Cod. Poen. It., art. 440).

Art. IV.

De contractu societatis.

868. — *Q.* Quid est contractus societatis, et quomodo distinguitur ?

R. Contractus societatis est *conventio qua duo aut plures contribuunt pecuniam vel laborem ut commune faciant lucrum.*

Societas alia est universalis, alia particularis.—Societas *universalis* duplex est : Una dicitur societas *universorum bonorum praesentium,* quando nempe socii omnia bona quae hic et nunc possident, sive mobilia sive immobilia, et lucra obvenientia in commune ponunt; altera dicitur societas *universorum quaestuum,* et complectitur omnia lucra quae socii, durante societate, quovis titulo erunt comparaturi. Hae duae species possunt per conventionem expressam simul conjungi. At si initur societas universalis absque alia declaratione, intelligitur tantum societas quaestuum. Quilibet sociorum sine aliorum consensu potest sibi alium socium adjungere quoad suam portionem, sed non potest illum in societatem admittere. Socii autem non tenentur in solidum ob debita societatis non commercialis; neque unus potest alium obligare sine facultate expressa (C. I., a. 1700, 1725; C. G., a. 1836, 1839) [2].

Societas *particularis* complectitur tantum quasdam res determinatas, vel earum usum, vel fructus ex eis percipiendos, vel aliquam negotiationem aut artem. Haec societas potest esse civilis vel commercialis; et haec postrema fit tantum ad exercendum commercium, vel ad eliciendos actus commercii. Quinam vero censeantur actus commerciales, determinat codex commercii cujuscumque nationis.

[1] S. Alph., L. III, 855.

[2] Societas rerum immobilium, vel *usus* earum ultra novennium, scriptura authentica, et quoad tertios transcriptione, fieri debet (C. I., a. 1314, 1932, 1942).

869. — *Q.* Contractus societatis est ne licitus?

R. Contractus societatis, positis debitis conditionibus, licitus est sive jure naturae, quia si singulis licitum est ex suis rebus lucrum facere, licitum pariter esse debet pluribus conjunctim; sive jure civili, ut fert usus omnium gentium et omnes codices admittunt.

Conditiones autem ut contractus societatis licitus sit tres sunt: 1° Ut fiat in negotiatione honesta, nemo enim licite obligari potest in re turpi. 2° Ut debita servetur aequalitas, seu adsit justa proportio inter expensas, lucra et damna dividenda inter socios; proportio autem determinari debet pro rata sortis collatae et praestitae operae [1]. 3° Ut damnum sortis spectet solummodo ad dominum ipsius, si tantum ususfructus rei, secus si ipsamet sors in societatem conferatur [2].

870. — *Q.* Quotuplici modo dissolvi potest societas?

R. Societas multifarie dissolvi potest: 1° Transacto tempore praefixo, aut finita negotiatione; 2° renuntiatione etiam unius sociorum, jure naturae vel *tacita*, v. g. si quis ex eis seorsim negotiari incipiat; jure civili *expressa* et sociis denunciata. Ceterum neuter sociorum potest a contractu recedere nisi in gratiam boni publici, vel nisi alter damno sit societati, aut pactis stare nolit [3]; 3° morte alterutrius socii, quia societas non transit ad haeredes, nisi quoad negotia jam incoepta, aut nisi adsit pactum juramento firmatum cum defuncto socio; 4° exilio aut professione religiosa; 5° si alteruter sociorum interdicetur, aut non soluturus sit, aut foro cesserit; 6° si amittantur res contributae; 7° si ita res mutentur ut societas evadat fini inepta.

871. — *Q.* Quid est contractus trinus, et est ne licitus?

R. Contractus trinus est *conventio in qua cum eadem persona simul concurrunt contractus societatis, assecurationis sortis et assecurationis lucri.* Sic v. g. Titius confert mille fr. in societate cum Cajo: en contractus societatis. Adest autem spes ex tali societate lucrandi 200 fr., Titius tamen ne suam sortem seu mille fr. amittat, secundum contractum cum Cajo init, eique 100 ex speratis cedit si assecurationem sortis sibi assumere velit: en sortis assecuratio. Verum quum Titius lucrum modicum sed certum malit quam majus sed incertum, a-

[1] In dominium societatis ipso jure transeunt, praeter ea quae usu consumuntur: 1° quae usu deteriora fiunt; 2° quae conferuntur ut distrahantur; 3° quaeque demum aestimatae datae sunt, dummodo aestimatio in aliquo inventario comprehensa fuerit. (C. It., a. 1715).

[2] Contractus societatis vocatus *ad caput salvum*, nempe quando traduntur custodi animalia cum pacto ea reddendi in eodem numero et valore, licet illa mortua fuerint aut deteriora facta, ac deinde lucrum dividendi, per se est injustus ideoque illicitus, quia damnum sortis non ad custodem sed ad dominum tantum spectat. S. Alph., L. III, 907, q. 4.

[3] Si quis *intempestive*, idest eo tempore discedat quo ceterorum sociorum intererat non dirimi societatem; vel *dolo malo*, idest ut obveniens aliquod lucrum, v. g. haereditatem, legatum, solus habeat vel emat, socios a se, non se a sociis liberat; ideo quod ipse acquirit aliis commune est, quod alii acquirent non fit ipsi commune: et si quod damnum illi passi fuerint, et ipse praestabit. *D'Annibale*, II, 478 (34, 35). — C. It., a. 1733-5.

lios 40 fr. ex lucro sperato Cajo cedit, modo hic 60 ei certo refundat quidquid eveniat: en assecuratio lucri. Ex hisce contractibus Cajus reddere tenetur Titio sortem integram cum lucro certo 60 fr.

An vero talis contractus licitus sit, disput. Th. Alii negant, sed communius affirmant, dummodo pecunia revera negotiandi causa conferatur, quia hi tres contractus separatim initi essent justi, ergo et conjunctim. Ceterum contractus hujusmodi, permittente Ecclesia exigere mutuum, in desuetudinem abiere.

Art. V.

De locatione-conductione.

872. — *Q.* Quid est locatio-conductio?

R. Locatio-conductio est *contractus quo quis usum vel fructus rei, vel opera personae pro certo pretio et ad certum tempus alteri praestat.* Quare vel est locatio *rerum,* vel locatio *operarum.* — Qui mercedem recipit pro usu rei suae vel pro opera sua generatim *locator* dicitur; qui vero mercedem seu pretium dat *conductor* appellatur, vel *locatarius.*

873. — *Q.* Quaenam obligationes locatoris et conductoris in locatione rerum?

R. Locator tenetur manifestare vitia damnosa, vel periculum rei, quae novit; consignare rem et accessoria, eamque servare usui cui conducta fuit accomodatam; facere expensas extraordinarias; non mutare formam rei locatae; servare indemnem locatarium ab omni perturbatione juris.

Locatarius vero debet se gerere uti bonus paterfamilias, scilicet rem non deteriorare; pretium solvere tempore debito; uti re ad solum finem locationis, salva rei substantia; rem ipsam restituere debito tempore eoque statu quo eam recepit, excepta mutatione orta ex vetustate aut vi majori [1].

874. — *Q.* Quaenam obligationes sive eorum qui operarios vel famulos conducunt, sive operariorum vel famulorum?

R. Qui operarios vel famulos conducunt tenentur ex justitia eis mercedem tribuere justam, saltem infimam. Insuper tenentur ante elapsum conductionis tempus a contractu non recedere, absque legitima causa.

Operarii vero vel famuli tenentur laborem et operam fideliter impendere juxta conventionem, ita ut si ex eorum imperitia, vel negligentia vel alia causa culpabili non praestant quod ex pacto conventum est, tenentur pro rata mercedem remittere, vel jam acceptam restituere. Insuper tenentur a servitio non recedere ante tempus statutum, absque justa causa (v. dicta *de obligationibus famulorum*, n. 682, 683).

875. — *Q.* Quaenam censetur justa merces operarum?

R. Justa merces operarum aestimatur ex ipsis operis juxta mores regionis in qua praestantur [2]; et ex iisdem causis ac pretia rerum, pariter pretia operarum mi-

[1] Locatio immobilium ultra 30um annum constitui nequit, in longius facta 30° anno finitur. Si vero agatur de domo pro habitatione, locari potest per totam vitam locatarii et etiam per duos annos post mortem. (C. It., a. 1571).

[2] Et justa merces locatori est quae facile inveniri potest; conductori, pro qua alii parati sint operas suas locare. *D'Annibale*, II, 442 (27).

nui vel augeri possunt, ut ecce si pauci sint qui operas conducunt, dum multi qui eas praestant, vel contra. — Mercedes operarum, sicuti rerum pretia, aestimari minime debent ex persona cui operae praestantur, vel quae eas praestat, nisi forte haec longe majori aut minori peritia ceteris polleat; vel nisi quis ultro eas offerat.— Verum merces aestimatur cum primis ex utilitate operae quam quis alteri praestat: ideo si quis duobus vel pluribus, eodem tempore, operam praestat, solidam ab unoquoque mercedem exigere potest, licet singuli eum seorsim conduxerint, dummodo singulis et solidam praestet, et aeque utilem; non enim minoris singulis valet [1].

Notandum est autem, juxta doctrinam Leonis P. XIII [2], quod justum salarium operariorum, qui nempe totum laborem diurnum in obsequium alicujus praestant, non est illud quo operarii fame non pereant; sed ex justitia tantum esse debet, ut secundum conditionem suam, frugaliter quidem, sed convenienter vivere possint. Justitia enim exigit proportionem inter pretium et valorem laboris, idque multo magis quam in venditione mercium, cum operarius non rem externam, sed aliquid suipsius, nempe laborem suum, vendat; et insuper pro hujusmodi hominibus est unicum medium, quo sibi comparent res ad varios vitae usus necessarias [3]. Imo salarium sufficere debet ad alendam operarii familiam in ordinariis adjunctis; at hoc non ex justitia commutativa, sed potius ex justitia legali seu sociali, et naturali aequitate [4].

[1] *D'Annibale*, II, 441, 442.
[2] Litt. Encycl. *De conditione opificum*, diei 17 Maii 1891.

Art. VI.

De censu.

876. — *Q.* Quid est census, et quotuplex?

R. Census est *contractus quo quis, soluto pretio, acquirit jus annuam pensionem percipiendi ex re vel persona.* Qui obligationem habet pensionem solvendi dicitur *censuarius;* qui jus percipiendi, *censualista.*

Census multilex pest: — 1° Ratione *pretii* quo acquiritur, est reservativus vel consignativus. *Reservativus* (fondiario) quo censualista rem immobilem alteri cedit, sibi annuam pensionem reservando definito tempore solvendam. *Consignativus* seu *simplex*, quo censualista, collata alteri sorte, jus annuam pensionem a censuario percipiendi sibi reservat [5]. - Uterque actu publico aut privata scriptura indiget, sub poena nullitatis. — 2° Ratione *rei* in qua fundatur, est realis vel personalis. Census *realis* (livello) est ille qui constituitur in aliqua re frugifera, ita ut obligatio canonis solvendi transeat ad quemcumque huius rei possessorem; et, re pereunte, pereat et census. *Personalis* vero dicitur ille qui fundatur directe et immediate in labore et industria alicujus personae, sine ordine ad aliquam rem. — 3° Ratione *temporis* seu durationis, esse potest *perpetuus* et *temporalis.* Primus vi contractus durat perpetuo, ideoque transit ad haeredes tam censuarii quam censualistae. Alter vi contractus habet tempus determinatum; et hoc vel certum, v. g. 20

[3] *Aertnys*, L. III, 171; *Génicot*, I, 646.
[4] *Génicot*, I, 647.
[5] C. It., a. 1780, seq.

annos, vel incertum, puta ad vitam censuarii vel censualistae, quo in casu dicitur *vitalitius*. — 4° Ratione *modi* adjuncti, est *redimibilis* et *irredimibilis*, prout redimi potest vel non per capitalis seu pretii restitutionem.

877. — *Q.* Census est ne licitus?

R. Distinguo: — 1. Census *reservativus* semper licitus est; dominus enim potest rem suam alienare qua conditione voluerit.

2. Census *consignativus realis* est etiam licitus, quia quisque alteri donare potest jus percipiendi annuam pensionem ex re sua frugifera; ergo et hoc jus alteri vendere potest.

3. *Consignativus personalis* vero, saltem jure naturae, probabilius licitus est, modo serventur debitae conditiones; - ratio, quia jus percipiendi pensionem ex labore et industria alterius est pretio aestimabile, quemadmodum jus percipiendi pensionem ex re frugifera. Jure tamen canonico talis census prohibetur in Bulla S. Pii V, *Cum onus*, ob periculum usurae; attamen haec Bulla in pluribus locis non est recepta, ac ne Romae quidem observatur [1].

4. Census *vitalitius* est licitus sive jure naturae, sive jure civili. Sed advertendum: 1° Quod adesse debet aequalitas inter censum et pretium, nempe pretium hujus census constitui debet pro ratione aetatis et sanitatis; 2° quod pretium excedere non debet ordinarie 15 pro 100; 3° quod censuarius non potest se redimere nisi ex voluntate censualistae; nec censualista repetere capitale, nisi in casu quo censuarius promissas cautiones non praebeat aut praestitas diminuat (C. It., a. 1796, 1798); 4° quod talis census non cessat morte civili censualistae, sed solvitur curatori aut filiis usque ad ejus mortem naturalem (C. I., a. 1801): mortuo censuario, obligatio ejus transit ad haeredes nisi aliter statuerint.

878. — *Q.* Censuarius et censualista possunt ne census redimere?

R. Quoad *censuarium*, ex jure civili facultatem habet census redimendi, ita ut pactum contrarium sit nullum. Attamen conveniri potest de censu non redimendo durante vita censualistae, vel ante praefinitum aliquod tempus, quod excedere nequit annos 30 in censu fundiario, 10 in censu simplici. Licet quoque pactum inire ut censuarius census redimere nequeat quin censualistam praemonuerit, et a monitione non longius anno effluxerit (C. I., a. 1783).

Quoad *censualistam* vero, etsi non possit census redimere suo marte, potest tamen censuarium cogere, praeter casus in conventione notatos, ad census redimendum si, post legitimam interpellationem, per duos annos successivos pensionem non solvat, vel omittat exhibere cautelas in ejus securitatem, vel diminutis exhibitis alias non praestet; item si fundus pro censu datus, aut hypothecae subjectus, plus quam inter tres possessores dividatur, vel si debitor evadat obaeratus juxta legis limitationes (C. I., a. 1785-6).

879. — *Q.* Census quomodo extinguitur et rescinditur?

R. Census extinguitur 1° redemptione ex parte censuarii (C. I., 1783; C. G., 1900); et si vitalitius sit, morte ejus ad cujus vitam fuit

[1] S. Alph., L. III, 849.

constitutus; 2° sententia judicis in casibus a jure determinatis.

Census rescindi potest ut quaelibet alia emptio-venditio, si censualista quasi venditor laesus fuerit ultra dimidium justi pretii, vel si quasi donator liberos postea susceperit.

Art. VII.

De emphyteusi.

880. — *Q.* Quid est emphyteusis, et quaenam obligationes ac jura emphyteutae ?

R. Emphyteusis est *contractus quo quis dat alteri dominium utile alicujus fundi ad meliorandum, retinendo sibi dominium directum, et cum onere ex parte emphyteutae annuam pensionem domino solvendi.* Emphyteusis potest dici quaedam species census reservativi. Praecipua differentia inter hunc et illam est quod in censu fundus datur in dominium, dum in emphyteusi datur tantum ad meliorandum. Qui fundum tradit dicitur *directarius;* qui recipit, *emphyteuta;* pensio solvenda *canon* vocatur.

Emphyteuta tenetur: 1° Fundum meliorem reddere, aut saltem non deteriorem; 2° solvere tributa praedialia, et omnia fundi onera; 3° integrum canonem solvere, non obstante quacumque insolita sterilitate aut fructuum amissione; a quo tantum liberatur si fundus integre perit. Attamen jure italico (a. 1559-60) si pars notabilis fundi perierit, quamdiu reliqua sufficient canoni solvendo non liberatur, sed potest ab emphyteusi discedere; si vero non sufficiant, jus habet ad canonis diminutionem.—Eodem jure disponere potest tum de fundo, tum de ejus accessionibus actu inter vivos aeque ac ultimae voluntatis, quin praestationem ullam (laudemium) directario solvere teneatur. At non admittitur subemphyteusis (C. It., a. 1562).

Art. VIII.

De fidejussione, pignore et hypotheca.

881.—*Q.* Quid est fidejussio?

R. Fidejussio est *contractus quo quis se obligat solvere si debitor principalis non solvat.*

Fidejussor (*garante*) debet habere liberam bonorum suorum ad hoc sufficientium administrationem [1]. Hinc fidejubere non possunt: 1° Filii-familias, nisi habeant bona castrensia vel quasi-castrensia. 2° Minores et pupilli, nisi pro patre incarcerato. 3° Mulieres sine consensu mariti. 4° Religiosi sine licentia Superioris.

Fidejussor non tenetur ultra id ad quod tenetur debitor principalis et nonnisi deficiente principali; quinimo habet jus ab eo repetendi quidquid ejus loco solvere coactus fuerit. Obligatio fidejussoris transit ad haeredes, quia realis est, non mere personalis.

Debitor principalis tenetur erga fidejussorem de impensis pro ipso factis ac de damnis ob hoc perpessis.

882. — *Q.* Quid est pignus ?

R. Pignus est *contractus quo debitor rem mobilem creditori tradit in securitatem crediti, ea lege ut, soluto debito, eadem res in specie restituatur.*

Quod si in securitatem crediti ligat rem immobilem, *hypotheca* habetur.

[1] *Cod. civ.*, art. 1904.

883. — *Q.* Quaenam obligationes tradentis pignus et illud accipientis ?

R. Qui pignus tradit tenetur : 1° Tradere creditori pignus idoneum; 2° refundere creditori impensas necessarias ,, quae factae fuerint ad rei conservationem; 3° pignus non repetere , nisi prius integrum debitum solverit; quod si pignore creditor abutatur illius sequestrum exigere potest (C. I., a. 1887-8).

Qui vero pignus accipit tenetur: 1° Non uti re sibi credita nisi de consensu saltem praesumpto debitoris; 2° diligenter pignus custodire, secus de damno teneretur; 3° fructus ex pignore perceptos in debiti diminutionem computare, ad aequalitatem servandam ; 4° non vendere pignus propria auctoritate ad solutionem obtinendam, nisi debitor sit in mora culpabili , et prius monitus fuerit. Ita ex jure naturali. At quoad jus civile penes nos , vide *Cod. Civ.* (a. 1884).

Pignori accedit contractus qui *antichresis* nuncupatur. Est autem antichresis species pignoris, qua debitor tradit rem immobilem in usum creditoris, usquedum debitum solvatur [1].

884. — *Q.* Quid est hypotheca et quotuplex ?

R. Hypotheca est *contractus quo quis creditori rem immobilem ligat pro cautione ejus crediti prae ceteris creditoribus personalibus* (chirographariis).

Hypotheca:—1° Alia est *legalis*, quae etiam implicita seu tacita dicitur, quaeque vi solius legis et absque ulla speciali conventione instituitur : sic uxor hypothecam habet in cuncta bona mariti pro dote recuperanda, pupillus in bona tutoris. — 2° Alia *judicialis*, quae ex judicis sententia statuitur in gratiam eorum qui litem vicerunt; sic v. g. si judex decernit quod aliquis damnum resarcire debeat , vi hujus sententiae cuncta bona immobilia condemnati, sive praesentia sive futura, pro illo damno reparando hypotheca gravantur. Requiritur tamen ut haec judicis sententia apud hypothecarum conservatorem inscribatur, et a die tantum inscriptionis vim obtinet. — 3° Alia denique *conventionalis* , seu quam partes mutua conventione inter se statuunt; et haec est contractus solemnis, quo persona ad contrahendum habilis bona speciatim designata creditori ligat in debiti soluti assecurationem. Debet igitur constitui super re determinata immobili , publico instrumento , aut scriptura ipsius constituentis authentica subscriptione munita, et a persona ad contrahendum habili, seu quae liberam habeat bonorum suorum administrationem: hinc minores, interdicti, uxores non possunt aliquid in hypothecam tradere.

[1] S. Alph., L. III, 916; C. It., a. 1891.

ART. IX.

De transactione.

885.—*Q.* Quid est transactio?

R. Transactio est *conventio onerosa qua res litigiosa et incerta inter partes componitur.* Dicitur *universalis* si omnes lites quae inter partes existunt vel existere possunt componuntur ; si vero aliqua tantum componitur lis, *particularis* vocatur. Insuper alia est *judicialis* alia *extrajudicialis*, prout fit cum vel sine judicis auctoritate.

Ut valide quis transigere possit debet habere liberam administrationem bonorum de quibus transactio fit. Transigere autem prohibentur: 1° Jure naturae, qui carent usu rationis; 2° jure canonico, Religiosi sine consensu superioris; 3° jure civili, qui alienare nequeunt super bonis minorum absque judicis auctoritate.

Peracta vero transactione, nequit haec amplius impugnari sive ex errore juris sive causa laesionis; quod si in transactione error in computo contigerit, error corrigitur, sed transactio stat.—E contra si error sit quoad personam vel quoad objectum controversum, vel si transactio super falsis documentis fundetur, aut vis vel dolus intervenerit, vel si lis jam judicialiter definita sit, et utraque vel alterutra pars ignoret, transactio rescindi potest. — Insuper facta transactione *universali,* documenta, si quae inveniantur, nullum praebent titulum ad transactionem impugnandam, nisi ab alterutra parte illa fuerint occultata. —At in *particulari,* statim ac documentum invenitur, quo altera pars nullum habere jus in objectum transactionis probetur, ipsa transactio irrita evadit (C. I., a. 1772-7).

CAPUT II.

De contractibus gratuitis.

886. — *Q.* Quinam dicitur contractus gratuitus, et quotuplex est?

R. Contractus gratuitus dicitur *ille in quo nullum pretium aut merces rependitur danti vel facienti.*

Ex hoc alteruter tantum contrahentium ex mera liberalitate erga alterum se obligat ad aliquid dandum vel faciendum, unde nomen *gratuitus* sortitur.

Contractus gratuitus multiplex est: promissio; donatio; testamentum; legatum; mandatum; depositum; commodatum; precarium et mutuum.

ART. I.

De promissione.

887. — *Q.* Quid est promissio, et quaenam ejus obligatio?

R. Promissio est *fidei datio, seu gratuita obligatio alteri facta et ab eo acceptata de re possibili et honesta.* Unde ad veram promissionem tria requiruntur: 1° Deliberatio spontanea et libera promittentis; 2° intentio se obligandi; 3° externa manifestatio promissionis ejusque acceptatio, quia omnis contractus solo mutuo consensu perficitur, unde si promissio non est saltem tacite acceptata, non tenet.

888. — *Q.* Promissio acceptata obligat ne ex justitia?

R. — 1° Certum est quod obligat ex justitia quando adnexa est contractui oneroso, nempe quando promittens dat alteri fidem ut iste tali promissione innixus quosdam actus sibi onerosos faciat; ideoque promissione non impleta, reale damnum subire debeat. — 2° Certum etiam est quod promissio confirmata juramento promissorio obligat etiam ex virtute religionis. — 3° Si vero promissio non est adnexa contractui oneroso, utrum obliget ex justitia an ex fidelitate tantum, disput. Th. Alii docent promissionem per se obligare solum sub levi ex mera fidelitate. Alii e contra dicunt in re gravi obli-

gare sub gravi ex justitia. At sententia probabilior et communior docet obligationem promissionis pendere ex intentione promittentis. Unde si hic intendat se obligare solum ex fidelitate, solum sub levi obligatur ; si vero intendat se obligare ex justitia, obligatur sub gravi in materia gravi.

NOTA : Th. communiter dicunt quod ad constituendam materiam gravem in promissione etiam ex justitia requiritur quantitas quadruplo major quam quae in furto, quia promissor agit de proprio, fur de alieno [1].

889. — *Q.* Obligat ne promissio si ante executionem moriatur promittens, vel promissarius ?

R. Si moriatur promittens, et promissio obligat solum ex fidelitate, tunc talis promissio cum sit *personalis* cessat, et non transit ad haeredes. — Si vero obligat ex justitia, tunc cum talis promissio sit *realis*, non cessat, sed transit ad haeredes, a quibus ex justitia adimplenda est.

Si autem moriatur promissarius, et promissio facta fuit principaliter in ejus gratiam, tunc obligatio cessat ; secus vero si promissio facta fuit principaliter intuitu familiae promissarii, vel ipsius haeredum.

890. — *Q.* Obligatio promissionis, quandonam cessat ?

R. Obligatio promissionis cessat : 1° Quando res promissa evadit aut nimis nociva, aut illicita, aut inutilis ; 2° quando promissio adimpleri nequit sine gravi damno ; 3° quando talis rerum mutatio supervenit, qua praevisa, promissio non fuisset facta ; promissio enim semper facta censetur cum illa tacita conditione. Ita S. Alph. cum S. Th. et alii communiter [2].

[1] S. Alph., L. III, 720.

ART. II.

De donatione.

891. — *Q.* Quid est donatio, et quotuplex ?

R. Donatio, quasi *doni datio*, est *contractus liberalis et irrevocabilis, quo quis rei suae dominium transfert in alium qui acceptat.* Qui donat dicitur *donator*, *donatarius* cui donatur.

Donatio alia est *completa* seu *realis*, quae fit cum actuali rei traditione, et alia *incompleta* seu *verbalis*, quae fit solis verbis ; - alia *simplex*, quae absque limitatione, alia *qualificata*, seu sub conditione ; - alia est *gratuita*, quae fit ex mera donatoris liberalitate, et alia *remuneratoria*, quae fit titulo gratitudinis ; - alia dicitur *inter vivos*, qua scilicet donator vult ut res sua statim fiat propria donatarii, et alia dicitur *mortis causa*, qua donator vult ut res sua fiat propria donatarii non tamen statim, sed solum post mortem ipsius donatoris ; haec donatio solo testamento fieri potest, unde a legato non distinguitur. Donatio inter vivos per se irrevocabilis est, revocabilis e contra si facta causa mortis.

892. — *Q.* Quinam possunt donationem facere et acceptare ?

R. — 1. Possunt donationem facere omnes compotes sui qui habent dominium directum et liberam administrationem suorum bonorum. - Unde donare nequeunt : 1° Qui contrahere et testari non possunt ; 2° qui a lege prohibiti sunt. Sic tutores non possunt do-

[2] S. Alph., L. III, 720.

nare de bonis minorum, nisi agatur de parvis donationibus remuneratoriis et eleemosynis ordinariis ; item minores donationes facere non possunt, nisi agatur de donatione occasione matrimonii, vel de modicis donationibus juxta propriam conditionem; uxores quoque donare non possunt nisi ex consensu mariti vel judicis auctoritate (C. It., a. 134, 637, 1052).

2 Acceptare vero donationem nequeunt sive qui a lege prohibentur, sive qui incapaces sunt ad accipiendum per testamentum. Sic conjuges ex lege civili nequeunt inter se donare durante matrimonio, nisi actu ultimae voluntatis (C. I., a. 1054). Sic corpora moralia nequeunt acceptare donationes quae valide sint in foro civili, nisi obtenta a Gubernio facultate (C. I., a. 1060). Haec tamen juris dispositio quoad communitates ecclesiasticae jurisdictioni subditas est prorsus injusta.

893. — *Q.* Quaenam bona donari possunt ?

R. Donari possunt bona quae in commercio sunt, et regulariter omnia quae quis in praesenti habet, non item futura; salva semper parte haereditatis legitima. Quare qui habet haeredes necessarios potest tantum donare suam partem disponibilem, ultra quam si donet, donatio est nulla quoad excessum, et haeredes necessarii vivente donatore renuntiare non possunt parti ipsis a lege assignatae. Possunt etiam donari quae quis in spe determinata habet, v. g. fructus ex quodam agro hoc anno nascituros, etc., excepta spe futurae haereditatis, circa quam omne pactum prohibetur (C. I., a. 1064, 1091; C. G., a. 913 et seqq., 943).

894. — *Q.* Donatio ante acceptationem valet ne ?

R. Essentia donationis consistit non solum in voluntate donantis, sed etiam in voluntate acceptantis, unde donatio nondum acceptata non est valida ne in conscientia quidem ; nemo enim potest acquirere jus in rem alienam nisi prius saltem tacite consentiat. Hinc donatio ante acceptationem revocari potest, etiamsi donator voluerit se absolute obligare et donationem juramento firmaverit; juramentum enim sequitur naturam actus. Excipitur tamen ex *jure civili* donatio facta contemplatione certi et determinati matrimonii, sive sponsorum ad invicem, sive ab alio pro ipsis eorumve futura prole, quae ob defectum acceptationis nequit impugnari, modo matrimonium valide contrahatur. Item ex *jure canonico* donatio facta ad causas pias valet ante acceptationem, si promissio Deo *immediate* facta sit, v. g. *promitto Deo dare tali Ecclesiae;* cum enim intentio feratur in Deum, donatio valet uti votum. Secus probabilius si *mediate* tantum [1].

895. — *Q.* Quaenam conditiones ad validam donationem inter vivos ?

R. — **1**. *Jure naturali* ad validam donationem inter vivos requiritur ut donatio non sit facta sub conditione impossibili vel bonis moribus contraria.

2. *Jure civili* vero necesse est:— 1° Ut donationis actus fiat publico instrumento, quo in casu si donatio respicit res mobiles sufficit actus publicus, sed omnes res singillatim designandae sunt cum proprio valore (C. I., a. 1070); si vero

[1] S. Alph., L. III, 726.

respicit res immobiles aut jura quae hypothecae subjici possunt, actus publicus transcribi debet (a. 1932). — 2° Ut donatio non sit facta sub conditione cujus impedimentum a solo donante pendeat, vel sub conditione satisfaciendi oneribus non expressis aut non existentibus tempore donationis (a. 1066-7). — 3° Ut donatio sit a donatario acceptata vel in ipso donationis actu, vel postea alio publico actu qui donanti notificetur, ideoque ante mortem donatoris. Donatio autem acceptari potest vel ab ipso donatario si est major, vel ab alio illius nomine. Minores, interdicti, corpora moralia non restituuntur in integrum ob defectum acceptationis, sed habent regressum contra illos qui eorum nomine acceptare tenebantur (a. 1057, 1063).

896. — *Q.* Valet ne donatio facta a debitis gravato?

R. — **1.** Si donatarius inducit seu determinat donatorem ad donandum, sciens eum ad solvendum imparem, donatio non valet, et donatarius acceptando peccat contra justitiam, quia positive cooperatur injustae donantis actioni.

2. Si vero donatarius non inducit ad donandum, tunc distinguo: Si bona fide acceptat, nesciens nempe donatorem esse debitis gravatum, non peccat et rem acceptam, nisi sit aliena vel hypotheca ligata, restituere non tenetur: non ex re accepta, quia donator est adhuc verus dominus rei donatae; non ex injusta damnificatione, quia non reddit voluntarie donatorem impotentem ad solvendum [1]. — Si vero mala fide acceptat, an peccet contra justitiam duplex datur sententia. *Prima* negat, quia solus donator est causa per se et efficax damni creditoris, donatarius vero nonnisi causa permissiva, ideoque neque ex justitia neque ex caritate tenetur ad repudiandum commodum suum ut servet alios indemnes. *Secunda* sententia tamen, verior et communis, affirmat, docens donatarium teneri ad reparationem damni quod obvenit creditoribus, quia est causa non solum permissiva, sed etiam influxiva et efficax; donatio enim essentialiter consistit non tantum in donatione, sed etiam in doni acceptatione, unde mala fide acceptans cooperatur injustae donantis actioni [2].

NOTA: Ex *jure civili* (C. I., a. 1091, 1092; C. G., a. 920, 921) non conceditur creditoribus jus postulandi reductionem donationis peractae a debitis gravato. Hoc jus conceditur solum in haereditate, quando nempe haeredi necessario legitima laesa fuerit. Creditores tamen ex eodem jure (C. I., a. 1235; C. G., a. 1167) possunt impugnare actus a debitoribus factos in fraudem jurium eorum.

897. — *Q.* Valet ne donatio facta sine forma legali?

R. — **1.** Si agatur de *actu* donationis, seu de *instrumento* quo donatio continetur, quodque confectum non fuerit secundum formam a lege praescriptam, certe non valet.

2. Si vero agatur de *ipsa donatione*, quae ex lege civili ut valida sit legali instrumento fieri debet, an haec donatio forma legali destituta valeat in conscientia, disput. Th. Sententia probabilior et *in praxi* tenenda docet talem donationem ex jure naturali validam esse, sed esse rescindibilem ex ju-

[1] *Scavini*, II, 446.

[2] S. Alph., L. III, 722.

dicis sententia. In dubio igitur quousque deest talis sententia, melior est conditio possidentis; data autem sententia quisque in conscientia illi stare debet.

3. Demum si agatur de *donationibus manualibus,* seu brevi manu factis, etsi fiant sine formalitate a lege praescripta, v. g. scriptura, commune tamen est, ac in civili jurisprudentia receptum, eas valere in utroque foro, modo factae sint inter personas jure habiles et circa partem disponibilem, nec excedant donorum communem usum. — Porro inter has donationes veniunt: *a)* Donatio proprie dicta *manualis,* seu donatio rerum mobilium, v. g. libri, gemmae, pecuniae, et haec donatio fieri potest immediate, vel etiam per manum tertii; v. g. Titius dat Cajo mille nummos ut illos post mortem suam tradat Petro, vel Ecclesiae, vel in usus pios impendat. Haec autem donatio sola traditione perficitur absque ulla formalitate. *b)* Donatio *indirecta* seu *simulata,* quae fit sub specie alterius contractus; v. g. Titius vendit Cajo domum suam pretio viginti millium francorum, quorum interim condonationem facit. *c)* Donatio *accessoria,* quae fit in favorem tertii in contractu jam cum altero inito; v. g. Titius vendit Cajo agrum ea conditione ut det mille francos Joanni cui benefacere intendit. *d)* Donatio *remuneratoria,* quae fit ob acceptum beneficium, vel officium praestitum ita tamen ut donum non sit beneficio vel officio aequale, sed illud superet; alioquin non esset donatio, sed mera compensatio. *e)* Donatio *onerosa,* quae nempe adnexum habet aliquod onus, quaeque est potius quaedam solutio vel commutatio, puta si quis pecuniam det parocho, ut pro se mortuo missas celebret.

898. — *Q.* Donatio inter vivos potest ne revocari?

R. Donatio inter vivos, quamvis natura sua sit irrevocabilis, tamen quibusdam in casibus a lege adsignatis revocari potest; huic autem revocationis juri nulla conventione renuntiari potest. Ejusmodi casus sunt: 1° Si conditiones resolutivae effectum habeant. 2° Si donatarius erga donantem evaserit enormiter ingratus juxta legis determinationem, quo in casu intra annum a die cognitae ingratitudinis postulare potest revocationem donationis. 3° Si donatori, cui nulli erant legitimi descendentes tempore donationis, supervenerit filius legitimus (non adoptivus), etsi natus post mortem patris, modo sit vivus et vitalis; et tunc poterit postulari donationis revocatio, etsi huic juri expresse renuntiasset. Item si filius naturalis legitimetur per subsequens matrimonium, modo sit natus post donationem (C. I., a. 1081, 1083). 4° Si donatio sit in damnum legitimae quae spectat filiis vel aliis qui jus habent ad haereditatem, et tunc postulari potest reductio donationis pro rata excessus (C. I., a. 1082, 1087, 1092) [1].

899. — *Q.* Expensae factae a patre in gratiam alicujus filii occasione studiorum, militiae, etc. censendae ne sunt veluti donationes?

R. Si hujusmodi expensae factae sint in honorem vel commodum familiae, censendae sunt veluti donationes gratuito a patre factae, quia cedunt in bonum

[1] *Del Vecchio,* II, 190.

commune familiae ; excipe tamen si pater bona propria filii habuerit, tunc enim censetur ex illis filium in studiis sustentasse ; excipe etiam si expensae omnino extraordinariae fuerint.

Quoad patrimonium filio datum ad Sacros Ordines suscipiendos, censeri nequit uti donatio, sed referri debet in haereditatis divisionem, quia aequiparari potest doti filiae, quae necessario referenda est. Et hoc valet etiam ex jure civili (C. It., a. 1007).

Quoad expensas a patre factas ad filium ex militia redimendum, distinguendum est : Si tales expensae factae sint in utilitatem ipsius filii, non sunt censendae uti donationes, sed referri debent in haereditatis divisionem, ut aequitas postulare videtur ; secus vero si filius redimitur in utilitatem patris vel familiae, tunc enim familia sicut commodum percipit, ita et onus ferre debet [1].

—

Art. III.

De testamentis [2].

§ 1°

De natura testamenti.

900.—*Q.* Quid est testamentum ?

R. Testamentum, quasi *testatio mentis,* definitur : *Actus legitimus et revocabilis, quo quis libere disponit de rebus suis in toto vel in parte pro tempore mortem subsecuturo.* — Dixi : 1° *libere ;* hinc ipso jure naturae testamentum nullum est si testator libere non egit, sive quia non compos sui, sive quia metu coactus, aut errore inductus fuerit. Dixi : 2° *in toto vel in parte,* quia hodie testator, contra veterem juris praescriptionem, potest etiam disponere de aliqua tantum parte rerum suarum et sinere ut caeterae deferantur ad haeredes ab intestato [3].

[1] *Bucceroni,* I, 1017-9.—C. I., a. 1007.

[2] Acquisitio iuris quod defunctus habebat tempore mortis dicitur *successio haereditaria.* Haec autem esse potest *legalis,* seu *ab intestato,* qua bona defuncti acquiruntur ex dispositione legis a certis personis ; vel *testamentaria,* qua bona defuncti acquiruntur ex ultima voluntate illius expresse manifestata in forma a lege praescripta, seu per *testamentum.*—Porro successio haereditaria quoad substantiam fundatur in iure naturae et iure gentium ; sed quoad modum iure positivo determinari debet. De successione *legali* consulendae sunt leges propriae nationis (vide *Cod. It.,* tit. II, a. 720 et seq. *Aertnys,* Supplementum pro Gallia, art. IV); hic tantum de successione testamentaria loquemur.

[3] *Monitum pro praxi :*

Maxime convenit ut quisque dum sanus est per testamentum saltem holographum de suis bonis disponat, ne post ejus mortem, fortasse repentinam, jurgia, aliaque gravia incommoda oriantur ; et mature provideat si quas habeat obligationes. Hinc illud : *Testamentum facito dum sanus es, dum liber es, dum tuus es.*

Rituale Romanum vero, ubi *de cura et visitatione infirmorum,* haec habet : « Si morbus gravior vel cum periculo fuerit, aegroto suadeat (Confessarius) ut dum integra mente est, rem suam omnem recte constituat, et testamentum faciat ; si quid habeat alienum restituat, et ad remedium animae suae pro facultatibus, quod in Domino ei placuerit, disponat ; sed haec suggerendo, omnis avaritiae nota caveatur ». — Quoad dispositiones arbitrarias, confessarius poenitentem omnimode liberum relinquat ; maxime autem caveat ne aliquam dispositionem suggerat quae esset in damnum tertii, ne odia in se provocet. Unde S. Ambrosius : *In causis pecuniariis intervenire non est sacerdotis..... ; in causa pecuniae odia quaerere insipientia est.*— *Scavini,* II, 524.

901. — *Q.* Testamentum quomodo dividitur, et quaenam solemnitates pro ejus validitate?

R. Testamentum dupliciter dividitur: ratione dispositionis bonorum, et ratione formae qua confici potest.

1. Ratione dispositionis bonorum triplex est testamentaria dispositio: Universalis; ex titulo universali; ex titulo particulari. *Universalis* est ea qua testator uni aut pluribus relinquit universalitatem suorum bonorum. *Ex titulo universali,* qua testator alicui relinquit quotam omnium bonorum partem, v. g. dimidiam partem, tertiam partem. *Ex titulo particulari* est quaelibet alia dispositio. Prima et secunda dispositio qualitatem tribuunt haeredis, tertia legatarii. (C. I., a. 760).

2. Ratione formae qua confici potest, testamentum aliud est speciale, aliud ordinarium. — *Speciale,* seu privilegiatum, confici potest a judice, a syndaco, a ministro cultus cum duobus testibus, etiam mulieribus anno 16° majoribus tempore pestis: vel in navi a superiore navis cum testibus; vel in bello coram medico aut superiore cum testibus. (C. I., a 789). — *Ordinarium* vero potest esse publicum, secretum et holographum. Testamentum *publicum* facere potest qui *loqui; secretum* qui *legere;* et *holographum* qui *scribere* valeat (C. I., 775, 778, 785).

Testamentum *publicum* est illud quod excipitur ab uno notario coram quatuor testibus, vel a duobus notariis coram duobus testibus. Testator declarare debet coram testibus suam ultimam voluntatem notario, qui eam scribat (potest etiam ad scribendum uti opera amanuensis). Dein notarius actum perlegere debet voce clara et intelligibili una simul testatori et testibus praesentibus; quae omnia notarius declarare debet in ipso testamento. Postremo actus subscribatur a testatore, a testibus et a notario. Si autem testator subscribere nesciat, vel nequeat, declarare debet causam impedimenti, et notarius tenetur adnotare et impotentiam et declarationem impotentiae ab ipso testatore factam. (C. I., a. 777).

Testamentum *secretum* est illud quod scribitur et in fine subscribitur ab ipso testatore; qui, si alterius opera usus sit ad scribendum, tenetur ad singulas paginas testamentum subscribere; dein tradit notario coram quatuor testibus declarans in eo contineri suam ultimam voluntatem[1].

Testamentum *holographum* est scriptura privata, in qua quis declarat contineri suam ultimam voluntatem. Ut autem testamentum holographum validum sit, tres requiruntur formalitates: 1° Ut testator illud propria manu *totum* seu *ex integro* scribat, unde non valet si alius manum ipsius scribentis duxerit, aut manu propria aliquod verbum inseruerit testatoris verbis. 2° Ut in fine vel initio indicet diem, mensem et annum quo illud confecit; quae indicatio fieri potest sive litteris sive numeris, licet consultius fiat litteris ad fraudes praecavendas. 3° Ut in fine testamenti illud subscribat apposito nomine et cognomine in forma chirographi, ut de personae iden-

[1] Si testamentum secretum, a notario vel ab alio officiali ad id deputato receptum, non est validum uti tale, validum erit uti testamentum holographum, si omnes conditiones requisitas habeat. C. I., a. 804.

titate constare possit. — Indicatio loci non est absolute necessaria; ipsa praescripta fuit pro notariis. Tempus indicari potest vel forma specifica, vel aequivalenti, v. g. *dies festi alicujus Sancti, annus electionis Sum. Pontificis N. N.*, dummodo omnem dubitationem excludat. Nec interest quo idiomate testamentum holographum confectum sit, aut qua charta, qua forma, quo atramento, nec utrum calamo an aematite [1]. Nec obest aliquis error orthographiae, vel omissio unius imo plurium literarum [2].

Testamentum holographum quocumque loco reponi potest; sed caveat testator ne post suam mortem illud destruatur, ideoque vel deponat apud notarium, vel ipsi haeredi tradat.

Mortuo testatore fit aperitio testamenti, nempe illud resignatur cui de jure ut aperiatur, legatur et publicetur quae sit voluntas testatoris. — Si testamentum est *publicum*, nulla solemnitas requiritur pro ejus aperitione, sed sufficit copia testamenti a notario danda. Si est *secretum*, a notario aperiri debet ad instantiam eorum quorum testamentum interest cum praescriptis solemnitatibus, et publicandum coram praetore et duobus saltem testibus, qui ad praesentationem (quoad fieri potest) interfuerint. Si *holographum*, ad instantiam cujusvis cui interesse potest, deponendum erit penes notarium loci quo aperta fuit successio coram praetore illius mandamenti et duobus testibus [3].

Post aperitionem testamenti fit aperitio successionis, seu incipit in haerede jus in rebus defuncti; haec autem successio haeredis aperitur in loco ultimi domicilii testatoris defuncti. (C. I., a. 923) [4].

902. — *Q.* Quaenam conditiones ad validum testamentum in genere?

R. Conditiones ad validum testamentum in genere sunt: 1° ut habeat conditiones ad contractus gratuitos requisitas, et in primis consensum liberum et spontaneum; 2° ut dispositio bonorum non laedat legitimam haeredibus necessariis a lege assignatam; 3° ut non fiat ab inhabili, nec in favorem inhabilis ad haereditatem accipiendam; 4° ut serventur forma-

[1] « Per la validità del testamento olografo basta che la disposizione sia datata e sottoscritta, e non fa difetto che la data sia apposta dopo la firma e distaccata da essa con un intervallo in bianco. Esso è valido anche se ha cancellature, postille od aggiunte, purchè di mano del testatore e fatte prima della firma. — *Codice Civ. Ital.* illustrato con le principali decisioni delle Corti del Regno per cura di T. Bruno: a. 774 ».

[2] En exemplum testamenti holographi; *Io sottoscritto chiamo erede di tutti i miei beni il mio fratello Carlo. Il primo gennaio mille ottocento novanta. Pietro Ripa del fu Giuseppe.*

[3] C. It., art. 912, 915.

[4] *Codicillus*, quasi *parvus codex*, est ultimae voluntatis declaratio minus solemnis quam testamentum absque haeredis institutione. Fieri potest sive cum testamento sive absque eo. Si adjiciatur testamento jam prius condito, spectat ad aliquid addendum, vel demendum, vel ad assignandum legatum aut fideicommissum. Si vero fiat absque testamento spectat ad designanda legata ab haerede solvenda. — Haec ex jure Romano, sed in novis Codicibus communiter habetur ut novum testamentum. Unde ex jure italico (art. 920) testamentum posterius, quod expresse non revocat testamenta praecedentia, delet in istis tantum dispositiones contrarias vel incompossibiles cum ultimo testamento. Hinc legatum v. g. relictum in testamento praecedenti perdurat, etsi in ultimo testamento nulla de eo mentio fiat, si testamentum posterius expresse non revocavit testamenta praecedentia.

litates essentiales a jure praescriptae.

903. — *Q.* Valet ne in foro conscientiae testamentum destitutum aliqua solemnitate a lege civili praescripta?

R. **1.** Si agatur de testamento *pro causa non pia*, vel *pro legato profano*, et sententia de ejus nullitate a judice data sit, tunc testamentum est nullum etiam in foro conscientiae. — Si autem sententia nullitatis nondum data sit, tunc utrum valeat in foro conscientiae tres adsunt sententiae. *Prima* sententia negat, quia lex solemnitates praescribens, cum lata sit ad bonum publicum et ad fraudes praecavendas, etiam in conscientia ligat. *Secunda* affirmat, quia facultas disponendi de rebus propriis est a jure naturae, et omnem legem civilem antecedit. Jus vero civile non dicit testamentum sine praescriptis solemnitatibus esse ipso jure nullum, sed tantum requirit illas solemnitates servandas esse *sub poena nullitatis*; ideoque, quousque non intercedit sententia judicis, testamentum in conscientia tenet[1]. *Tertia* vero docet favendum esse possessori donec adsit sententia judicis, quod *in praxi* tenendum est.

2. Si agatur de testamento *pro legato* vel *causa pia*, dummodo certo constet de voluntate testatoris vel per verba, vel per signa, vel per scripturam, in conscientia obligat, et haeres tenetur in conscientia cedere haereditatem loco pio et legata solvere. Hoc certum est pro Ditione Pontificia; utrum vero extra Ditionem pontificiam in conscientia obliget, sententia communissima affirmat, quia causae piae ad Ecclesiam pertinent, ejusque subjacent jurisdictioni[2]. Porro Ecclesia libera et immunis est a potestate civili in iis omnibus quae jurisdictioni suae directe subsunt. Et S. Poenitentiaria pluries interrogata, huic sententiae adhaerendum esse respondit[3].

[1] Hinc *pro praxi* notare juvabit: — 1° Is cui favet testamentum informe, sed jure naturae validum, assumere potest bona defuncti, dummodo de istius voluntate, quacumque ratione, scripto vel verbo tenus, *certo* constet, nec tenetur haeredem ab intestato de vitio testamenti admonere; nec tenetur ex justitia, donec non adsit sententia judicis de nullitate testamenti, haeredi etiam petenti, bona defuncti restituere. Potest tamen teneri ex caritate, si vitium testamenti est manifestum, et haeres frustra ad magnas expensas faciendas cogeretur. — 2° Is cui testamentum informe favet non potest fraudem adhibere qua impediat ne judex sententiam justam edat, v. g. supplere propria manu chirographum in testamento holographo; haeres enim jus strictum habet ne mediis injustis ab hac sententia obtinenda impediatur. — 3° Sententia a judice lata de testamenti nullitate omnino executioni mandanda est etiam in foro conscientiae. — 4° Haeres ab intestato potest aggredi coram tribunalibus testamentum informe. Excipe si ipse testatori adhuc viventi promisisset quaedam legata informia a se impletum iri, testator autem, propter hanc promissionem, ab iisdem legatis legitima forma conscribendis abstinuisset; nam in hoc casu haeres teneretur ad implendam conditionem sub qua testamentum accepisset; et a fortiori tenetur exequi legata pia, ad quae exequenda se promissione adstrinxisset.

[2] Non censemus, ait Cl. Gènicot, vol. I, n. 675, probabilem esse sententiam contrariam, Cl. *D'Annibale*, vol. II, 339 (30), quam fere solus inter modernos, post paucos veteres Canonistas, instaurare conatus est.

[3] Casus. — Petrus, recens defunctus, in testamento ad causas profanas, legatum reliquit mille florenorum in favorem causae piae. Testamentum illud, utpote destitutum solemnitate quadam extrinseca de jure civili requisita, prorsus nullum est. Rescisso testamento, Joannes, qui uti haeres ab intestato hae-

904.— *Q.* Testamentum conditionatum valet ne?

R. Si conditio est possibilis et licita, valet. Si vero est impossibilis, vel turpis, vel legi contraria, ipsa habetur pro non adjecta, sed testamentum tenet [1]. Idem valet si ad aliquam dispositionem *titulo universali* apponatur conditio *diei*, quo ipsa incipere aut cessare debeat (C. It., a. 849, 851).

905. — *Q.* Quinam testes idonei in testamento?

R. Jure naturae testes idonei sunt omnes qui capaces sunt ad fidem faciendam de actu exarando. Sed jure civili requiritur ut testes sint aetate majores, masculi, subditi, vel, si extranei, in regno quasi-domicilium seu residentiam habentes, fruentes juribus civilibus seu non interdicti. Non admittuntur vero amanuenses seu scribae, tyrones, et servi notarii qui testamentum recipit (C. I., a. 788).

—

reditatem adivit, legatum pium mille florenorum praestare omnino recusat, provocando ad sententiam E.mi D'Annibale «Quamdiu S. Sedes loquuta non fuerit, existimo non oportere inquietare eos qui, extra ditionem Pontificiam, non praestant relicta ad causas pias in testamento irrito ex jure civili». — *Q.* Utrum Joannem obligare possim et debeam sub denegatione absolutionis ad exolvendum hoc relictum pium? — *R.* Sacra Poenitentiaria, mature perpensis expositis, respondet: Praxim hujus S. Tribunalis in similibus casibus esse ut generatim legata pia habeantur ut valida et obligatoria in foro conscientiae: facile tamen admittuntur haeredes ad compositionem cum Ecclesia vel pia causa, cui legatum est. — Decr. die 10 Jan. 1901.

Cl. Gousset autem admonet quod si testamentum in foro civili est nullum, et haeres renuit talem obligationem adimplere, et est in bona fide, Confessarius caveat ne rigidam obligationem ei imponat, nec ei absolutionem deneget, sed curet ut saltem rem cum locis piis componat. At si quis aliquid brevi manu a testatore accepit ut in pias causas eroget, vel ut sibi retineat utpote pauper, tuta conscientia illud erogare vel retinere potest, et am inscio vel invito haerede.

[1] Legi civili contraria est conditio quae impedit nuptias, sive primas sive ulteriores, nisi agatur de aliqua pensione, de usu, vel usufructu praestandis durante caelibatu aut viduitate; aut nisi conditio servandae viduitatis ad haereditatem consequendam a conjuge sit posita coniugi superstiti. Art. 850. — Verum Jure canonico sustinenda videtur utraque conditio viduitatis et caelibatus, sive a conjuge sive ab alia persona imponatur, sive agatur de praestatione, sive de alia dispositione, propter status viduitatis honestatem, et majorem virginitatis perfectionem. *Bucceroni*, II, 1032.

§ 2°

De testatore et haerede.

906.— *Q.* Quinam testari possunt.

R. Jure *naturae* testari possunt quotquot sunt compotes rationis, et declarare possunt quid de rebus suis fieri velint post mortem.

Jure *civili* vero ob bonum publicum nonnulli declarantur incapaces ad testandum. Hujusmodi sunt: 1° Interdicti ob mentis infirmitatem; 2° qui, etsi non interdicti, tamen constat eos sanae mentis non fuisse tempore quo testamentum condiderunt; 3° penes nos (art. 763 C. Civ.) qui nondum compleverint annos 18.

Filius-familias de proprio peculio, et clericus de patrimonio ecclesiastico sibi a patre assignato testari possunt, vivente patre, si annum 18um compleverint.

907. — *Q.* Quid est haeredis institutio, et quotuplex haeres?

R. Institutio haeredis est *desi-*

gnatio personae quae succedat titulo universali in jus quod testator habebat tempore mortis [1].

Haeres alius est *necessarius*, alius *legitimus*, alius *voluntarius*. Primus est quem testator excludere non potest, et sunt ejus descendentes, et in eorum defectu ascendentes; secundus qui de jure seu vi legis succedit in bonis defuncti, quando hic decessit ab intestato; tertius, qui pro testatoris arbitrio institui potest.

908. — *Q.* Quinam incapaces ad haereditatem ex testamento?

R. Jure *naturali* omnes homines etiam amentes, surdi, muti, servi, imo et Communitas haeredes institui possunt.

Jure *positivo* penes nos (art. 724 et seqq).incapaces sunt: 1° qui tempore quo aperitur successio nondum sunt concepti; 2° qui nati sunt non vitales; possunt tamen ex testamento accipere filii immediati personae viventis cum moreretur testator, etiamsi hi nondum concepti fuerint; 3° damnati ad ergastolum; 4° ut *indigni* incapaces sunt qui voluntarie occidit aut occidere tentavit eum de cujus successione agitur; qui eidem inferat crimen, si illatum crimen declaratur in judicio calumniosum; qui eumdem coëgerit testamentum facere aut factum revocare, aut qui suppresserit, celaverit testamentum posterius, vel in eo mutationes aliquas induxerit [2].

909. — *Q.* Anima propria et Ecclesia possunt ne vocari et institui ad legatum vel haereditatem capiendam?

R. Quoad animam lex civilis sic habet: *Le disposizioni dell' anima o a favore dell' anima, espresse genericamente sono nulle* (C. I., a. 831). Sed jure naturae tenent.

Quoad Ecclesiam utique ipsa jure naturae in haeredem vocari potest; sed in foro civili approbatio gubernii requiritur (C. I., a. 932).

910. — *Q.* Haeres tenetur ne haereditatem accipere?

R. Haeres non tenetur haereditatem accipere, sed potest eam renuntiare vel acceptare cum beneficio inventarii. Quod si absolute accepit, tunc in foro externo tenetur omnia legata et debita certa et realia solvere, licet bona haereditatis excedant; an vero teneatur in conscientia, Th. probabi-

[1] Haeredis institutio fieri potest: 1° *sub causa*, quando exprimitur ratio quae ad disponendum movet; quae si falsa sit ac finalis, nulla est dispositio; 2° *sub demonstratione*, quando testator non nominat expresse personam quam constituit haeredem, vel rem de qua disponit, sed id circumlocutionibus satis demonstrat; 3° *sub modo*, quando haeredi injungitur aliquid faciendum vel omittendum; v. g., si testator vocet Titium in haeredem cum obligatione centum Missas celebrandi. Modus per se non suspendit institutionem, sed ligat conscientiam. *Scavini*, II, 335

[2] Casus.—1° Paulus aegrotans aperte declarat Petro famulo suo ut repositam pecuniam e scrinio sumat, quam ei donat independenter a salario. Petrus dum acceptat, sed antequam sumat herus moritur; at ipse statim donum sumit, inscio haerede.—2° Frequenter Joanni, alteri famulo suo, promittit aliquod legatum relinquere: interim moritur quin aliquid pro Joanne disponat.

Q. 1° *Potest ne Petrus in conscientia retinere quod sumpsit;* 2° *potest ne Joannes pecuniam sumere?*

R. 1° Petrus certe pecuniam sumptam retinere potest, quia revera ei donata fuit, et acceptata.

2° Ioannes vero non potest pecuniam sumere, quia aliud revera est pecuniam donare, aliud tantum consilium prodere, vel generalem donandi promissionem. Donatio libere facta et acceptata jus confert; non vero sola intentio vel promissio donandi. *Scavini*, II, 350.

lius et communius negant [1]. Attamen si tempore acceptationis ignorabat testatorem novum confecisse testamentum, etiam in foro externo non tenetur solvere legata ultra valorem haereditatis vel cum detrimento legitimae (C. I., a. 942).

§ 3°

De legitima, et de haeredibus necessariis.

911. — *Q.* Quid est legitima?

R. Legitima est *portio haereditatis defuncti pleno jure haeredibus necessariis ex legum praescripto debita in proprietatem absolutam et sine ullo onere.* — Legitima varia est pro diversis juribus [2].

912. — *Q.* Parentes quidnam tenentur filiis suis relinquere in haereditate?

R. — I. Conveniunt Th. quod parentes *jure naturae* certe tenentur filiis suis, etiam illegitimis (natura enim non distinguit inter legitimos et illegitimos), relinquere quantum ipsis necessarium est pro honesta sustentatione et educatione juxta propriam conditionem.

2. Parentes non tenentur in conscientia omnia sua bona propriis filiis relinquere, nam ipsi sunt veri domini, et non simplices usufructuarii bonorum suorum.

3 Utrum vero *jure naturae* parentes teneantur filios suos haeredes relinquere suorum bonorum si non in toto asse, saltem tamen magna ex parte, disput. Th. Nonnulli gravesque auctores negant, et filiis jus naturale ad haereditatem capiendam limitant ad necessaria pro honesta eorum sustentatione et educatione. At sententia communis affirmat, quia filius dicitur portio corporis patris, et cum patre est una eademque persona, imo una eademque caro reputatur.

4. Parentes *jure civili* tenentur filiis legitimis, vel legitimatis re-

[1] S. Alph., L. III, 941.

[2] Legitima *ex jure italico* art. 805 et seqq. est: 1° Quoad filios legitimos, quicumque sit eorum numerus, est *semis* seu dimidium totius haereditatis in partes aequales dividenda. — 2° Quoad ascendentes (deficientibus filiis et eorum descendentibus qui eos repraesentent), legitima ipsis tribuenda est *triens*, seu tertia pars totius haereditatis.—3° Quoad filios naturales legaliter recognitos, si non extant filii legitimi aut ascendentes defuncti, ipsis debentur duae tertiae partes illius quotae, quae eis obtigisset, si fuissent legitimi. Si vero extant filii legitimi vel ascendentes, ipsis debetur dimidium illius partis, quae ad ipsos spectaret, si legitimi essent. — Filii spurii alimenta tantum recipere possunt (art. 767, 180). — 4° Conjux superstes (dummodo non fuerit a conjuge defuncto legaliter separatus) jus habet modo ad usumfructum et modo ad proprietatem quorumdam bonorum conjugis defuncti, habita ratione ascendentium vel descendentium quos defunctus reliquit, videlicet: *a*) si conjux defunctus reliquerit filios legitimos, conjux superstes succedit cum iisdem in parte aequali, tamquam si esset eorum unus, sed tantum quoad usumfructum. Concurrentibus vero cum legitimis etiam filiis naturalibus recognitis, ususfructus conjugis aequalis esse debet quotae quae spectat ad filios legitimos, dummodo quartam partem totius haereditatis non superet; — *b*) si desint filii legitimi, sed extent ascendentes, aut filii naturales, aut fratres vel sorores, aut illorum descendentes, conjugi superstiti debetur tertia pars haereditatis in proprietatem. Verum si conjux una simul concurrat cum ascendentibus legitimis et filiis naturalibus, quarta tantum pars ei debetur; — *c*) si defuncto alii cognati successibiles supersint, conjugi superstiti debentur duae tertiae partes haereditatis in proprietatem. Si vero conjux non relinquat cognatos intra sextum gradum successibiles, conjugi superstiti tota haereditas devolvitur quoties defunctus vel nullum vel irritum testamentum condidit.

linquere partem legitimam a jure praescriptam, et de parte libera pro libito disponere possunt. Peccarent tamen si solam legitimam filiis relinquerent ex odio, vel sine justa causa, quia contrarium esset ordini caritatis [1].—Legitima salva semper esse debet, nec in foro conscientiae juxta communem sententiam laedi potest, quia dispositiones civiles quando justae sint et ad bonum commune utiles, et dispositiones contrarias ipso facto irritant, obligant in conscientia. Quare parentes, juxta communem sententiam, peccant contra justitiam si laedant legitimam filiorum per donationes inter vivos aut per contractus simulatos, nam lex civilis quae id vetat justa est et favet bono publico. Excipe si partialiter tantum legitimam minuant in casu particulari et ex justa causa; tunc enim cessat omnino finis legis, quae non censetur attingere illos casus particulares qui familiae prosunt, neque bono communi obsunt; uti v. g. si pater plus filio probo tribuat remunerationis gratia, et minus filio pravo et dyscolo. Hinc, ante sententiam judicis, non sunt facile inquietandi filii qui majorem paternae haereditatis partem non sine alterius haeredis detrimento acceperunt, quando ex rerum adjunctis conjici potest parentes ex aliqua justa causa ipsis favisse, praesertim si in bona fide sunt, et merito timeri potest quod moniti restituere renuant [2].

5. Parentes non tenentur in conscientia filios instituere haeredes in parte aequali, sed possunt (salva semper legitima) aliquem praeferre ex justa causa, v. g. ex speciali filii merito, vel speciali ejus indigentia, etc. Peccarent vero si aliquem praeferrent absque justa causa, puta ex sola praedilectione; et *in praxi* caute procedere debent ne post mortem inter filios odia et discordias relinquant.

913. — *Q.* Maritus ad quid tenetur jure naturae erga propriam uxorem?

R. Maritus jure naturae erga propriam uxorem tenetur: 1° Ipsi relinquere suam dotem vel in re,

[1] An parentes possint insumere sua bona in opera pia, etiam in praejudicium legitimae filiorum, modo illi non pr ventur alimentis jure naturae debitis, disput. Th. Utraque sententia videtur probabilis. — S. Alph., L. III, 740.

[2] *Gury*, I, 827; *Del Vecchio*, II, 57.

Casus.—Georgius prae aliis filiis Paulum primogenitum diligit, ipsique relinquere optat de bonis haereditariis plusquam lex consentiat. Quod ut praestet, quotannis ei brevi manu donat notabilem summam ex reditibus comparatam, quae in fundos converti poterat; aliquando illi inscribit sortem collocandam; postremo in testamento ipsi relinquit totam partem disponibilem.

Q. Quid de Georgio et Paulo?

R. 1° Georgius in largitionibus quas brevi manu Paulo fecit non peccavit contra justitiam erga alios filios, quia non alienavit sortem, sed tantum reditus. Manifestum autem est parentes ordinarie posse de reditibus disponere, quin teneantur ad sortem augendam.

2° Quoad inscriptionem alicujus sortis collocandae in favorem Pauli factam, videndum: Si ista sors ex reditibus tantum conficitur, Georgius non peccat; peccat vero si est pars patrimonii, quia tunc legitimam aliorum filiorum sine justa causa laedit. — Ceterum in utroque casu, nempe in largitionibus brevi manu factis, et in inscriptione alicujus sortis collocandae in favorem Pauli facta, et quidem ex solis reditibus, Georgius, si non peccat contra justitiam, peccat contra caritatem, nisi justas causas habeat.

3° Paulus autem quamvis contra caritatem fortasse peccaverit si patrem ad illas donationes induxit ex justitia tamen nihil debet aliis fratribus ante sententiam judicis, quia non desunt Theologi qui dubitant utrum pater teneatur ex jure naturae, an jure civili tantum legitimam filiis suis relinquere.

si adest, vel in aequivalenti, quia omnis res clamat ad dominum ; 2° eam indemnem servare de damnis quae forte passa sit ; 3° ipsi relinquere usumfructum rei necessariae ad congruam sustentationem.

An vero jure naturae teneatur ipsi relinquere legitimam a lege civili praescriptam, disput. Th. Sententia communis affirmat, eo innixa quod lex civilis fundatur in jure naturali. At sententia sat probabilis negat, asserens legem civilem fundari tantum in quadam aequitate et convenientia [1].

914. — *Q.* Testator tenetur ne jure naturali sub gravi relinquere bona fratribus, vel aliis consanguineis, deficiente haerede necessario ?

[1] Casus. — Albertus matrimonio ecclesiastico junctus cum Clotilde, ex ea duos filios habuit. Postea Clotildem fastidiens, ad Claram convertitur, quam matrimonio civili dicto uxorem ducit, eamque haeredem instituit suorum bonorum. Improvisa morte defuncto Alberto, Clara omnibus ejus bonis potitur; sed divina gratia mota confessarium adit ut suae conscientiae provideat.

Q. 1° Pars legitima, quam lex civilis concedit, potest ne tuta conscientia denegari filiis ex matrimonio ecclesiastico tantum natis, et uxori tali tantum matrimonio junctae? — 2° Quid Clarae confessarius imponere debet? — 3° Quid ei imponere deberet si Albertus defunctus esset ab intestato ?

R. Ad 1um : — Quamvis filius matrimonio ecclesiastico natus non agnoscatur ut talis a lege civili, est tamen coram Deo et Ecclesia verus et legitimus filius ; proindeque ante tribunal conscientiae omnia naturae jura illi competunt. Sed inter naturalia jura, quae, juxta communem sententiam, filius habet in parentes, est etiam jus haereditandi saltem magna ex parte eorum bona. Itaque si filius ex natura jus habet ad patris haereditatem, supradicta haereditas ei debetur ex justitia. Et quia lex civilis quoad partem legitimam filio debitam probabilius justitia et aequitate naturali innititur, haec pars legitima nequit in conscientia denegari filio nato ex matrimonio ecclesiastico, etsi formalitatibus civilibus careat. Idem dicendum de uxore tantum matrimonio ecclesiastico juncta. Insuper animadvertere oportet quod lex civilis obligat, et quidem in conscientia, semper ac finibus justitiae non discedat. Qua parte igitur lex civilis justa est, obligat in conscientia ; qua parte vero non agnoscit matrimonium ecclesiasticum, est injusta, neque observari debet (*D'Annibale*, I, 188).

Ad 2um : — Confessarius Clarae imponere debet ut ipsa provideat filiis et uxori Alberti quae illis jure naturae certe debentur, nempe filiis congrua sustentatio et educatio, et uxori dotem restituat, indemnem reddat de damnis quae forte passa sit, et congruam sustentationem praebeat. — An vero teneatur ex justitia partem legitimam ipsis remittere, sententia communis affirmat, sed quoniam nonnulli gravesque auctores negant, Clara enixe exoranda est, sed non cogenda.

Ad 3um : — Si Albertus defunctus esset ab intestato, alia esset quaestio : hoc enim in casu Clara nullomodo succedit in bona defuncti ; nec potest appellare ad legis civilis praescriptionem, quae conjugem superstitem respicit, cum ipsa non sit vera conjux. Unde potest solum petere ut reparentur damna sibi ab Alberto illata ob turpe commercium, sive gravia sint sive levia, pro circumstantiis. Haereditas vero in manus eorum devenire debet qui naturali jure defuncto succedunt, nempe veri filii et conjux vera.

Casus — Agnes matrimonio ecclesiastico conjuncta est cum Augustino, qui matrimonium civile dictum contrahere nequit aut non vult. Quare Agnes clam surripit ex bonis Augustini quantum respondet parti legitimae quae ex lege civili conjugi superstiti spectat. Moritur interim Augustinus.

Q. Agnes potest ne in conscientia retinere partem clam surreptam ?

R. 1° Si Augustinus Agneti promisit se matrimonium civile dictum contracturum esse, et postea, fide data neglecta, contrahere recusat, Agnes certe habet jus ad partem legitimam, fraus enim nemini patrocinari debet. — 2° Si autem Augustinus formalitates civiles vere adimplere non potuit, tunc an conjux habeat strictum jus ad legitimam, disput. Th. : in dubio igitur melior est conditio possidentis.

R. Quoad *fratres* affirmo si sunt in gravi necessitate, saltem quantum sufficiat ad sublevandam ipsorum indigentiam, secus nullum erit peccatum si ex rationabili causa ipsos omittat.

Quoad alios vero *consanguineos* remotiores, juxta communiorem sententiam non tenetur sub gravi eos ceteris praeferre, etiamsi pauperes sint; est tamen veniale si omnino sine rationabili causa praetermittantur [1].

§ 4°

De haeredis substitutione, et de executore testamentario.

915. — *Q.* Quid est haeredis substitutio?

R. Substituto est *designatio alterius personae in locum haeredis vel legatarii.* Alia est directa, alia indirecta. — Substitutio *directa* est illa qua quis directe et proprio nomine loco alterius ad haereditatem vocatur, ut si quis dicat: *Titium voco in meum haeredem, et si Titius haereditatem acceptare nolit, voco Cajum;* et haec substitutio directa in foro sive interno sive externo ut legitima habetur, et substitutos ad onera imposita obligat, nisi constet testatorem solum primitus vocatos voluisse obligare (C. It., a. 897). — Substitutio *indirecta* ea est qua quis vocatur uti haeres vel legatarius, sed sub onere haereditatem vel legatum conservandi, et suo tempore tertiae personae tradendi. Si onus in ipso testamento exprimatur, dicitur *fideicommissum* seu *substitutio fideicommissaria.* Si vero tale onus in testamento non exprimatur, sed tantum clam data sit fides de tali onere alteri haereditatem tradendi, dicitur *substitutio fiduciaria.* Substitutio indirecta in foro externo ut nulla habetur; in foro vero interno haeres fiduciarius tenetur fidem clam datam exequi, si legitima sit; quod si exequi nequit, tenetur renuntiare haereditatem, ut ad haeredes ab intestato transeat [2].

916. — *Q.* Quisnam executor testamentarius?

R. Executor testamentarius est *ille qui ad exequendam defuncti voluntatem vocatur.* — Ut quis sit executor testamenti oportet ut capacitatem habeat se se obligandi. Hinc executores nequeunt esse interdicti, minores etiam consentiente tutore, uxores sine mariti consensu. Possunt vero esse Religiosi ex licentia sui Praelati, nisi regula Ordinis obstet. — Executores testamenti plures institui possunt, et uno absente, alter ad testamenti executionem procedere potest.

Quilibet executor testamentarius debet: 1° Invigilare ut apponantur sigilla si inter haeredes adsint minores, interdicti, absen-

[1] S. Alph., L. III, 946.

[2] Casus S. Poenitentiariae propositus: — Eudoxius haeredibus necessariis destitutus statuit partem bonorum in pia opera erogare; ad hunc finem Bonifacium legatarium universalem instituit per testamentum debitis vestitum formis. Scriptum autem privatum Bonifacio tradit, in quo piam manifestat voluntatem, postulatque ab ipso ut eamdem fideliter exequatur. Bonifacius vero, mortuo Eudoxio, integram haereditatem servat, eo quod testamento valido eam teneat. Postulatur, utrum in conscientia tutus esse possit?

S. Poenitentiaria, 23 Jun. 1844, respondit: *Bonifacium teneri in conscientia ad implendam voluntatem Eudoxii certo cognitam.*

tes, aut corpus morale ; 2° totius haereditatis inventarium conficere coram haerede praesumpto, vel saltem eo citato ; 3° assumptam testamenti executionem implere, legata maxime pia solvere, ad quorum solutionem, deficiente pecunia, poterit mobilium venditionem petere ; et omnia administrare ut bonus paterfamilias ; 4° elapso anno a testatoris morte, administrationis suae rationem reddere (C. I., a. 908).—Executor expensas quas facit pro adimpletione muneris sui, ex rebus haereditariis solvere potest.

Art. IV.

De legatis.

917. — *Q.* Quid est legatum ?

R. Legatum est *dispositio testamentaria qua testator alicui relinquit aliquod particulare donum ipsi ab haerede praestandum.* — Legatum aliud est *absolutum*, aliud *conditionatum ;* aliud *universale*, titulo universali, v. g. : lego omnia mobilia ; aliud *particulare,* v. g. : lego talem summam ; demum aliud *pium,* aliud *profanum.* Legatum pium est quod instituitur intuitu religionis, et censetur factum pietatis impulsu, uti legatum relictum Ecclesiae, locis piis, pauperibus, pro alimentis ecclesiasticorum, pro puellis nupturis, vel religionem ingressuris, pro missis, missionibus, etc. — Profanum est quod relinquitur, v. g., ad scholas, asyla infantium instituenda, ad pueros instruendos, etc.

918. — *Q.* Quandonam legatum in dominium legatarii transit ?

R. Legatum transit in dominium legatarii quando intervenit legatarii acceptatio humano modo facta, nempe quando ipse sciens et volens legatum acceptat ; est enim in ejus potestate illud acceptare vel respuere, unde quousque non intervenit hujusmodi acceptatio, legatarius jus non acquirit.

Quando legatum est *purum,* seu absque conditione factum, dat legatario jus in rem legatam a die qua testator obiit. Attamen rei possessionem inire, vel fructus percipere nequit, nisi a die qua rem petierit vel obtinuerit ab haeredibus (C. I., a. 862).

Quum autem lex civilis (art. 863) statuat legatario *petenti* rem legatam esse tradendam, consequitur quod haeres, si agatur de legato profano, non peccat contra justitiam commutativam si legatarium non monet (saltem quando haec donatio notario innotuit, ut fere semper contingit) vel non sponte ei legatum defert ; unde semper, salva justitia, petitionem rei legatae expectare potest.

919. — *Q.* Quotnam actiones legatarii ?

R. Legatarius tres habet actiones : 1° *Personalem* in omnes qui onerati sunt praestatione legati ; 2° *realem* in quoscumque possessores rei legatae ; 3° *hypothecariam* in quoscumque possessores bonorum defuncti, non vero rei legatae. Si legato adnexum est onus, vel census fundiarius, aut canon emphyteuticus, haec pertinent ad legatarium. Si vero pro legato solvendo aliqua expensa necessaria sit, haec ad haeredem pertinet in parte disponibili ; taxa autem successionis a legatario debet haeredi refundi, nisi testator aliter disposuerit.

920. — *Q.* Quid si res legata pereat ?

R. Si res legata pereat et erat legata *in genere,* haeredi perit. Si vero *in specie,* tunc si perit ex culpa haeredis, hic ad ejus aestimationem erga legatarium tenetur; secus, non. Quod si ignoretur ubi res sit, haeres tenetur cum debita diligentia eam quaerere.

921. — *Q.* Quinam possunt legata commutare ?

R. Quoad legatum *profanum,* Princeps potest illud commutare in aliud profanum, et etiam in pium, quia commutaret in melius.

Quoad legatum *pium,* Pontifex potest in aliud pium convertere. Sed tam Pontifex quam Princeps commutare non possunt nisi ex causa justa et necessaria, quia ipsi sunt solum tutores voluntatis testatoris; unde commutatio sine justa causa in sententia communi invalida est. — An vero Episcopus possit cum causa pias dispositiones commutare saltem in melius, disput. Th. [1].

922. — *Q.* Quomodo infirmatur legatum ?

R. Legatum infirmari potest auctoritate legum, voluntate testatoris vel legatarii, et etiam fortuito, puta si desit condi io sub qua relictum est, vel si, pendente conditione, legatarius moriatur, vel si res in specie pereat sine culpa.

923. — *Q.* Quid observandum in legatorum interpretatione ?

R. Quoad interpretationem legatorum haec a S. Alph. [2] adnotantur :

1. Legatum relictum puellis ut nubant potest dari eis etiamsi fiant religiosae, si legatum relictum sit personae *determinatae,* nisi aliter constet de mente testatoris; si vero relictum sit puellis indeterminatis, an illis dari possit quae religiosae fiunt, disput. Th.

2. Legatum relictum civibus loci non potest dari extraneis, nisi isti animum habeant ibi perpetuo manendi. Item relictum pauperibus generatim, regulariter pauperibus ejus loci relictum intelligitur ubi testator domicilium fovit.

3. Legatum relictum orphanis non potest dari pauperibus habentibus parentes inutiles, si concurrant orphani; quia expressa voluntas testatoris in propria forma adimplenda est semper ac impleri potest. Orphanis vero non concurrentibus, illis dari potest.

4. Legatum relictum foeminis in matrimonio collocandis tradi potest viduis iterum nupturis, si non adsint aliae foeminae aetate nubiles; secus, si adsint. Quod si legatum relictum sit pro nubendis foeminis pauperibus, tam virginibus quam viduis indistincte convenit. Legatum relictum virginibus nubendis dari potest etiam corruptis, modo publice honestae habeantur, quae propterea legatum petere possunt si desint aliae vere virgines; secus disput. Th.

5. Legatum relictum puellae sub conditione nubendi cum viro determinato, si ipsa nubat cum alio viro, ei non debetur; quia illa conditio non laedit libertatem ad matrimonium requisitam, cum libere possit puella tales nuptias

[1] Si haeres ad saecularem potestatem recurrat pro reductione alicujus pii legati, nec falso suas exaggeret necessitates, et reductionem obtineat, docet Gousset, inquietandum non esse, modo sit in bona fide, nempe putet id sibi licere.

[2] S. Alph., L. III, 930.

acceptare vel respuere, adeoque illa conditio haberi non potest uti turpis et quasi non adjecta. E contra si ipsa inducatur ad nubendum cum indigno, tunc illa conditio rejicitur tamquam turpis, et legatum ei debetur, etiam si ipsa nubat cum alio [1].

6. Legatum relictum pro fabrica Ecclesiae probabiliter expendi potest in ornamentis et aliis divino cultui necessariis, nisi aliter constet de mente testatoris [2].

Art. V.

De mandato.

924. — *Q.* Quid est mandatum?

R. Mandatum, prout hic accipitur, est *contractus quo quis alteri committit gestionem alicujus negotii suo nomine peragendi.* Mandatum contractus gratuitus est, nisi aliter conventum fuerit [3].

Mandatum potest esse speciale et generale, prout determinata quaedam vel omnia mandantis negotia complectitur [4]; expressum et tacitum: item ejus acceptatio. Sic tacitum est mandatum cum quis aliquo actu vel etiam silentio videtur mandatum dare: puta si negotia tua geram, te sciente et tacente. Sic tacita est acceptatio si quis ab altero per epistolam rogatus ut negotium suum gerat, ipse cum possit non rescribat.

925.—*Q.* Quid requiritur ut hic contractus fieri possit?

R. Requiritur ut mandans sit capax faciendi per se ea quae mandat alteri facere; itemque mandatarius contrahendae obligationis capax sit jure naturali, licet incapax jure positivo, quia non suo, sed mandantis nomine agit. Sic minor emancipatus mandatarii munus suscipere potest, sed mandans contra eum actionem non habet, nisi secundum generalia praescripta obligationum et contractuum *minorum.* Uxor vero, mandatum suscipere nequit sine viri auctorizatione (C. It., a. 1743).

926.—*Q.* Quaenam mandantis et mandatarii obligationes?

R. Mandans tenetur: 1° Ratum habere id quod suo nomine, intra mandati limites, peractum est, et obligationes suscipere a mandatario contractas eisque satisfacere. 2° Impensas a mandatario factas compensare, licet res male successerit vel ipse minus impensurus fuisset, nec non fenus (*interesse*) solvere pecuniae, quam mandatarius impendit, a die quo impendit. 3° Mandatarium indemnem servare, et damna compensare quae illi obvenerint causa vel occasione mandati, quaeque alias pas-

[1] S. Alph., L. VI, 853, q. 4.

[2] S. Alph., L. III, 930.—In dioecesi Taurinensi est culpa reservata 1ae Classis: — *Bonorum ad loca pia spectantium conversio in propios usus ab administratoribus facta si anno expleto integre non satisfecerint, vel si requisiti administrationis suae rationem non reddiderint.— Piorum legatorum solutio diutius anno absque justa causa protracta, et culpa notariorum qui hujusmodi legata post tres menses a notitia obitus legantis non manifestant. Solutis autem, vel manifestatis legatis, reservatio cessat.*

[3] Species mandatariorum sunt *institores*, quos nempe quis (*exercitor*) suis negotiis gerendis sibi substituit quibuscum contrahatur; et *proxenetae.* Qui autem ad lites mandatum habent, *Procuratores*, proprio nomine, dici solent. — *D'Annibale*, II, 432 (7).

[4] C. I., a 1737 et seqq. Mandatum generale ad actus purae administrationis tantum extenditur: ad actus vero illam excedentes mandatum expressum requiritur, a. 1741.

sus non fuisset. — An vero teneatur de damnis mandatario fortuito obventis, Th. negant si mandatum fuit onerosum, disputant vero si gratuitum.

Mandatarius autem tenetur: 1° Mandatum fideliter exequi, nec fines mandati excedere, secus non mandantis, sed suo nomine ageret. 2° Debitam diligentiam in re gerenda adhibere, rationem reddere suae executionis, nec non mandanti tradere totum quod vi mandati recepit, etsi non fuerit mandanti debitum. 3° Fenus reddere pecuniae quam in proprium usum adhibuit, ex die hujusmodi usus, vel ex die qua in mora culpabili est. 4° Mandantem indemnem servare, seu damna ipsi illata reparare si mandatum culpabiliter non impleverit; culpa autem debet esse lata si mandatum gratuitum fuit, sufficit etiam levis si onerosum.

927. — *Q.* Quandonam mandatum cessat?

R.— I. Si res adhuc integra sit, mandatum cessat mandantis revocatione, mandatarii renuntiatione, alterutrius morte, interdictione, bonorum cessione, et (Cod. It., a. 1757) ex inhabilitate renunciata, sive mandantis sive mandatarii, quoad ea tantum quae ipsi suo nomine sine curatore demandare vel obire nequeunt. Excipe si mandatum sit de negotio post mortem mandantis obeundo, vel pertineat ad causas pias quae a civili potestate non pendent, vel sit de dote puellae tradenda et mandans moriatur, quo in casu etiam post ejus mortem tradenda est, idque in gratiam dotis.

2. Si res non sit amplius integra, et mandantis vel mandatarii intersit ut perficiatur, mandans non potest mandatum revocare, nec mandatarius mandato renuntiare, nisi facta compensatione ejus quod mandantis vel mandatarii intersit. Hinc jus et obligatio alterutrius ad haeredes transit.

3. Si mandatarius, ignorata morte mandantis, vel alia causa ex qua cessat mandatum, bona fide illud executus est, factum probatur, ipsique datur actio contra mandantis haeredes. Si vero mandatarius moriatur, ejus haeredes mandantem monere debent, et interim, prout circumstantiae exigunt, providere debent mandantis utilitati (C. I., a. 1762-63; C. G.; a. 1008-10).

Art. VI.

De deposito, commodato et precario.

928.—*Q.* Quid est depositum et quaenam obligationes deponentis et depositarii?

R. Depositum definitur: *Contractus bonae fidei quo res alteri gratis custodienda traditur, ut eadem in specie ad deponentis placitum restituatur.* Qui rem deponit custodiendam dicitur *deponens*, qui custodiendam recipit *depositarius*[1].

Deponens tenetur: 1° Rem suam ad nutum depositarii recipere; 2° depositarium servare indemnem de expensis et damnis secutis.

Depositarius e contra tenetur: 1° Rem custodire uti suam, si adfuit pactum aut saltem promissio

[1] Depositi species est *sequestrum*, quo res controversa alteri tertio custodienda traditur, ut postea reddatur ei cui adjudicata fuerit a judice vel ab arbitro. —Aliud est *conventionale*, aliud *judiciarium*. Iisdem principiis regitur ac depositum.

Vid. C. It., a. 1869 e seqq.

eam custodiendi; 2° deponentem servare indemnem, si propria culpa res deposita pereat; 3° rem depositam cum fructibus restituere (nisi sint fructus propriae industriae), statim ac petitur a deponente; sed non tenetur restituere depositum cum certe scit rem esse furtivam, vel habeat certam sibi compensandi causam, aut prudenter timeat ne dominus ea abusurus sit contra justitiam vel etiam contra caritatem [1].

Notandum vero: 1° Quod depositarius uti non potest re deposita sine domini consensu saltem praesumpto, secus tenetur restituere usus valorem, si res non sit usu consumptibilis; 2° in casu incendii, naufragii, etc., depositarius non tenetur rem depositam suis bonis praeferre, nisi res deposita esset multo praestantior, quia tunc debet ipsam praeferre; sed in hoc casu habet jus sibi compensandi juxta rei suae valorem. — An autem teneatur ad restitutionem si res pereat culpa sua non theologica sed tantum juridica, probabile est non teneri.

929. — *Q.* Quid est commodatum; quid precarium?

R. Commodatum est *contractus quo res non fungibilis ad usum determinatum alicui gratis conceditur, ea lege ut post certum tempus in individuo restituatur.*

Precarium est *concessio gratuita usus rei, ad concedentis nutum restituendae.* Unde haec adest differentia inter commodatum et precarium, quod in commodato defi-

[1] Casus.—Carolus multo ab hinc tempore tradidit sub secreto Petro aliquas aerarii publici cartellas. Debitis interea oneratus fallimentum declarat. Pace vero cum creditoribus non sine magno eorum detrimento composita, repetit a Petro depositum, qui Carolo reddit sine ulla creditoribus manifestatione.

Q. 1° Tenet ne secretum istud non revelandi depositum? — 2° Potest ne Petrus depositum Carolo restituere? — 3° Denique Petrus tenetur ne erga creditores Caroli?

R. Ad 1um: — Promissio secreti servandi, idest secretum promissum, non obligat cum vertit in grave damnum innocentis, nec tenet quando respondendum est superiori legitime interroganti, quia in hisce casibus promissio esset de re illicita, ideoque invalida.

Ad 2um: — Ex quo quis fallimentum declarat, jus amittit ad bona sua (excipe tantum victum) et ad omnia credita (scilicet ad omnia quae ei debentur), ideoque debitores ejus non debent illi solvere sed ejus creditoribus. « Debitor bona cedentis, cessione facta, fit debitor ipsorum creditorum illius cedentis bona » (*Gury*, Cas. I, 72). Sed quod de debitore etiam dicendum est de depositario, qui onus habet rem depositatam restituendi. Proinde peccat contra justitiam si rem restituit non creditoribus sed depositanti qui bona cessit.

Nec valet hic opinio probabilis quae dicit rem latroni surreptam posse justa de causa reponi apud ipsum latronem sine onere eam domino tradendi; nam non adest hic paritas. Etenim in primo casu non gravatur conditio veri domini, sed tantum reponitur res in statu primitivo nempe apud latronem; dum in secundo casu si depositarius depositum non accepisset, creditores magis haberent, unde quidquid absconditur, in damnum creditorum cedit, sicque gravatur eorum conditio, quod injustitiam redolet.

Ad 3um: — Petrus vero tenetur restituere creditoribus Caroli, non ex re accepta cum nihil possideat, nec ex injusta acceptione, quia nihil furatus est, sed injusta damnificatione, vel potius ex injusta cooperatione. Attamen ut reapse teneatur ad restitutionem culpa gravis et quidem theologica requiritur: proinde si Petrus bona fide depositum restituit putans cartellas publici aerarii depositatas necessarias fuisse ad Caroli sustentationem, ad nihil tenetur, quia immunis a culpa. Secus vero tenetur reparare damna creditoribus Caroli, quia injustus cooperator; sed tenetur solum in defectu Caroli (Cf. *Monitore Eccl.*, vol. V, pag. 135).

nitur tempus et usus, non vero in precario.

930. — *Q.* Quaenam obligationes dantis et accipientis commodatum vel precarium?

R. Commodans, idest qui commodatum dat, tenetur: 1° Non petere rem ante tempus, nisi ei damnum patiendum esset; 2° facere omnes expensas extraordinarias; 3° vitia nociva rei aperire; 4° rei pericula, et detrimenta ex casu fortuito subire.

Commodatarius vero, idest qui commodatum accipit, tenetur: 1° Facere expensas ordinarias; 2° uti re commodata ut bonus paterfamilias; 3° rem tempore statuto reddere; 4° compensare damna ex ejus culpa secuta.

Quae de commodato, eadem de precario dicenda sunt, nisi quod precarium revocari potest quandocumque concedenti libuerit, non tamen protinus.

Art. VII.

De mutuo et usura.

931. — *Q.* Quid est mutuum?

R. Mutuum est *contractus quo res primo usu consumptibilis alteri traditur, cum obligatione rem similem reddendi statuto tempore et in eadem quantitate et qualitate.* — Res autem primo usu consumptibiles censentur ea omnia quae natura sua consumuntur ad humanis necessitatibus subveniendum, uti panis, vinum, oleum, etc. Ergo res quae in mutuo datur debet esse ex se infructuosa, ideoque nihil ex ejus usu percipi potest, nisi adsint aliunde tituli qui aliquam exactionem, ultra sortem, licitam reddant.

Mutuum distinguitur a *permutatione*, quia in ista redditur res alterius speciei. Item distinguitur a *pignore, deposito, commodato*, quia in his conceditur tantum usus, sed non transfertur dominium, sicut in mutuo; unde in mutuo res perit accipienti, in aliis tradenti.

Qui mutuum dat dicitur *mutuans*. qui accipit *mutuatarius*

932. — *Q.* Datur ne mutui praeceptum?

R. — I. Datur praeceptum concedendi mutuum pauperi in necessitate, si habiturus est unde restituat; — ratio *praecepti* est, quia caritas obligat ad subveniendum proximo in necessitate posito; - ratio *conditionis* est, quia caritas non obligat cum gravi incommodo.

II. Datur praeceptum concedendi mutuum etiam diviti, si ob aliquam peculiarem circumstantiam mutuo indiget; - ratio, quia praeceptum caritatis obligat erga omnes: modo tamen dives mutuum non postulet ad opes augendas, quia tunc non esset in necessitate.

933. — *Q.* Quaenam obligationes mutuantis et mutuatarii?

R. Mutuans tenetur: 1° Monere mutuatarium de vitio rei, secus tenetur de damnis; 2° rem non repetere ante tempus praefixum, nisi sit in pari necessitate: quod si tempus non fuit praefixum, judicio prudentium definiendum est; 3° rem recipere si antea afferatur, et tempus in favorem mutuatarii praefixum fuerat; 4° non plus recipere, *vi mutui*, quam valet res mutuata, quum agatur de contractu gratuito.

Mutuatarius vero tenetur rem restituere in eadem specie, bonitate, ac quantitate, et tempore statuto; et in rei defectu debet ejus valorem solvere secundum tempus et locum constitutum. Si nullum tempus, nullus locus fuerit constitutus, restitutio facienda est secun-

dum valorem respondentem tempori quo in mora constituitur, ex C. It. (a. 1828), vel quo mutuum factum est, ex C. G. (a. 1903), et secundum locum quo mutuum fuerit factum. Si mutuatarius rem non restituit vel ejus valorem juxta conventionem, tenetur ad id quod interest (*interesse*) a die judicialis petitionis. Imo si sit in mora culpabili tenetur de damnis secutis. Nec liberatur mutuatarius a restitutione quamvis res pereat, quia ob translatum dominium res ipsi perit[1].

934. — *Q.* Minor tenetur ne pecuniam mutuo acceptam restituere?

R. Minor pecuniam mutuo acceptam restituere tenetur in sequentibus casibus: si pecuniam in mutuo acceptam adhuc servat; si mutuum fraude extorsit; si sui juris erat quando mutuavit, et de suis bonis castrensibus liberam administrationem habebat; si mutuum accepit sciente et non contradicente patre; si pecuniam consumpsit in res utiles, vel etiam ad eas recreationes ad quas pater adolescenti pecuniam daturus esset.

Seclusis his casibus, si adsit lex positiva quae mutuanti jus neget haec debita in foro externo exigendi, multi dicunt quod minor, etsi major evaserit, etiam in foro conscientiae restituere non tenetur, quia talis lex jus mutuantis prorsus extinguit in poenam illicitae cooperationis [2].

935. — *Q.* Quid est usura, et quomodo dividitur?

R. Usura, lato sensu sumpta, est *omne lucrum perceptum ex mutuo, vel illius occasione, sive cum titulo sive absque titulo legitimo.* Et hoc sensu melius dicitur *fenus*, seu *auctarium* (vulgo *interesse*). Strictiori autem sensu, est *lucrum immediate proveniens ex mutuo, id est praecipue vi mutui et absque justo alio titulo.* Hoc autem sensu usura est proprie species peccati contra justitiam.

Usura alia est *mentalis*, quando nullo praevio pacto aliquid accipitur mente usuraria; alia *realis*, quando aliquid accipitur praevio pacto expresso vel tacito; alia *palliata*, quando aliquid accipitur ex mutuo, sed sub specie alterius contractus.

936. — *Q.* In quonam consistit malitia usurae?

R. Malitia usurae in hoc consistit quod mutuans imponit mutuatario onus quod non est a natura mutui; aliis verbis, mutuans vendit mutuatario quod suum non est, quia, facto mutuo, dominium rei transfertur in mutuatarium; unde mutuans sola ratione mutui aliquid exigens pro re mutuata, aliquid requirit pro re quae sua non est.

937. — *Q.* Usura est ne semper prohibita?

R. — 1. Certum est usuram lato sensu acceptam licitam esse, si adsint tituli extrinseci, dummodo

[1] Pecunia mutuo data semper restituenda erit eadem numerica summa in contractu expressa; et sive augeatur, sive minuatur nummorum valor, restituenda est eadem numerica mensura in specie currenti tempore solutionis (C. I. 1821; C. G. 1895). Quando vero in mutuo data sit pecunia aurea vel argentea cum pacto restitutionis in eadem specie et quantitate, et ejus valor modificatur, aequivalens reddi debet valori temporis mutui dati (C. I. 1822). Si in mutuo data sit pecunia aurea vel argentea licet restituere per singraphas mensarias, quavis lege vel pacto in contrarium sublato. S. Poenit. 21 Jan. 1873.

[2] *Lehmkuhl*, I, 1055.

sit moderata, nec aliunde repugnet caritati proximo debitae ; ratio, quia tunc auctarium non exigitur vi mutui, sed vi legitimi tituli, et quasi causa compensationis.

2. Quoad usuram vero proprie dictam, certe ipsa prohibetur *jure canonico;* haec enim perpetua fuit et est Catholicae Ecclesiae doctrina, omnium Conciliorum, Patrum, et Theologorum communi consensu firmata [1]. — Utrum vero etiam prohibita sit *per se*, disput. Th. Alii tenent usuram prohibitam esse tum *jure naturali* , quia ex natura mutui est injusta; tum *jure divino*, nam Dominus dixit : *Benefacite et mutuum date nihil inde sperantes* [2]. Alii vero negant, praesertim quoad pecuniam mutuatam, textus a contraria sententia allatos aliter interpretantes [3].

938. — *Q.* Licet ne mutuum dare cum spe alicujus lucri ?

R. Si mutuum principaliter datur *ad benevolentiam acquirendam,* et minus principaliter aliquod lucrum speratur , licet ; quia tunc lucrum speratur non vi pacti, sed ex benevolentia.

Si vero mutuum datur principaliter *ob spem lucri*, licet sperati ob meram benevolentiam, ut esset si absque tali spe mutuum non daretur, non licet, cum Evangelium dicat *mutuum date nihil inde sperantes*, et tunc esset usura mentalis; et si quid ex mera benevolentia exigeretur, esset usura realis, ut patet ex propos. ab Innoc. XI damnata: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia debitum ;* et merito haec propositio damnata fuit, quia benevolentia numquam obligare potest ad praestandum lucrum, cum multis aliis modis exhiberi possit [4].

939. — *Q.* Licet ne aliquid accipere ex mutuo, sed gratis datum ?

R. Si certo constat quod mutuatarius aliquid dat mere gratis, tunc accipere licet.—Item si mutuatarius aliquid dat ultra sortem ne videatur ingrati animi, aut ne deinceps sibi denegetur mutuum, bene potest mutuans illud retinere, quia mutuatarius ad illud donum non inducitur ab aliqua extrinseca mutuantis actione , sed tantum ex motivis personalibus, quae omnia spontaneam efficiunt illam donationem.

In dubio vero an mutuatarius gratis dederit , tunc si mutuans bona fide recepit et postea , superveniente dubio , nequit illud purificare, potest donum sibi retinere ; secus vero si jam recepit in dubio , quidquid alii dicant , quia cum dubio nemo legitime potest possessionem inchoare. Ceterum si mutuatarius non esset pauper , nec daret ob mutuantis efflagitationes vel minas, tunc praesumi potest gratis dedisse, praesertim si dedit post redditionem sortis [5].

940. — *Q.* Quotnam sunt tituli ordinarii propter quos mutuans potest aliquid ultra sortem exigere ?

R. Hujusmodi tituli quatuor

[1] Bened. XIV, de Synodo, L. X, c. 4.
[2] Luc. VI, 35.
[3] *De Lugo*, II, 25. — Nullo manifesto seu naturali seu divino jure constat usuras *per se* illicitas aut alias vetitas esse. Quin potius ex ratione agendi Ecclesiae Catholicae contrarium conjicitur. Per se, nam immodicae procul dubio illicitae sunt; imo et modicae, si eas caritas vetet. *D'Annibale*, II, 533 (19).
[4] S. Alph., L. III, 762.
[5] S. Alph., L. III, 761.

sunt: 1° Lucrum cessans vel damnum emergens; 2° periculum sortis; 3° poena conventionalis; 4° lex civilis.

I. *Lucrum cessans vel damnum emergens*, quod mutuans mutui causa patitur; tunc enim, ut ait S. Th. [1], non est quod ille vendat usum pecuniae, sed indemnem se reddit in damno passo. Et hoc valet etiam si agatur de probabili periculo damni emergentis, servata proportione periculi [2]. — Ut autem lucrum licite exigatur ratione lucri cessantis vel damni emergentis, quatuor requiruntur conditiones: 1° ut nil exigatur ultra valorem damni emergentis, vel lucri sperati, deductis expensis et pretio laboris, quae impendenda erant ut tale lucrum exigeretur; 2° ut mutuans vere animum habuerit rem suam in negotiatione impendendi; 3° ut mutuum sit vera causa damni aut cessationis lucri; 4° ut praefati tituli sint certi, vel saltem probabiles.—An vero mutuans mutuatarium admonere teneatur de titulo hujus excessus, disput. Th.: S. Alph. affirmat [3]. — Hinc si mutuans se obliget ad expectandam restitutionem sortis ad breve tempus, non potest aliquid ultra sortem exigere, quia in mutuo est intrinseca obligatio ut mutuans expectet restitutionem sortis pro aliquo tempore; et Alexander VII damnavit hanc propositionem: *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Sed si mutuans se obliget expectare ad tempus longum et extraordinarium, v. g. ad tres vel quatuor annos, tunc potest aliquid ultra sortem exigere, quia talis obligatio est extrinseca mutuo, adeoque pretio digna, saltem quia mutuans, se obligando ad tantum tempus, est moraliter impossibile quod aliquod damnum vel incommodum notabile non patiatur [4].

2. *Periculum sortis*, vel ammittendae, vel non recuperandae nisi cum extraordinariis expensis et laboribus, quae sunt pretio aestimabilia. Ut autem periculum amittendi sortem ab usura excuset, tres requiruntur conditiones: 1° Ut tale periculum sit extrinsecum, idest extraordinarium et non commune, et quidem proximum et probabile; 2° ut exigatur solum quantum alteri pro assecuratione daretur; 3° ut mutuatario facultas fiat, si velit, alio modo sortem assecurandi, puta per pignus [5].

3. *Poena conventionalis*, nempe pactum quod, si mutuatarius non satisfacit solutioni intra tempus praefinitum, solvere debeat aliquam summam ultra sortem. Sed ad hoc tres requiruntur conditio-

[1] 2ª 2ae, q. 78, a. 4.
[2] S. Alph., L. III, 770.
[3] S. Alph., L. III, 769.
[4] S. Alph., L. III, 760.
[5] S. Alph., L. III, 765. — Adsunt quaedam aeraria publice constituta ad subveniendum per mutuum necessitati pauperum, quae *montes pietatis* dicuntur. Ex his aerariis seu montibus pecuniae mutuo dantur petentibus ea lege, ut pro assecuratione illarum dent pignus, quod vendendum erit sub hasta, si statuto tempore pecunia credita non reddatur. Porro hujusmodi montes pietatis jam approbati fuerunt a Concilio Lat. et Trid. (Ses. 22, c. 8 de ref.); et in eis licite aliquod exigitur auctarium titulo expensarum et onerum quae ab ipsis sustinentur ad ipsius montis conservationem et administrationem. At quando pignus vendendum est, retenta summa credita et modico auctario, residuum debitori reddi debet. Probabilius est haec aeraria etiam a privatis institui posse, ubi lex non obstat, et ceterae conditiones servantur. *Aertnys*, L. III, 466; *Marc*, 1113.

nes: 1° Ut dilatio solutionis sit notabilis et culpabilis; 2° ut poena sit moderata et culpae proportionata; 3° ut mutuatarius se obliget ad reddendam sortem tempore quo vere possit eam restituere, alias pactum aestimaretur usurarium. — An vero praefata poena debeatur ante sententiam judicis, alii negant, sed alii probabilius affirmant, quia talis poena induit rationem pacti, et non tantum poenae [1].

4. *Lex civilis,* quae ad plurimas lites impediendas et ad fovendum commercium et industriam, aliquod lucrum in mutuo permittit: quale vero sit lucrum legale, nempe a lege civili permissum, consulenda est lex cujusque nationis. In Italia lex civilis admittit 4 pro 100 in re civili, et 5 in rebus commercii. (Decr. Reale 22 Junii 1905)[2].

941. — *Q.* Sufficit ne titulus legis civilis ut mutuans aliquid ultra sortem exigere possit?

R. Disput. Th. Sed hodie communiter admittitur, quia pecunia videtur ex hodiernis adjunctis quodammodo productiva; unde mutuans illius utilitate se privat in favorem mutuatarii [3]. Hinc S. Poenitentiaria declaravit: 1° *Non esse inquietandos* qui contendunt legem civilem esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem, quousque Sancta Sedes definitionem decisivam emiserit, cui parati sint se subjicere; 2° *Nec inquietandos esse* confessarios qui sic facientes absolvunt.

Quare si quis tantum accipit quod lex permittit, non est inquietandus [4]. Si vero ultra accipit, tunc vel habet aliquem titulum ex praedictis, et potest; vel non habet, et peccat et ad excessus restitutionem tenetur [5].

942. — *Q.* Quinam ad restitutionem ex usura tenentur?

R. Tenentur: 1° Mutuans usurarius. — 2° Cooperatores formales,

[1] S. Alph., L. III, 766.

[2] Quaesitum fuit: An hodie sint inquietanda illa pia loca, moniales, monasteria, quae exigunt sex pro quolibet centenario ex illorum pecuniis, cum hodie id communiter et tribuatur et acceptetur? S. C. S. Off. 28 feb. 1872 respondit: *Juxta responsiones alias datas, dummodo sint parata stare mandatis S. Sedis, non esse inquietanda.*

[3] An vero pecunia, *nunc temporis,* sit res per se infructuosa, ita ut sub nomine mutui *stricte* accepti veniat, proindeque ex ejus usu aliquid percipi non possit, magna quaestio est. Lex civilis ipsam uti fructuosam videtur considerare, dum ex ejus mutuo aliquid percipi posse decernit; unde Th., relicta quaestione, inter alios titulos aliquid ex mutuo ultra sortem recipiendi, etiam titulum legis civilis recensent.

[4] Intellige eam usurae quantitatem quam lex ipsa constituit, non vero usuram extraordinariam, circa quam lex in quibusdam locis libere conveniri permittit. — Vid. C. It., a. 1831.

[5] Monet autem Bened. XIV (in Encycl. *Vix pervenit*) confessarios ut in judicio ferendo de hac re « ab extremis, quae semper vitiosa sunt, longe se abstineant; etenim, subdit, aliqui tanta severitate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent tanquam illicitam et cum usura conjunctam; contra vero, nonnulli, indulgentes adeo remissique sunt ut quodcumque emolumentum ab usurae turpitudine liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhaereant, sed priusquam responsum reddant, plures scriptores examinent, qui magis inter ceteros praedicantur, deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione tum auctoritate plane confirmatas intelligent ». — Confessarius igitur post factum conscientiam prudenter excutiat poenitentis, et si ipsum noverit aliquid sola ratione mutui injuste exegisse, ad restitutionem illum obliget; si vero ejus injustitia non est certa, sed tamen mala fide egit, tunc curet ut ille suum peccatum detestetur, ad restitutionem vero ipsum rigorose obligare nequit, cum sit incertum peccatum injustitiae.

uti consulentes. — 3° Haeredes usurarii, quia onus reale transit ad haeredes; probabile autem est ipsos non teneri in solidum ad restitutionem usurarum, sed quemlibet pro rata sua. — 4° Qui sunt causa cur usurae solvantur, uti judices, advocati, notarii: hinc notarius si instrumentum condit ad instantiam mutuantis, peccat contra caritatem et contra justitiam; si vero condit ad instantiam mutuatarii, tunc vel iste justam habet causam mutuum petendi, vel non: si primum, non peccat; si secundum, peccat quidem contra caritatem, sed non contra justitiam, quia volenti nulla fit injuria. — 5° Servi usurariorum; sed quoad istos distinguendum est: si cooperantur in re quae mutuatario non displicet, uti deferre pignus, vel pecuniam, aut tabulas referre, aut amicis verbis usurarum solutionem petere, a restitutione excusantur; secus si subscribunt chirographum, aut nimis ad solutionem cogunt [1].

CAPUT III.

De contractibus aleatoriis seu de assecuratione, sponsione, loteria et ludo.

943. — *Q.* Quid est contractus aleatorius?

R. Contractus aleatorius ille est *cujus effectus tum quoad lucrum tum quoad jacturam rei pendet ab incerto eventu.* — Species contractus aleatorii sunt: assecuratio, sponsio, loteria et ludus.

944. — *Q.* Quid est assecuratio, et quaenam ejus conditiones?

R. Assecuratio est *contractus quo quis alienae rei vel personae periculum suscipit.* — Ut hic contractus sit justus requiritur: 1° Ut pretium sit periculo proportionatum; 2° ut periculum sit verum, et utrique parti aequaliter notum; 3° ut assecuratus servet omnes contractus conditiones; 4° ut assecurator habeat unde solvere possit [2].

945. — *Q.* Quid est sponsio, et quaenam ejus conditiones?

R. Sponsio (vulgo *scommessa*) est *contractus quo duo vel plures contendentes de veritate vel eventu alicujus rei, aliquid sibi invicem spondent, ut sit illius qui verum dixerit.*

Ut autem sponsio licita sit requiritur: 1° Ut agatur de re honesta; 2° ut eventus sit utrique incertus, unde si alteruter est certus, nequit sponsionem acceptare, etsi altera pars urgeat [3]; 3° ut uterque eodem sensu accipiat sponsionem et ejus pignus.

946. — *Q.* Quid est loteria, et quaenam conditiones ad ejus licitatem?

R. Loteria est *contractus quo plures aliquid deponunt in commune, ut jus habeant sortiendi rem in medio exhibitam.* — Ut loteria licita sit requiritur: 1° Ut non adsit fraus in schedulis educendis, nec in solvendo praemio quod obtigerit; 2° ut dominus loteriae non excedat in lucro. Quod si fit in operas pias vel in utilitatem publicam, excessus esset licitus, utpote voluntaria donatio.

[1] S. Alph., L. III, 785-9.
[2] S. Alph., L. III, 911.
[3] An licita sit sponsio quando una pars certa est, et altera nihilominus vult spondere, disput. Th. Alii affirmant quia scienti et volenti non fit injuria; sed alii verius negant, quia vere deest aequalitas in contractu.

947. — *Q.* Quid est ludus, et quotuplex?

R. Ludus est *contractus quo duo vel plures aliquid deponunt cum pacto ut totum victori cedat.* — Ludus alius est *industrialis*, si victoria est potissimum ex industria; alius *aleatorius*, si potissimum ex casu; alius *mixtus*, si partim ex industria, partim ex casu victoria pendeat [1].

948.—*Q.* Quaenam conditiones requiruntur pro ludi validitate et licitate?

R. Ut ludus sit *validus* requiritur: 1° Ut quis ludat de re propria, ita ut, si victus fuerit, solvere possit; 2° ut non adsit vis vel dolus; 3° ut conditio colludentium aequalis vel fere aequalis sit. — Unde non valet ludus de re aliena, vel cum filio-familias, excepto quod summa sit ex bonis castrensibus vel quasi-castrensibus, vel adsit patris consensus, vel res sit parvi momenti, aut pars moderata deducta ab alimentis quae a patre recepit.—Nec valet si quis in ludo utitur fraudibus *injustis*, non vero si tantum iis astutiis, quas regulae ludi et consuetudo ferunt. — Nec valet si quis multo peritior sit in ludo, ita ut certo praesciat se victorem fore, quia tunc deest aequalitas inter ludentes requisita; excepto casu quod adversarius sufficienter praemonitus, nihilominus pertinaciter ludere velit, quia tunc nulla deceptio intervenit. [2]

Ut autem ludus sit *licitus* requiritur: 1° Ut sit in se honestus; 2° ut non sit prohibitus a lege ratione personae, aut loci, aut temporis; 3° ut fiat bono fine, idest ad animi levamen, non unice pro lucro, et summa quae in ludo ponitur sit moderata; 4° ut ludus non sit causa peccati aut scandali: unde *in praxi* maxime observandum est ut debita moderatio, praesertim quoad summam, in ludo servetur.

949. — *Q.* Licet ne ludere precibus sacris pro victore fundendis?

R. Th. probabilius affirmant; ratio, quia malum quidem est adhibere spiritualia propter profana; adhibere vero profana propter spiritualia licitum et bonum est, quemadmodum probat piorum usus [3]. Hinc licet in ludo se invicem obligare ad aliquam precem pro victore, quia licitum est permutare spirituale cum spirituali; sed esset illicitum si alter luderet pecunia, alter vero precibus, quia certe adesset simonia.

950. — *Q.* Victus tenetur ne in conscientia solvere quod in ludo perdidit?

R. Si ludus a lege declaretur irritus, vel victo tribuatur jus in judicio repetendi solutum, tunc sententia communior et probabilior ex S. Alph. docet quod victus non tenetur solvere perditum; nam quando lex dat jus repetendi, dat etiam jus absolutum non solvendi [4]. Et hoc tenet etiamsi ludens renuntiasset beneficio legis; quia cum lex sit lata ad bonum commune, illa renun-

[1] Ludo affinis est *sortitio regia* (vulgo *regio lotto*), valde periculosa, utpote quae nimis fovet lucri aviditatem. Adde, quod plura mala ex tali ludo saepe obveniunt, nempe superstitiones, familiarum ruina, aliquando suicidia, etc. Unde parochi et confessarii eo incumbant ut, quantum fieri potest, fideles a tali ludo avertant.

[2] Vid. *Marc*, 1168.

[3] S. Alph., L. III, 882.

[4] S. Alph., L. III, 890.

tiatio est nulla. Quod si cum juramento ludentes renuntiaverint beneficio legis, et juraverint se absolute soluturos, an teneantur solvere, disput. Th. Attamen possunt semper solutum repetere [1].

Si vero a lege ludus non declaretur irritus, nec victo tribuatur beneficium repetendi solutum, tunc victus habet obligationem naturalem solvendi quod perdidit etiam in ludo prohibito et illicito, dummodo valido.

Ceterum a jure civili non datur actio contra victum qui solvere recusat, nisi agatur de ludis qui ad corporis exercitium sunt instituti, uti cursus, pila, etc., modo in his non exponatur immodicum aliquid.—Eo minus vero datur victo actio solutum repetendi quando sponte jam solvit, nisi intervenerit dolus aut fraus, vel nisi ipse fuerit minor, interdictus, aut inhabilitatus. (C. I., a. 1803-4) [2].

951.—*Q.* Victor in ludo prohibito tenetur ne solutum restituere?

R. Si ludus est irritus non solum jure civili, sed etiam jure naturae, victor certe tenetur solutum restituere. — Si vero ludus est irritus solum ex lege civili, tunc an victor teneatur restituere ante sententiam judicis, disput. Th. Sententia communior affirmat, quia lex in hoc casu respicit bonum publicum, ideoque obligat in conscientia. — Si autem lex ludum declaret tantum rescindibilem, tunc victor potest lucratum retinere quoadusque a judice ad restitutionem damnetur, quia solutum recepit ex contractu valido; et hoc etiamsi lusisset animo repetendi in judicio si perdidisset.

[1] S. Alph., L. III, 891.

[2] *Marc*, 1169.

PARS III.

DE VIOLATIONE JURIS

(seu de injuria et de furto).

CAPUT I.

De injuria.

952.—*Q.* Quid est injuria et quotuplex?

R. Injuria, prout justitiae commutativae opponitur, definitur: *Laesio voluntaria juris alterius rationabiliter inviti* (v. dicta n. 756). Porro jus, quod injustitia violatur, intelligitur jus *proprietatis*.

Multiplex est: 1° *Formalis* vel *materialis*, prout fit scienter et animo alteri nocendi, vel non; 2° *directa* vel *indirecta*, prout intenditur in se, vel tantum in causa praevidetur et permittitur; 3° *gravis* vel *levis*, prout grave vel leve damnum proximo infert.

953. — *Q.* Injuria quodnam peccatum est?

R. — I. Injuria est peccatum ex genere suo mortale; - ratio, quia graviter adversatur legi sive naturali sive positivae. Habetur vero peccatum mortale quando materia injuriae ex natura sua vel ex communi hominum aestimatione apta est ad causandam alteri tristitiam rationabiliter gravem, ideoque ad caritatem graviter laedendam; undę fit quod ratione parvitatis materiae, vel aliis de causis, peccatum potest esse solum veniale.

II. Scienti et volenti non fit injuria; - ratio, quia qui consentit cedit juri suo, illudque abdicat, et in laedentem transfert.

Ad hoc tamen tria requiruntur: 1° Ut consensus sit omnino liber et laedenti innotescat, alioquin injuria in agente esset formalis; 2° ut laesus velit praecise renuntiare juri suo, ita ut non solum indignationem non ostendat, sed etiam debitum remittat; 3° ut possit jus suum cedere, nempe nec a lege nec alio obstaculo impediatur. — Sic pupillo, licet consentienti, vera fit injuria in ablatione rerum suarum, quia lex obstat quominus ille jus suum cedere possit. Idem dic de eo qui alium occidit, licet consentientem, quia nemo potest cedere jus vitae suae, cujus dominium ad Deum spectat.

954.—*Q.* Actus internus potest ne per se efficere ut actus externus evadat injustus?

R.—I. Negative, si actus externus per se *materialiter* jus alterius non laedit. — Hinc, v. g. qui ex odio succurrere alteri recusat quando ex justitia non tenetur, etsi renuat ex pravo animo nocendi, tamen nullum jus laedit.

2. Negative quoque, si agens jus habet ponendi actum externum, licet alteri nocivum et ani-

mo nocendi positum, quia haec prava intentio actum de se justum injustum reddere nequit.— Hinc non peccat contra justitiam mercator merces suas infimo pretio vendens eo pravo fine ut alios mercatores emolumentis privet.

3. Affirmative e contra, si actus externus sit ex se indifferens ad nocendum, et agens non habet jus illum actum ponendi; quia tunc prava intentio nocendi determinat actum externum ut injustus evadat.

955. — *Q.* Jus alienum quotuplici modo violari potest?

R. Jus alienum triplici modo violari potest: — 1° In bonis personae; — 2° in bonis honoris; — 3° in bonis fortunae.

De violatione juris in bonis personae jam dictum est ubi *de quinto praecepto*; de violatione juris in bonis honoris dicetur ubi *de octavo*. Hic igitur de violatione juris in bonis fortunae.

Jam vero violatio hujusmodi esse potest *lucrosa*, auferendo nempe res alienas, quod fit praecipue per *furtum*; vel *non lucrosa*, quae scilicet infertur proximo sine emolumento inferentis, et dicitur *damnificatio*. Opportunius de damnificatione in quarta parte Tractatus: hic igitur tantum de furto.

CAPUT II.

De furto

ART. I.

De natura furti ejusque gravitate.

956.—*Q.* Quid est furtum et quomodo dividitur?

R. Furtum definitur: *Occulta et injusta rei alienae ablatio, invito rationabiliter domino.* — Dicitur: 1° *occulta*, et sic furtum distinguitur a rapina, qua quis non occulte, sed aperte et vi rem alienam aufert, unde definiri potest: *Injusta et violenta rei alienae usurpatio;* 2° *injusta*, quia secus non esset furtum nec peccatum; unde non peccat, v. g., uxor, quae aufert nummos a viro ne cum familiae damno ipse eos dilapidet, aut se inebriet; 3° *ablatio*, et sic furtum distinguitur a simplici damnificatione, uti incensio domus alterius, etc.; 4° *invito rationabiliter domino*, quia qui rem alienam aufert cum domini consensu, etiam praesumpto, furtum non facit.

Furtum dividitur in *qualificatum* et *simplex*, prout specialem habet malitiam, uti furtum rei sacrae, vel non.

957. — *Q.* Furtum quodnam peccatum est?

R. — I. Furtum est peccatum ex genere suo mortale; ratio, quia graviter adversatur legi sive naturali caritatis et justitiae, sive positivae. Unde S. Paulus: *Neque fures,... neque rapaces regnum Dei possidebunt* [1].

II. Furtum sacrilegum et rapina, praeter malitiam furti, aliam specialem continent: illud, contra religionem; ista, contra justitiam ob injuriam quam personae infert.

958. — *Q.* Quaenam materia censetur gravis in furto?

R. Praemitto: 1° Materia furti sub duplici respectu considerari potest, nempe vel *absolute*, vel *relative* ad diversas hominum conditiones et necessitates.—2° Antiquitus Th. rigidiores erant in assignanda materia furti gravis, sive absolute sive relative, quia

[1] I. Cor. VI, 10.

tunc pecunia erat rarior; at nunc temporis, attenta majori pecuniae abundantia, ejusque diminuto valore, majorem summam requirunt ad mortale. Hisce praemissis:

Si materia furti consideretur *absolute in se*, ut gravis habeatur nec unquam levis culpa censeri possit, etsi rigorose determinari nequeat, Th. tamen antiquitus communiter requirebant 10, vel 15 fr.; nunc vero, eo quod valde imminutus sit pecuniae valor, communiter requirunt fr. 30, vel etiam 40 [1].

Si vero materia furti consideretur *relative* ad diversas hominum conditiones et necessitates, Th. communiter dicunt materiam gravem censeri quae alicui sufficit, juxta conditionem suam, ad diurnam sui suaeque familiae sustentationem, computatis victu, vestitu et habitatione, nempe: 1 francum relate ad pauperes et aliquando etiam minus pro majori pauperis necessitate; circiter 2 vel 3 francos relate ad operarios, qui labore diurno victum sibi comparant; circiter 4 vel 5 relate ad homines mediocriter divites; circiter 10 vel 15 relate ad divites ordinarios; et circiter 20 vel 30 relate ad ditissimos, et ad personas morales seu Collegia, Communitates [2]. Ceterum res difficillima est statuere materiam certe gravem, et Theologo et Confessario cavendum maxime est ne peccatum mortale definiat, quando certum non est.

[1] *Palmieri-Gury*, V. I, n. 607, putat materiam absolute gravem ascendere ad 100 fr. plus minusve. Existimamus tamen, ait *Génicot*, (V. I, 507 (2) doctum scriptorem majorem putasse diminutionem valoris pecuniae quam reapse sit, quare malumus tenere sententiam magis communem Th. coaetaneorum.

[2] *D'Annibale*, I, 178, 6.

Demum observandum quod in furtis rerum expositarum, uti fructus juxta vias, et ligna in sylvis, ad furtum grave major quantitas requiritur [3].

939. — *Q.* Quandonam furtum grave fieri potest veniale, vel vicissim?

R. Furtum, ex genere suo mortale, potest fieri veniale: 1° Ex parvitate materiae; 2° ex imperfectione actus; 3° ex eo quod dominus sit tantum invitus quoad modum, non vero quoad substantiam, vel si quoad substantiam, non tamen multum invitus, ut quandoque contingit in furtis filiorumfamilias.

E contra furtum leve ratione materiae, potest fieri mortale: 1° Ratione *intentionis*, surripiendo aliquod leve quod erronee grave putatur; 2° ratione *multiplicationis*, si materia per furta levia gravis evadat; 3° ratione *conspirationis*, si plures conspirantes per furtula ad materiam gravem perveniant; 4° ratione *damni*, ut si quis furetur acum sartori, quem scit aliam non posse habere qua valeat sibi victum comparare [4]; 5° ratione *modi* seu violentiae notabilis, vel in se vel respectu personae, puta si quis rem exiguam superiori vi eripiat; 6° ratione *scandali*, v. g. si quis praevideat alios e suo exemplo causam capturos furandi; 7° ratione *offensae*, ut si dominus ob furtum illius rei, licet levis, magnam displicentiam subiturus sit [5]. Sed in

[3] S. Alph., L. III, 529.

[4] Qui furatur rem per se gravem, sed quam dominus parum curat ac si esset parvi momenti, probabilius per se non peccat graviter, quia cum in tali casu dominus esset leviter invitus, etiam injuria levis esset.

[5] S. Alph., L. III, 526-7.

tribus ultimis casibus graviter peccat contra caritatem, non vero graviter contra justitiam.

960. — *Q.* Quandonam furta *minuta* coalescunt ad peccatum mortale ?

R. Praemitto: Furta *minuta* triplici modo contingere possunt: 1° Quando plures uni pauca furantur; 2° quando unus pluribus pauca furatur; 3° quando unus uni pauca quidem sed pluries furatur. Hoc praemisso:

1. *Si plures uni pauca furantur, quae simul collecta materiam gravem constituunt,* tunc si *communi consensu* seu mutuo impulsu furantur, singuli graviter peccant, quia singuli in totum damnum moraliter cooperantur. — Si vero furantur seorsim seu *independenter unus ab alio,* tunc nemo eorum graviter peccat, quia nemo est causa formaliter injusta gravis damni. Imo probabilissimum est neminem eorum graviter peccare etiamsi sciant per illa furtula simul conjuncta grave damnum domino inferri; semper enim verum est neminem esse causam efficacem totius damni, quod per accidens ab aliis obvenit. Potest tamen quisque graviter peccare ratione scandali.

2. *Si unus pluribus furatur, parum quidem singulis, sed multum simul sumptum,* tunc peccatum grave evadit si inter minuta furta breve tantum intercedit intervallum, et fur simul advertit minuta furta pertingere ad materiam gravem. In hoc tamen casu ad materiam gravem major quantitas requiritur, quam si furta uni fiant, quia singuli domini non tam grave damnum patiuntur, ideoque sunt minus inviti. In hoc casu attendi debet potius ad materiam *absolute* gravem, qua notabiliter laeditur securitas humanae societatis.

3. *Si vero unus uni pauca quidem sed pluries furatur,* tunc graviter peccat duobus in casibus: 1° Quando in singulis furtis animum habet perveniendi ad materiam gravem; 2° quando furta minuta inter se uniuntur et simul sumpta materiam gravem constituunt. — Quandonam vero uniantur, distinguendum est: Si res furatae servantur in specie vel in aequivalenti, semper uniuntur. Si vero a fure consumuntur, ita ut nunquam materiam gravem ipse servet, tunc si inter illa diversa furta non intercedit magnum intervallum, illa furtula simul uniuntur; secus vero si magnum intercedit intervallum, quia tunc ex communi hominum aestimatione illa diversa furta moraliter uniri non censentur. — Quodnam vero intervallum judicetur magnum, alii dicunt spatium unius anni, alii unius mensis, et alii cum S. Alph. spatium duorum mensium [1].

Ceterum Th. communiter dicunt in furtis minutis ad peccatum grave majorem materiam requiri, nempe si furta fiant eidem domino, sed diversis vicibus, vel diversis dominis sed una vice requiri dimidio plus, ita ut si pro una vice requiruntur 4 fr., tunc requirantur 6; et duplo majus, idest 8, si facta sint diversis dominis et diversis vicibus [2].

961. — *Q.* Quid de furtis uxorum, filiorum-familias, et famulorum?

R. Quoad haec furta etsi regula

[1] Haec damna, si modica fuerint, quindecim dierum spatio; sin prope gravia, bimestri inter unum et alterum interjecto, coalescere non intelliguntur. *D'Annibale,* II, 220.

[2] S. Alph., L. III, 530; *Gury,* I, 611 (*c*).

generalis et determinata dari nequeat, quia res pendet ex variis personarum vel conditionum circumstantiis, attamen haec teneri possunt:

1. Uxor non est furti rea si de bonis familiae occulte aufert solum quod necessarium est ad victum et vestitum juxta proprium statum, vel ad subveniendum parentibus, vel ad *moderatas* eleemosynas faciendas, etiamsi maritus eleemosynas omnes ei prohibeat; - ratio, sive quia uxor non est mancipium, sed socia viri, sive quia in his casibus vir esset irrationabiliter invitus. — Seclusis his casibus, uxor quae, marito rationabiliter invito, de bonis familiae notabilem summam impendit in donationes, itinera, vestes, etc., graviter peccat, sive quia gravem injuriam marito irrogat, sive quia grave damnum familiae affert. — In hisce autem furtis uxorum juxta plures ad materiam gravem constituendam requiritur etiam major quantitas, nempe duplo major quam in furtis filiorum, quia inter maritum et uxorem major datur conjunctio et identitas moralis, praesertim in ordine ad bona communia, quam inter patrem et filium, et maritus regulariter est minus invitus. Ceterum ad mensurandam gravitatem furti in uxore attendi oportet ad statum, opulentiam, liberalitatem, et affectum mariti erga uxorem, ad majorem vel minorem dotem ab uxore in ordine ad bona communia allatam, ad majorem vel minorem cooperationem uxoris ad domesticam oeconomiam, et ad alias similes circumstantias.

2. In furtis *filiorum* plus requiritur ad gravem materiam constituendam, quam in furtis extraneorum, quia paterfamilias est minus invitus, aut saltem minus rationabiliter invitus in priori casu, quam in posteriori, et saepe invitus est magis quoad modum, v.g. quia clam, ipso inscio surripitur, quam quoad substantiam. Et licet pro materia gravi certa regula assignari nequeat, Th. tamen communiter requirunt materiam circiter duplo majorem, si pater est invitus quoad substantiam; si vero est solum invitus quoad modum, tunc multo latius materiae quantitatem extendunt [1].

3. Quoad furta *famulorum*, si ipsi aliquid surripiunt de esculentis et poculentis ad proprium usum non peccant, modo non auferant in magna quantitate, vel quae sunt pretii extraordinarii. — E contra peccant, et quidem graviter, si esculenta vel poculenta in materia gravi surripiunt ad vendendum aut ludendum, quia domini sunt graviter et rationabiliter inviti. — Item dic si pecuniam aut res sedulo custoditas furentur. Nec tunc major quantitas requiritur quam in aliis furtis; imo eorum furtum qualificatum est ac lege poenali civili gravius punitur, quia domini sunt admodum inviti, eorumque confidentia famuli abutuntur [2].

[1] S. Alph., L. III, 539, 542.

[2] S. Alph., L. III, 545. — Sartores non possunt sibi retinere fragmenta vestium quas confecerunt, si fragmenta sunt majoris momenti, nisi retineant pro justa compensatione, puta si dominus justam laboris mercedem non solvat. Si vero fragmenta sunt minoris momenti, et dominus expresse repetat, restituere tenentur; si autem expresse non repetat, retinere possunt, quia cum domini communiter sciant sartores sibi retinere similia moderata fragmenta, dominus, si expresse non repetat, non censetur invitus.

——

962. — *Q.* Quodnam peccatum est caesio lignorum in sylva aliena?

R. Distinguendum est: — **1.** Si sylva est *communitatis*, licet possit communitas sub aliqua poena prohibere etiam incolis suis, ob bonum publicum, ne ligna exportentur (modo adsit alius locus unde commode possit quisque sibi providere), nihilominus incolae communitatis, qui contra prohibitionem ligna caedunt, non peccant, saltem graviter, et nihil tenentur restituere, nisi magnam faciant stragem; sed tantum tenentur ad poenam post sententiam, quia talis prohibitio censetur pure poenalis. Ut autem strages dicatur magna, non est attendenda gravitas materiae in se, sed respectu damni quod communitati infertur; unde non videtur peccare, saltem graviter, qui caedit unam sarcinam singulis diebus pro usu proprio, vel duas singulis hebdomadis ad vendendum: quod enim dives accipit ad usum proprium, pauper accipit ad vendendum ut inde vivat. — Idem dicendum de caedente ligna in nemore communitatis propinquae; quia tunc praesumitur contenta esse illa communitas de solis poenis quas exigit, quoties non exposcit restitutionem. — Idem tanto magis valet cum adsunt duo oppida vicina, quorum incolae solent ad invicem excidere ligna in sylva aliena.

2. Si vero sylva est *privatorum*, qui excidunt ligna peccant, et tenentur ad restitutionem; - ratio, quia domini habent jus strictum super suis sylvis, ita ut possint eas vendere, aut locare arborum scissionem [1]. — Hinc, si communitas sylvam vendat aut locet alicui privato, scindentes tenentur damnum illatum reparare, etiamsi sint illius communitatis partes; quia tunc communitas, ac proinde singula membra illius (ex quorum mandato sive consensu administratores vendunt aut locant), totum jus suum ad illum privatum transferunt.

Quod dictum est de sylvarum caesione dic etiam de agrorum pascuis.

[1] *Ninzatti*, n. 472.

ART. II.

De causis a peccato furti excusantibus.

963. — *Q.* Quotnam causae excusant furantem a peccato?

R. Duae causae excusant: *necessitas* nempe et *compensatio*. — De compensatione dicetur ubi de causis a restitutione excusantibus.

964. — *Q.* Quaenam necessitas excusat?

R. — **1.** Necessitas *extrema* semper excusat, unde quilibet potest, tam pro se quam pro aliis in tali necessitate constitutis, surripere de bonis alienis quantum sufficit ad liberandum se vel alios a tali necessitate, quotiescumque alio modo licito ab illa necessitate se liberare nequeat; - ratio, quia in tali casu omnia sunt communia. Excipe tamen nisi ipse dominus sit in eadem necessitate, quia tunc melior est conditio possidentis. — An vero in tali necessitate constitutus possit surripere rem gravis momenti, et cujus jactura grave damnum domino afferret, non conveniunt Th. Alii negant, quia dives non tenetur proximo, etiam in extrema necessitate constituto, succurrere cum gravi suo dispen-

dio. Alii cum S. Alph.[1] affirmant, quia etsi dominus non teneatur dare rem hujusmodi ob rationem primae opinionis, pauper tamen jus habet illam surripiendi.

2. Necessitas *gravis*, et a fortiori *communis*, non excusat; ratio, quia, quum ejusmodi necessitates frequentius occurrant, dominus esset rationabiliter invitus. Unde Innoc. XI hanc damnavit propos: *Permissum est furari, non solum in necessitate extrema, sed etiam in gravi.* — Excipe nisi necessitas sit adeo gravis, et res adeo parvi valoris, ut evidenter praesumi possit consensus domini.

[1] S. Alph., L. IV, 520.

965. — *Q.* Qui rem alienam surripit in necessitate extrema tenetur ne postea restituere si possit?

R. Th. communiter conveniunt teneri in tribus sequentibus casibus: 1° Si res adhuc extet; 2° si de restitutione pactum initum fuerit cum domino; 3° si eo tempore quo quis rem alienam surripuit bona alibi habebat, vel spem probabilem habendi. — Seclusis his casibus, disput. Th. Sed communius et probabilius cum S. Alph.[2] negant; quia dominus censetur renuntiasse juri suo, et bona in necessitate extrema sunt vere communia.

[2] S. Alph. Hom. Ap. Tr. X, 19.

PARS IV.

DE REPARATIONE JURIS

(seu de restitutione)

Praesens dissertatio sedula consideratione indiget, tum quia scatet quaestionibus implicatissimis, tum quia confessarius aeque scrupulum sibi facere debet, si non obligat ad restitutionem poenitentes qui restituere tenentur, ac si obliget qui non tenentur.... Idcirco Tractatus *de restitutione* maxima dignus est animadversione, et *in praxi* ita scitu necessarius, ut si in hoc confessarii non bene sint versati, eos in multa offendicula incurrere oporteat.

DE RESTITUTIONE IN GENERE.

Quatuor capitibus constat haec dissertatio : 1. *De restitutionis natura et obligatione ;* 2. *de radicibus restitutionis ;* 3. *de circumstantiis restitutionis ;* 4. *de causis a restitutione excusantibus.*

CAPUT I.

De restitutionis natura et obligatione.

966. — *Q.* Quid est restitutio ?

R. Restitutio, juxta vim nominis et generatim sumpta, est *repositio rei in pristinum statum* (rursus statuere).—Stricte vero sumpta, prout a nobis hic accipitur, est reintegratio juris alieni, et a Th. communiter definitur : *Actus justitiae commutativae, quo res aliena redditur, vel damnum injuste illatum compensatur.*

Dicitur 1° *Actus justitiae commutativae :* quia, ut jam diximus, sola laesio hujus justitiae obligationem restitutionis importat.—E contra laesio justitiae *legalis* et *distributivae* non obligat *per se* ad restitutionem. Non laesio justitiae legalis, quia jus reipublicae quoad subditos non est directe in illorum personas aut operationes, sed in bonum publicum, ad quod quilibet subditus concurrere debet. Nec obligat laesio justitiae distributivae, quia, ex Angelico, munera et officia in societate primario instituta sunt non in praemium meritorum, sed in publicum bonum ;

unde jus quod habent digni est jus dignitatis in voluntate reipublicae fundatum, non jus strictum fundatum in proprietate. — Dixi *per se*, quia laesio justitiae sive legalis sive distributivae *per accidens* potest obligare ad restitutionem, quando nempe adnexam habeat violationem justitiae commutativae.—Dicitur 2° *quo res aliena redditur, vel damnum injuste illatum compensatur*; quia obligatio restitutionis oritur ex duplici radice, nempe ex re accepta, et ex injusta rei acceptione.

967. — *Q.* Restitutio cujusnam necessitatis est, praecepti tantum, an etiam medii?

R. — 1. Restitutio, iis qui graviter aliorum jus laeserunt, omnino necessaria est ad salutem vel in re, si fieri potest, vel in voto.

2. Restitutio *in re*, si fieri potest, necessaria est *necessitate praecepti*; legitur enim in Exodo: *Si laeserit quispiam agrum vel vineam... pro damni aestimatione restituet* [1]. Et Apost. Paulus: *Reddite omnibus debita* [2]. Unde illud S. Augustini: Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cum restitui potest.

3. Restitutio *in voto*, si in re fieri nequit, certe necessaria est necessitate *praecepti*, secus enim affectum quis ad rem malam retineret, sicque in peccato habituali versaretur. An vero necessaria sit etiam necessitate *medii*, disput. Th. Sententia communis negat, quia illud tantum necessarium necessitate medii in voto dici debet, quod necessarium est necessitate medii in re si fieri potest. Sed restitutio in re, fatentibus ipsis contrasentientibus, est solum necessaria necessitate praecepti; ergo [3].

968. — *Q.* Quotuplex est praeceptum restitutionis, et quandonam obligat?

R. Praeceptum restitutionis aliud est *negativum*, aliud *affirmativum*.

Praeceptum *negativum* prohibet ne unquam voluntas debita non restituendi concipiatur, ideoque obligat *semper et pro semper*, nempe urget quolibet momento usquedum violatio juris alieni reparata sit.

Praeceptum *affirmativum* praecipit rei alienae restitutionem, nempe actionem positivam qua domino reddatur quod suum est; et obligat statim ac moraliter fieri potest.

969. — *Q.* Qui media et occasiones restitutionis culpabiliter negligit quotnam peccata committit?

R. — 1. Si pravam voluntatem non restituendi renovat, toties peccat quoties illam renovat. — Hinc si quis per notabile tempus restitutionis faciendae fuerit oblitus, et postea pravam voluntatem non restituendi renovet, novum peccatum committit, quia mala ejus voluntas interrupta censetur (V. dicta *De peccatis in genere*, n. 241).

2. Si vero perseverat habitualiter in eadem voluntate non restituendi, tunc alii dicunt toties peccare quoties ad obligationem

[1] Exod., XXII, 5.
[2] Rom., XIII, 7.
[3] Ceterum, restitutio in voto dici potest necessaria necessitate medii hoc sensu, quatenus quisque habere debet propositum servandi omnia Dei mandata: qui autem non haberet votum restituendi, non haberet votum servandi omnia Dei mandata, ideoque salvari non posset.

restituendi attendit. Sed alii dicunt unum peccatum continuatum committere, licet per annum et amplius in eadem voluntate non restituendi perseveret; - ratio, quia tale peccatum, quamvis physice interruptum, moraliter tamen interruptum non censetur donec non retractetur mala voluntas, quae virtualiter semper permanet in effectu retentionis. — Utraque sententia est probabilis, sed haec secunda videtur probabilior [1].—Hinc optime observat Cl. Ballerini [2] quod, cum tuto teneri possit S. Alphonsi doctrina, exinde consequitur non esse in confessione exprimendum, brevi ne an diuturno tempore res aliena retenta fuerit. Et sane id non opus est ratione diuturni temporis, quia diuturnitas est circumstantia mere aggravans; nec ratione multiplicis peccati quod ex S. Doc. deest. Unde Cl. Diana: *Notet hoc confessarius, et a multis scrupulis immunis erit.*

970. — *Q.* Qui restituere nequit ex bonis ordinis rei debitae, tenetur ne restituere ex bonis ordinis diversi, uti esset vitam pecunia compensare?

R. Duplex adest probabilis sententia. *Prima* affirmat; - ratio, quia qui non potest totum damnum, tenetur saltem compensare partem quam potest.

Secunda sententia vero communior et probabilior negat *in conscientia* teneri; - ratio, quia justitia commutativa obligat ad restituendum juxta aequalitatem damni illati; ubi autem restitutio facienda sit in bonis ordinis diversi, nulla adest aequalitas, nec ulla erit unquam compensatio damni. Hinc, si quis alium laesit in bonis vitae, per quamcumque pecuniam damnum minime reparabit, neque in toto neque in parte. — Communiter tamen Th. monent congruum esse in tali casu ut confessarius imponat poenitenti pro poenitentia vel ex quadam aequitate aliquid laeso elargiendum [3].

Dixi *in conscientia;* nam si adsit sententia judicis qui ad aliquid restituendum damnet, utique reus tenetur restituere, et quidem in conscientia, quia quum adsit duplex probabilis sententia, in dubio judici seu superiori standum est [4].

CAPUT II.

De radicibus restitutionis.

971. — *Q.* Quotnam radices restitutionis?

R. Radices, seu rationes ex quibus oritur obligatio restitutionis, a pluribus Th. multae assignantur; at communiter duae recensentur: *res accepta,* hoc est rei alienae injusta acquisitio vel retentio; et *injusta acceptio,* hoc est rei alienae *injusta damnificatio* [5]. Ad utramque radicem duo necessario requiruntur: ut damnum sit realiter illatum; ut sit illatum cum injuria. Prima radix formalem vel etiam solam materialem injuriam continet. Secunda radix injuriam formalem semper exigit.

Igitur ex *prima radice* adest obligatio restitutionis quando quis rem alienam detinet, sive ipsam acceperit cum injura *formali,* v. g. furto, usura, etc.; sive cum

[1] S. Alph., L. III, 683.
[2] *Ballerini ad Gury,* I, 166 (b).
[3] S. Alph., L. III, 627.
[4] *Ninzatti,* 482; *Gury,* I, 628.
[5] S. Th. 2a 2ae q. 62, a. 6; *D'Annibale,* II, 195.

injuria *tantum materiali* nempe bona fide, sine justo titulo dominium transferente, rem alienam accepit et retinet.

Ex *secunda radice* adest obligatio restitutionis: 1° quando quis rem alienam culpabiliter damnificavit; 2° quando culpabiliter ad talem damnificationem cooperatus est.

ART. I.

De prima radice restitutionis, ex re eccepta.

972. — *Q.* Quot modis quis rem alienam accipere et detinere potest?

R. Triplici modo, nempe bona fide, mala fide, dubia fide. Hinc triplex possessor.

§ 1°

De possessore bonae fidei.

973. — *Q.* Quisnam est possessor bonae fidei?

R. Possessor bonae fidei dicitur *ille qui possidet rem alienam, quam prudenter judicat esse suam.*

Jure naturae talis est qui rem, quam possidet, vere uti suam tenet, quocumque titulo etiam solum putativo illam possideat. — *Jure civili* vero est talis qui rem ex titulo proprietatis translativo acquisivit, v. g. haereditate, donatione, emptione, etc., cujus tituli vitia ignorabat [1].

Duplex igitur est bona fides, *theologica* et *juridica*. Porro in iis in quibus lex civilis exigit bonam fidem, utraque requiritur: in iis vero in quibus lex civilis non exigit bonam fidem, sufficit theologica; ea enim posita, et legi et conscientiae satisfit, ut patet.

974. — *Q.* Possessor bonae fidei ad quid tenetur?

R. — I. Possessor bonae fidei tenetur, statim ac cognoscit rem quam possidet esse alienam, ipsam domino restituere, nisi justo titulo, puta praescriptione, confusione, suam fecerit; - ratio, quia res aliena ex vulgari adagio *clamat ad dominum suum.*

II. Si rem alienam consumpserit, in rebus sive licitis sive illicitis, et exinde ditior factus non sit, ad nihil tenetur: non ratione rei acceptae, quia amplius non existit; non ratione injustae consumptionis, quia bona fide possedit; non ratione contractus, quia nullus ex his supponitur.

III. Si vero rem alienam consumendo factus est ditior, quatenus *bonis suis pepercit, vel ex re aliena plus possidere reperit*, tunc restituere tenetur id in quo factus est ditior; - ratio, tum quia ipse in aequivalenti rem alienam retinet, tum quia ex re aliena nemo ditescere potest [2].

In dubio autem an ditior factus sit ad nihil tenetur, quia in dubio nemo tenetur re sua privari, et melior est conditio possidentis.

975. — *Q.* Possessor bonae fidei tenetur ne restituere fructus in bona fide perceptos?

R. — I. Possessor bonae fidei non tenetur restituere fructus *industriales,* nec *mixtos* qua parte industriae debentur; quia non sunt fructus rei, sed hominis, qui eos occasione rei vel per rem lucratus est.

2. Possessor bonae fidei *ex jure naturae* tenetur restituere omnes

[1] Cod. It., a. 701.

[2] S. Alph., L. III, 707; Cod. It., a. 1148.

fructus naturales, civiles, et mixtos qua parte ex natura proveniunt, deductis tamen expensis propriis et aestimatione laboris; - ratio, quia res ex natura sua fructificant domino. — *Ex jure civili* vero, *penes nos,* possessor bonae fidei suos facit omnes fructus bona fide perceptos, usque ad diem legalis reclamationis veri domini [1]. — An vero quisque tuta conscientia huic dispositioni juris civilis se conformare possit, disputant Th. et probabilius affirmant, quia talis dispositio bono publico favet, auferendo innumeras difficultates et querelas, quae jugiter circa fructus restituendos moveri possent [2].

976. — *Q.* Qui bona fide rem furtivam emit, et postea furtivam esse detegit, potest ne eam reddere furi ut pretium recuperet?

R.— 1. Si emptor moraliter certus sit furem domino rem restituturum esse, vel facile dominum eam recuperaturum a fure, certo potest eam furi reddere, quia sic sibi consulit, nec ullum damnum infert domino.

2 *In casu evictionis*, nempe si dominus compareat et ab ipso *rem suam repetat*, emptor non potest rem furi reddere, sed domino tradere tenetur, quia interveniente evictione, contractus resolvendus est, et aliunde res semper domino suo clamat. Et in hoc casu si emptor rem emerit in publicis nundinis, vel sub hasta, vel a mercatoribus rerum ejusdem generis, vel in gratia domini rem viliori pretio emerit, pretium solutum a domino repetere potest [3]; secus restituere tenetur etiam cum jactura sui pretii: in hoc tamen casu ipse jus in furem habet ut pretium suum recuperet.

3. *Extra casum evictionis*, nempe si dominus sit quidem cognitus, sed ob ignorantiam *rem suam non repetat*, tunc disput. Th. — *Prima sententia* negat posse eam reddi furi, quia res erepta e manibus furis jam adepta est meliorem statum, et ideo qui furi eam redderet, illam in deteriorem statum dejiceret, et sic injuriam domino irrogaret. — *Secunda* vero, juxta S. Alph. forte probabilior, affirmat, sive quia ex hoc non infert injuriam domino, rem enim in pristinum statum reponit; sive quia ipse habet jus ad bona sua recuperanda, neque ipsi interdicitur actio quae per se est necessaria ad proprium damnum reparandum, licet indirecte et per accidens alteri damnum eveniat [4].

Quod autem dictum est de emptore *bonae fidei*, plures cum S. Alph. sat probabiliter dicunt etiam de emptore *malae fidei*, de eo nempe qui scienter rem alienam emit a fure; - ratio, quia licet peccaverit rem alienam mala fide emendo, post emptionem tamen habet jus, aeque ac emptor bonae fidei, ad contractum rescindendum; et licet emptio fuerit domino injuriosa, nullum tamen damnum ipsi intulit, cum jam illatum extiterit per acceptionem furis [5].

[1] Cod. It., a. 703.

[2] *Gury*, I. 636; *Gousset*, I, 931; *Marc*, 937; etc.

[3] Cod. It., a. 709.

[4] S. Alph., L. III, 569.

[5] S. Alph., L. III, 570. — Quum ex dispositione legis civilis (Cod. It., a. 707) quoad *res mobiles* simplex possessio bonae fidei, etiam tantummodo incoepta, habeatur pro titulo proprietatis, hinc consequitur quod qui *bona fide* rem mobilem emit a fure vel a quocumque alio possessore malae fidei, non tenetur ex justitia commutativa illam restituere domino, *si iste eam non repetat*, etsi, postquam illam coepit possidere, cogno-

977. — *Q.* Possessor bonae fidei ad quid tenetur si rem furtivam, quam bona fide emit, alteri vendiderit?

R. — 1. *In casu evictionis*, venditor tenetur contractum rescindere; - ratio, quia haec venditio ex jure naturae irrita, est jure quoque positivo infirma, utpote actioni vindicationis domini intra biennium a die furti subjecta; unde emptor tenetur rem domino restituere, quia res ad ipsum clamat, et venditor tenetur pretium acceptum restituere emptori quia rem vitiosam ei vendidit.

2. *Extra casum evictionis*, Th. alii dicunt venditorem teneri pretium domino restituere. Alii vero probabilius dicunt ad nihil teneri: non ratione damni, cum non sit vera et proxima causa cur dominus sua re privetur; nec ratione rei cum illam non possideat. Neque valet dicere, quod licet non habeat rem *formaliter*, habet tamen aequivalenter in *pretio* pro ea accepto; nam in omni contractu venditionis, cum ex una parte transferatur dominium rei, ex altera vero dominium pretii, pretium non est amplius aequivalenter merces vendita, neque eam repraesentat, sed affert tantum obligationem pro venditore servandi indemnem emptorem in casu evictionis.

3. Quod si ex illa venditione factus est ditior, tunc an restituere teneatur in quantum factus est ditior, Th. negant si talis factus sit ex propria industria; si autem ex natura rei, tunc communiter affirmant [1]. Aliqui tamen etiam negant saltem si de re mobili agatur; nam quum propter possessionem bonae fidei illam rem ex dispositione juris civilis possessor suam fecerit, si quid in illius venditione lucratus sit, id ex alienatione rei propriae acquisivisse dicendus est [2].

978. — *Q.* Quid si quis rem alienam bona fide vendiderit, et illa in manibus emptoris perierit?

R. Si venditor rem habuerit *ex titulo oneroso*, probabilius ad nihil tenetur, nec ratione rei, nec ratione damni, ut supra diximus.

Si vero rem habuit *ex titulo gratuito*, tunc triplex datur sententia: *Prima*, quae est paucorum, tenet venditorem posse sibi pretium retinere, ob easdem rationes supra relatas. Et haec sententia, si de re mobili agatur, hodie ob legis civilis auctoritatem probabilissima est. *Secunda*, quae sat

scat rem non fuisse illius a quo illam emit; - ratio, quia illam rem emens in bona fide ut supponimus, bona fide coepit illam possidere, et quidem, in casu, possessione civili legitima, ideoque illam fecit suam vi legis ita disponentis, unde jam ut suam potest retinere, illa uti, eam vendere, donare, vel quovis modo distrahere, ni aliunde prohibeatur. Et potest, quin justitiam commutativam laedat, occulte illam possidere, vel consumere ad cavendum ne primus dominus repetat juxta facultatem sibi a lege tributam; non posset tamen domino comparenti, atque rem suam repetenti, mentiendo asserere rem non possidere, quando vere possideat, quin delinquat et re-

stituere teneatur, si ideo idem originarius dominus rem recuperare haud possit. Et hoc quod dictum est de emptore, dicendum de quocumque alio qui rem mobilem habuerit titulo apto ad transferendum dominium, sive titulus fuerit onerosus, ut v. g. permutatio, sive gratuitus, ut donatio, legatum (Cl. *Bertagna*, De restitutione, 60).—Ceterum qui rem amiserit, vel cui furata fuit, ex Cod. It. (a. 708) habet jus ipsam repetendi a quocumque rei amissae vel furatae detentore, detentor autem pretium rei ab illo, a quo ipsam accepit, repetere potest.

[1] S. Alph., L. III, 601, 800.
[2] *Marc*, 936, 2°.

probabilis est, tenet pretium domino restituendum esse. *Tertia*, e contra, quae probabilior videtur, tenet pretium emptori restituendum esse, quia, quum venditio invalida sit, emptor jus habet ad suam pecuniam recuperandam.

979. — *Q.* Ad quid tenetur possessor bonae fidei si rem alienam alteri donavit?

R. Possessor bonae fidei si rem alienam alteri donavit, alioquin nihil de proprio donaturus, ad nihil tenetur, quia rebus suis nullo modo pepercit. — Si vero alioquin aliud aequale aut minus fuisset donaturus, an illud aequale aut minus restituere teneatur, disput. Th. Communius affirmant, quia tunc rebus suis parcendo factus est ditior [1].

Recentiores vero non pauci, qui legem civilem attendunt, considerantes eum, qui rem bona fide a se titulo proprietatis acquisitam, et suam vi legis factam donavit, suum donasse, negant illum in hoc casu rebus suis pepercisse, ideoque ad restituendum non teneri asserunt. Attamen ratione caritatis, donans tenetur, si commode potest, monere donatarium, ut rem domino suo reddat; vel dominum, ut ita rem suam recuperare valeat.

§ 2°

De possessore malae fidei

980. — *Q.* Quisnam est possessor malae fidei, et ad quid tenetur?

R. Possessor malae fidei dicitur *ille qui possidet rem, quam scit esse alienam.*

I. Possessor malae fidei tenetur rem domino restituere, si extet, quia res clamat ad dominum, vel ejus pretium si res non extet, utpote injustus damnificator.

II. Tenetur restituere omnes rei fructus naturales et civiles, non vero industriales.

III. Tenetur dominum omnino servare indemnem, seu ei restituere lucrum cessans et damnum emergens [2], saltem in confuso praevisum. Hoc tamen intelligitur quando dominus habet plenum jus in re, quia si habet jus tantum ad rem, tunc solum tenetur possessor malae fidei pro rata spei quam dominus habebat efficiendi rem suam [3].

981. — *Q.* Possessor malae fidei habet ne jus ad expensas factas in bonum rei alienae?

R. — **1.** Possessor malae fidei habet jus ad expensas *necessarias* factas in bonum rei alienae, unde dominus tenetur ipsi eas refundere, quia alioquin ditesceret cum detrimento alterius.

2. Habet etiam jus ad expensas *utiles,* in quantum adaugent valorem rei, quia dominus ditescere nequit cum damno alterius: excipe 1° si possessor malae fidei expensas fecerit contra expressam domini voluntatem; 2° si a judice in poenam delicti ad ipsas amittendas fuerit condemnatus.

3. Quoad expensas *voluptuarias*, distinguendum est. Si illae sunt alicujus pretii respectu domini, aequum videtur ut hic refundat pretium, alioquin lucrum perciperet

[1] S. Alph., L. III, 609.

[2] Fur praeter pecuniam furatam tenetur restituere etiam id quod interest, si constet vel praesumatur quod dominus illud lucrum fuerat percepturus; secus vero *probabiliter* in contraria hypothesi. *Gury*, I, 649.

[3] S. Alph., L. III, 618.

cum detrimento alterius; secus dominus nihil debet, quia aequum non est ut cogatur ad solvendas expensas quae ipsi nihil prosunt[1].

982. — *Q.* Fur tenetur ne ad restitutionem si res furtiva apud ipsum perierit?

R. — 1. Si res peritura non fuisset apud dominum, fur certe valorem rei restituere tenetur, sive res perierit ex culpa sua vel alterius, quia ipse est vera et efficax causa damni; sive perierit sine culpa, quia rem furando totum illius periculum in se suscepit.

2. Si vero res *certe* pariter peritura fuisset penes dominum, tunc si peritura fuisset eodem casu eodemque periculo fur a restitutione liberatur, ut communiter tenent Th., quia licet furtum fuerit commissum cum injuria, haec tamen non fuit causa effectiva damni[2]. Si autem peritura quidem fuisset sed alio casu, vel alio tempore, tunc an fur ad restitutionem teneatur disput. Th. Alii affirmant, nam si peritura fuisset *antea,* fur illam servando, domino servasset, ideoque onus illam restituendi contraxisset; si *postea,* tunc eo instanti quo res penes furem periit, ipsi et non domino periit. Sed aliis aequius videtur, aut certe probabile quod a restitutione adhuc liberatur, quia reapse nullum damnum domino esset allaturus. — Dixi: *Si res certe peritura fuisset penes dominum,* nam in dubio quidam Th. putant integrum esse restituendum; et alii tantum pro rata dubii: illorum sententia juri, horum magis aequitati convenit[3].

983. — *Q.* Quid a fure restituendum casu quo res in ejus manu creverit, deinde decreverit?

R. — 1. Si dominus servaturus erat rem usque ad tempus incrementi, eoque tempore venditurus, fur tenetur restituere secundum illius incrementi valorem.

2. Si fur vendidit rem tempore incrementi, totum domino reddere tenetur, quia res domino suo crescit, nisi illud incrementum speciali furis industriae adscribendum sit.

3. Si vero fur vendidit rem tempore decrementi eodem tempore vendendam a domino, probabilius nonnisi secundum valorem, quo illam vendidit, restituere tenetur, quia nullum damnum attulit, et alias dominus ditior fieret ex re aliena, quod justum non est[4].

984. — *Q.* Quid si res aliena transierit per manus plurium malae fidei possessorum ex donatione aut venditione?

R. Quoad *rem,* ipsa restituenda est: 1° a detentore; 2° in ejus defectu, ab ejus raptore in aequivalenti; 3° ipsis deficientibus, ceteri per aequas portiones rei pretium solvere debent; et, ceteris deficientibus, quisque ad totum tenetur.

Quoad rei *fructus et damna,* singuli ad compensationem tenentur pro rata temporis quo unusquisque rem detinuit[5]. — Si autem ceteri pro sua damnificationis et fruitionis parte non compensent, unus-

[1] Inter expensas non sunt computandae quae factae sunt ob casus fortuitos, nec damna *per accidens* causata. Sic, v. g., si in colendo agro alieno perierint equi tui, valor equorum deduci nequit, sed tantum aestimatio laboris facti ab equis pro agri cultura.

[2] S. Alph., L. III, 617.

[3] *D'Annibale,* II, 240, 258. — Jure civili (Cod. It., a. 1298; Cod. Gal., a. 1302) quocumque modo res perierit, vel perdita fuerit, fur non eximitur ab obligatione restituendi ejus pretium. At expectare potest sententiam judicis.

[4] S. Alph., L. III, 621.

[5] *Gury,* I, 650.

quisque tenetur ad reparanda damna, non quae secuta sunt prius quam ipse fieret possessor rei alienae, sed quae postea.

985. — *Q.* Quid de ficto paupere qui eleemosynam extorquet?

R. Disting.: Si eleemosyna *parva* sit, fictus pauper eam restituere non tenetur, ut dicunt communiter Th., quia illa eleemosyna communiter censetur absolute data, licet postulans peccet se pauperem fingendo.

Si vero eleemosyna *magna* sit, ipsam restituere debet, quia intentio dantis non erat ipsam elargiendi ficto pauperi. — Disput. vero Th. utrum restituenda sit ipsi danti, an veris pauperibus, cum talis videatur dantis intentio.

§ 3°

De possessore dubiae fidei.

986. — *Q.* Quisnam est possessor dubiae fidei?

R. Possessor dubiae fidei est *ille qui positive dubitat an res quam possidet sit sua vel aliena.*

Hoc vero dubium suboriri potest vel in *principio possessionis,* cum quis in actu quo acquirit rem dubitat an sit sua; vel in *decursu possessionis,* cum quis, postquam bona fide rem acquisivit, incipit dubitare an sit propria.

987. — *Q.* Possessor dubiae fidei ad quid tenetur?

R. Possessor dubiae fidei tenetur:

1. Debitam diligentiam, pro rei qualitate, adhibere ad dubium dilucidandum ; - ratio, quia secus ex culpabili negligentia periculo se exponeret rem alienam retinendi, aut ex re aliena ditiorem se faciendi. — Quod si ab initio dubium purificari nequeat, et res sit usu consumptibilis nec diu servari possit, eam consumere licet. Si non sit usu consumptibilis, possessor poterit illa re uti tamquam bonus paterfamilias, et fructus ex ea recipere: semper tamen in utroque casu animo paratus domino comparenti rem restituere si extat, secus in aequivalenti.

2. Adhibita debita diligentia, si dubium perseverat, tunc: *Primus,* nempe qui rem acquisivit cum dubio an fuisset alterius, juxta aliquos Th. tenetur ad totam rem reddendam uni vel alteri de quo dubitat an ejus sit, vel pauperibus, si persona ignoretur. Sed probabilius, juxta alios tenetur ad rem dividendam pro rata dubii, cum ex una parte non faveat illi possessio incoepta cum dubia fide, et ideo nequit rem sibi totam retinere ; ex altera, aequum non videtur ipsum teneri totam restituere, cum dubitet an res sit propria [1].—*Secundus,* nempe qui bona fide rem acquisivit, communius et probabilius rem potest sibi retinere, quia ei favet regula juris : *In dubio melior est conditio possidentis.*—Quod si talis secundus possessor culpabiliter omittat debitam diligentiam ad dominum inveniendum, tunc an aliquid restituere teneatur disput. Th. *Prima sententia* cum S. Alph. [2] tenet aliquid esse restituendum pauperibus pro rata spei quam habere potuisset dominus rem suam recuperandi ; quae spes, generatim, pretii medietatem non attingit, sed multo minoris est valoris. *Secunda sententia* dicit quod,

[1] S. Alph., L. III, 625.

[2] S. Alph., L. III, 589.

licet ipse peccaverit diligentiam omittendo, tamen ad nihil tenetur, cum ex una parte damnum illatum dubium sit, et ex altera ipse adhuc retineat jus possessionis bona fide acquisitum [1].

ART. II.

De secunda radice restitutionis, ex injusta acceptione, seu damnificatione.

988. — *Q.* Quotnam modis quis alterum damnificare potest, eique injuriam inferre?

R. Duplici modo quis alterum damnificare potest, eique injuriam inferre: 1° *Immediate per se ipsum,* v. g. aliquid propriis manibus proximo surripiendo; 2° *mediate per alios,* alienae damnificationi cooperando, v. g. alicui suadendo ut aliquid proximo surripiat.

§ 1°

De injusta damnificatione immediata.

989. — *Q.* Quid requiritur ut adsit injusta damnificatio?

R. Ut adsit injusta damnificatio, quae restitutionis obligationem importet, jure naturae hae tres conditiones simul requiruntur: — 1ª Ut actio sit *culpabilis,* seu cum culpa vel theologica vel juridica [2]. — 2ª Ut actio sit *injusta* non solum in intentione, sed in se, quae nempe jus strictum alterius violet. — 3ª Ut actio sit *causa efficax* damni, nempe ut actio per se et propria vi, vel physice vel moraliter, influat in damnum; quod evenit quando quis voluntarie et scienter actionem ponit, quae ex natura sua vel ex circumstantiis strictam habet connexionem cum damno, ita ut damnum sit verus effectus illius actionis. — Quare non sufficit: 1° causa *occasionalis* damni, quae connexionem non habet cum damno nisi ex alterius malitia, seu quae nec physice nec moraliter influit in damnum, sed cujus tantum occasione alter se determinat ad damnum inferendum; 2° nec sufficit causa *accidentalis* damni, quae in agentis mente probabilem connexionem non habuit cum damno *per accidens* secuto, nam damnum ne in confuso quidem praevisum nullomodo est voluntarium, ideoque imputari non potest [3].

990. — *Q.* Qui pravo suo exemplo alios induxit ad damnum inferendum tenetur ne ad restitutionem?

R. Th. communius et probabi-

[1] Si quis rei possessionem inierit nihil dubitans, ipsam retinere posse communissima sententia est, quia in dubio melior est conditio possidentis. Sin dubitans, dubio practico inquam, pene communissima sententia docet rem esse restituendam, saltem pro rata dubii. Ita porro cum de ipsa possessione controvertitur, idest cum non satis apparet, uter sit in possessione, actor an reus; at cum de proprietate movetur quaestio, vereor ne vera sit haec sententia. Ceterum, si is eo animo sit, ut velit ejus (quasi interim precario illam possideat) domino quandocumque apparuerit, rationem reddere, licite possessionem retinet, capit. *D'Annibale*, II, 121.

[2] Culpa est delictum vel quasi-delictum. — *Delictum* est factum hominis culpabile, ex quo alter damnificatur, positum cum directa damnificandi intentione uti esset injustus contractus, furtum, rapina.

Quasi-delictum vero est factum hominis culpabile quidem, utpote ex culpabili ignorantia aut negligentia, et quo alter damnificatur, sed positum absque directa nocendi intentione; ut si quis ex defectu debitae scientiae, vel ex omissione debitae diligentiae munere suo non bene fungitur. Hoc autem quasi-delictum potest esse cum culpa gravi vel levi pro casibus.

[3] Vid. *Marc*, n. 949.

lius dicunt, seclusa conspiratione, ad restitutionem non teneri, licet praeviderit sui pravi exempli efficaciam; - ratio, quia pravum exemplum non est causa efficax damni, sed solum causa occasionalis; et aliorum malitiae tribuendum est, si quis ad damnum inferendum determinatur. — Secus tamen dicendum si exemplum indueret naturam consilii vel mandati, v. g. si dux militum inciperet praedari [1].

991. — *Q.* Quotuplex distinguitur culpa in damnificatione?

R. In damnificatione duplex culpa distinguitur: theologica et juridica.

Culpa *theologica* est quae verum continet peccatum, quando nempe quis cum cognitione et advertentia sufficienti ad peccatum, damnum alteri infert; et haec culpa potest esse mortalis aut venialis.

Culpa *juridica* est omissio diligentiae quam jura et leges requirunt, et ex cujus omissione damnum alteri infertur; et haec sine culpa theologica esse potest.

Culpa juridica triplex est: Lata, levis, levissima. — *Lata* est omissio diligentiae quam adhibere solent homines diligentes; — *levis* est omissio diligentiae quam adhibere solent diligentiores; — *levissima* est omissio diligentiae quam adhibere solent diligentissimi.

992. — *Q.* Ex quanam culpa oritur obligatio restitutionis?

R. — I. Extra contractus obligatio restitutionis non oritur nisi ex culpa theologica; - ratio, quia ubi deest culpa theologica, deest et injuria alteri illata, ex qua sola oritur onus restitutionis,

[1] S. Alph., L. III, 537.

2. In contractibus vel quasi-contractibus, certum est contrahentes ad restitutionem teneri duobus in casibus: si adsit specialis conventio restituendi etiam absque ulla culpa sive theologica sive juridica, quia conventio obligationem in conscientia jure naturae inducit; vel seclusa speciali conventione, si adsit sola culpa juridica et data sit sententia judicis.

Seclusis his casibus, an in contractibus ad onus restitutionis sufficiat sola culpa juridica, disput. Th. — *Prima sententia* affirmat, et dicit obligationem oriri ex sola culpa juridica, et si contractus vel quasi-contractus est in commodum solius accipientis, ut in commodato, commodatarium teneri etiam ex culpa levissima; si in commodum solius dantis, ut in deposito, depositarium teneri tantum ob culpam latam; si in commodum utriusque partis, damnificantem teneri etiam ob culpam levem. — *Secunda sententia* communior negat, et dicit in contractibus vel quasi-contractibus neminem teneri in conscientia ad restitutionem ob solam culpam juridicam, nisi adsit etiam culpa theologica, quatenus nempe illa diligentiae omissio fuit culpabilis; - ratio, quia ut conscientia obligata remaneat opus est ut in conscientia sit patratum delictum [2].

993. — *Q.* Qui inculpabiliter causam damni posuit, sed postea illud non impedivit, tenetur ne ad restitutionem?

R. Distinguo: — I. Si quando rem advertit damnum jam obvenerat, ad nihil tenetur, quia damnum secutum non est voluntarium nec in se nec in causa.

[2] S. Alph., Hom. Ap. T. X, 30.

2. E contra si rem advertit quando damnum nondum secutum erat, et illud poterat impedire, certe tenetur ad restitutionem, quia cum quisque teneatur ex justitia impedire ne actio sua etiam materialiter tantum injusta sit proximo damnosa, debet quoque ex justitia impedire, si potest, ne effectus malus ex actione sua sequatur, aut secutus perseveret; secus talis effectus esset ei imputabilis. Ita Th. communiter [1]. Unde, v. g. pharmacopola qui venenum pro medicina vendidit, cognito errore, ex justitia emptorem monere tenetur.

994. — *Q.* Qui culpabiliter causam damni posuit, sed antequam causa effectum suum producat facti eum poenitet, tenetur ne ad restitutionem?

R. Si tantum poenitet, certe restituere tenetur. — Si vero quantum potest curat ne effectus seu damnum sequatur, tunc distinguo: si posuit causam physicam, et damnum fuerit determinatum et in confuso saltem praevisum, certe tenetur; quia per retractationem voluntatis non tollitur quod effectus sequutus voluntarius sit in causa. Sic, v. g., si quis alteri venenum propinet, quod nonnisi post quoddam tempus effectum habiturum sit, et interim velit effectum veneni impedire, sed non possit, mors illi nihilominus imputabitur [2]. Si autem posuit causam moralem, v. g. consilium injustum dedit, et causam moralem sufficienter retractavit, tunc an teneatur dicetur inferius.

995. — *Q.* Ad obligationem damnum reparandi sufficit ne injuria *materialis* aut requiritur *formalis*?

[1] S. Alph., L. III, 564.

R. — **1.** Theologi conveniunt adesse obligationem damnum reparandi si error fuit *vincibilis*, ideoque culpabilis, quando nempe subortum est dubium saltem in confuso de errore circa rem vel personam damnificandam, nec debita diligentia adhibita est ad dubium purificandum; est enim injuria formalis cum tali dubio operari, quum proximus sit in certa sui juris possessione.

2. Item si error quidem fuit invincibilis quoad personam sed animus damnificantis erat principaliter intentus ad damnificandam rem, non ejus dominum, ita ut damnificans animo dispositus fuisset ad damnum pariter inferendum, etiamsi res ad alium quemcumque spectasset, quia in hoc casu animus damnificantis non erat Titio potiusquam Cajo nocendi, sed rem damnificandi, et consequenter ejus dominum; ideoque error circa personam fuit solum accidentalis, et injuria erga dominum non solum materialis, sed etiam formalis.

3. Si autem ex una parte error circa *personam* fuit omnino *invincibilis*, et ex altera animus damnificantis erat principaliter intentus ad dominum damnificandum non ipsam rem, ita ut damnificans nullomodo damnum intulisset si errorem cognovisset, tunc an teneatur ad damnum reparandum gravissima est quaestio inter Th., et duplex datur sententia:— *Prima*, quae est magis communis affirmat adesse obligationem damnum reparandi; quia omnis actio contra justitiam, executioni mandata cum advertentia, parit onus restitutionis; nec excusat error personae domini, cum talis

[2] *Gury*, I, 663.

error sit tantum circa qualitatem, non circa substantiam.—*Secunda*, quae est S. Alph., De Lugo, Sporer, La Croix [1], etc., negat adesse talem obligationem, quia error circa personam esset essentialis, modo damnificans nullo modo intenderit, ne confuse quidem, damnum alteri inferre; quia ad restitutionem, sicut non sufficit injuria tantum affectiva, seu opere externo non completa, ita nec sufficit injuria solum materialis et effectiva sine animo, sed requiritur una simul tum injuria effectiva seu materialis, tum affectiva seu formalis, scilicet *voluntarie injuriosa in eum qui laeditur*. Quare *in praxi*, stante duplici sententia, possessori favendum erit [2].

996.—*Q.* Culpa venialis obligat ne ad restitutionem?

R. Si culpa est venialis *ex parvitate materiae*, certe obligat ad restitutionem, sed solum sub levi.

Si vero est venialis *ex imperfectione actus*, seu ratione imperfectae advertentiae vel non pleni consensus, tunc triplex datur sententia. *Prima* dicit totum damnum reparandum esse. *Secunda* solum pro ratione culpae [3]. *Tertia* vero, communior et probabilior, dicit ad restitutionem nec sub culpa gravi nec sub culpa levi obligationem adesse: non sub gravi, quia obligatio gravis in casu proportionem non habet cum culpa levi; non sub levi, quia levis obligatio proportionem non habet cum re

[1] S. Alph., L. III, 629; *D'Annibale*, II, 232; *De Lugo*, 17,77.

[2] Cl. Frassinetti (n. 190, nota 69) putat sententiam S. Alph., De Lugo, D'Annibale, etc., carere omni fundamento, asserens inter sententias ab Ecclesia non damnatas, nullam invenisse adeo improbabilem.—Praeterea, addit, illa sententia delictum fovet in damnum innocentis.—Et ut contrariam sententiam veram probet, exemplum refert Titii qui, quum Cajum clericum percutere volens ex errore Sempronium clericum percusserit, excommunicationem certe, errore non obstante, incurrit.

Resp.: Quod sententia S. Alph. et aliorum plurium Th. claro Frassinetti et aliis non paucis videatur omni fundamento destituta, ideoque improbabilis, transeat. Quod talis reapse sit, nego. Et sane: ut aliqua actio onus restitutionis importet non sufficit ut sit injusta materialiter tantum, sed requiritur ut sit injusta etiam formaliter. Sed juxta S. Alph. non sufficit ut hae duae conditiones, materialitas nempe et formalitas actionis, quocumque modo simul coalescant, sed requiritur quod ita simul coalescant ut unum actum moralem completum et perfectum constituant; sicut ad hominem efficiendum non sufficit anima et corpus, sed necesse est ut anima corpori uniatur, illudque informet et vivificet. At vero, posito animo non principaliter rem, sed principaliter personam damnificandi, et posito errore omnino invincibili circa personam, illae duae conditiones, materialitas et formalitas, una ab altera ita in individuo sejunctae manent ut unum actum moralem non amplius constituant; injuria enim materialis directa quidem erat contra amicum, sed injuria formalis ita directa erat contra inimicum ut amicum omnino excluderet, unde illa actio contra amicum, ex parte qua est formalis, esset omnino involuntaria. — Docere autem sententiam S. Alph. delictum fovere in damnum innocentis, idem esset ac docere delictum fovere quamcumque sententiam quae a restitutione excusat quando certa non est obligatio. — Exemplum Titii ad rem nullomodo facit; Ecclesia enim excommunicatione plectit qui volens Cajum clericum percutere ex errore Sempronium pariter clericum percutit, quia ipsa non personam, Cajum vel Sempronium, sed coetum clericalem tueri vult; unde comparatio a casu nostro omnino aliena est.

Ceterum, ipsemet cl. Frassinetti convenit quod sententia S. Alph. notabilem probabilitatem extrinsecam ex auctoritate ejusdem S. Doctoris certe habet; ideoque confessario licere hanc sententiam *in praxi* sequi, et absolvere poenitentem qui bona fide eam tenet.

[3] Vid. *Gury*, I, 665.

objective gravi prout supponitur. Ita De Lugo, S. Alph., etc. [1].

997. — *Q.* Quid si culpa objective venialis conjuncta sit cum animo graviter nocendi?

R. Th. communiter dicunt hujusmodi malum animum non inducere majorem restitutionis obligationem, quia onus restitutionis provenit ex actione efficaciter damnificativa, dum haec prava interna affectio nullo modo in damnum efficaciter influit; ergo... [2].

998. — *Q.* Quid in dubio utrum culpa fuerit mortalis, an venialis?

R. Th. dicunt ante omnia dubium esse purificandum. — Quod si purificari nequit, tres adsunt sententiae. *Prima* judicat in favorem innocentis, scilicet damnificati, ideoque ad totius damni reparationem obligat. *Secunda* dicit ad restitutionem teneri pro rata dubii, quia aequum non est ut innocens totum damnum subeat, nocens vero liberetur. *Tertia* autem judicat in favorem possidentis, scilicet damnificantis, quem ad nihil teneri putat, quia, stante diversa Th. sententia, obligatio certa non est, ideoque in dubio melior est conditio possidentis.

Ceterum communiter advertunt Th. raro *in praxi* contingere quod grave damnum obveniat ex culpa levi, quia licet venialis inconsideratio frequens sit in internis animi motibus, et in externis rebus parvi momenti, raro tamen adesse potest in rebus externis magni momenti, quia ordinarie hae fortius mentem excitant ad rei considerationem, vel saltem ad confusam periculi praevisionem.

999. — *Q.* Tenetur ne ad restitutionem qui dubitat an proximum damnificaverit?

R. Praemitto: Dubium in hoc casu potest esse: 1° An quis actionem damnificativam posuerit; 2° an, posita actione, damnum reapse secutum sit; 3° an actio posita fuerit causa efficax damni, vel solum causa occasionalis vel accidentalis. Hoc posito:

1. Th. conveniunt quod dubitans tenetur, si potest, dubium purificare.

2. Si dubium purificare nequit, tunc in 1° et 2° dubio Th. communius et probabilius dicunt ad restitutionem non teneri, quia non praesumitur actio, nec ejus influxus in damnum, nisi probetur; unde in dubio nemo re sua spoliandus est, ex noto principio: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet;* in 3° dubio vero Th. alii dicunt teneri ad totum; alii ad nihil; et alii pro rata dubii.

1000. — *Q.* Damnificator tenetur ne de damnis quae ex injusta sua actione alteri obvenerunt ob falsam imputationem illius injustae actionis?

R. **1.** Si agatur de ipsis damnis alteri per errorem imputatis certe tenetur, quia ipse et non alius est causa culpabilis, injusta et efficax illorum damnorum.

2. Si vero agatur de damnis quae innocenti obvenerunt occasione hujus falsae imputationis distinguo: 1° Si damnificans talem errorem nullomodo praevidit ne in confuso quidem, certe non tenetur. — 2° Si praevidit quidem, sed ejus actio causam probabilem non dedit illi falsae imputationi, tunc probabilius de damnis non tenetur, etsi illud damnum intenderit,

[1] S. Alph., L. III, 552.

[2] S. Alph., L. III, 551.

quia in hoc casu damnum non esset per se ex delicto patrato, sed *per accidens* ex aliorum errore, quem prava delinquentis intentio nullomodo parit. — 3° Si e contra delinquens causam probabilem falsae imputationi dedit, utendo mediis ex quibus ob strictam connexionem judicium oriendum erat contra alterum, v. g. si indutus vestibus illius aliquem occiderit, tunc restituere tenetur; - ratio, quia causam injustam et efficacem posuit damni illius cui delictum tribuitur, cum talis imputatio nonnisi ex facto injurioso delinquentis oriri potuerit [1].

§ 2°

De injusta damnificatione mediata seu de cooperatione ad damnum.

1001. — *Q.* Quinam sunt injusti cooperatores, et quotnam recensentur?

R. Injusti cooperatores sunt qui in damnum alterius influunt per alium, vel saltem cum alio.

Novem ordinarie cum S. Th. recensentur hisce versiculis comprehensi:

Jussio, consilium, consensus, palpo,
recursus,
Participans, mutus, non obstans,
non manifestans.

Sex priores dicuntur cooperatores *positivi*, eo quod actu positivo cum damnificatoribus physice participant, vel alios physice aut moraliter movent et excitant ad damnum inferendum. Tres vero posteriores dicuntur *negativi*, quia non impediunt damnum quod impedire possunt et debent ex justitia.

1002. — *Q.* Quotuplici modo quis in damnum alterius influere potest?

R. Duplici modo quis in damnum alterius influere potest: 1° in ipsam substantiam damni; 2° in modum damnum inferendi.—Dicitur quis influere *in substantiam damni*, si aliquem inducit ad damnum inferendum, vel si personam determinet cui damnum inferatur. — Dicitur vero *in modum*, si personae, jam per se determinatae ad damnum inferendum, tantum suadet ut damnum hoc vel illo modo, hoc vel illo tempore inferat. — Attamen si modus ita animum damnificantis afficiat ut efficaciter in ejus pravam voluntatem influat, v. g. si quis modum suadeat ea obstacula removendi, quibus damnificator a nocendo deterreretur, tunc talis modus, v. g. talis suasio in substantiam damni influit.

1003. — *Q.* Cooperatores in damnum tenentur ne ad restitutionem?

R. — I. Omnes qui ad damnum proxime cooperantur, si eorum actio fuerit theologice culpabilis, injusta et causa efficax damni, ad restitutionem tenentur.—Unde ab Innocentio XI damnata fuit haec propositio: *Qui alium movet vel inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.*

II. Cooperatores ad restitutionem tenentur *prout influxerint* in damnum; hinc si efficaciter in totius damni substantiam influxerint, ad totius damni reparationem tenentur; et si ad partem cooperati sunt, ad partem tenentur. — Si vero tantum in modum, tunc

[1] S. Alph., L. III, 635, 636.

obligantur in quantum modus seu circumstantia, quam suaserunt, fuit proximo damnosa.

I. — *De Cooperatoribus positivis*

1004. — *Q.* Quis est *mandans (jussio)*, et ad quid tenetur?

R. Mandans dicitur *ille qui alium jussione, precibus vel aliis mediis inducit ut suo nomine damnum alicui inferat.* — Ille vero qui in alterius gratiam damnum infert, dicitur *mandatarius.*

Duplici autem modo mandans dare potest mandatum : 1° *Expresse,* si verbo, scripto, vel nuntio explicite mandatario damnum inferre praecipit ; 2° *tacite,* si nutu, signo vel alio modo suam voluntatem ostendit, dum saltem in confuso praevidet suum tacitum mandatum ab aliis acceptum iri. — Sic tacite mandare praesumitur pater vel herus, qui filio vel servo significant sibi gratam fore hostis sui occisionem, vel coram iis conqueruntur neminem injuriam sibi factam ulcisci.

I. Mandans, sive expressus sive tacitus, tenetur ad omnia damna quae ex executione sui mandati secutura saltem in confuso praevidit ; - ratio, quia est causa primaria et efficax ipsorum.

II. Tenetur insuper de damnis quae mandatarius passus sit, si hic per dolum fuit inductus, vel per vim aut metum coactus, non vero si libere et sponte mandatum suscepit ; - ratio, quia in primo casu mandans est vera causa damnorum mandatarii, non vero in secundo.

III. Mandans, si ante executionem mandati expresse vel tacite, dummodo sufficienti modo, illud revocaverit, et mandatario revocatio innotuerit, ita ut omnem causam, vi cujus alter motus fuit ad damnum inferendum, abstulerit, amplius non tenetur de damno quod, spreta revocatione, secutum fuerit ; - ratio, quia damnum in eo casu exequentis malitiae unice tribuendum esset. At si revocatio mandatario non innotuerit, quamvis mandans omni cura illam studuerit manifestare, tamen non liberatur a restitutione, quia in hoc casu semper est causa efficax illius damni, et in actu jussionis theologice culpabilis.

IV. Mandans, si omnibus inspectis, mandatum amplius revocare nequeat, tenetur ex justitia monere laedendum ut sibi caveat, et hoc licet cum suo gravi damno, et etiam aliqualiter majori. At si damnum ex monitione secuturum longe majus esset damno alterius, potest quidem monitionem omittere, sed a restitutione non liberatur. Imo si damnum alterius bona tantum fortunae attingat, et mandans possit et velit damnum compensare, obligatio monendi eum qui damnum passurus est mitior evadit.

1005. — *Q.* Quid si mandatarius fines mandati excesserit, vel erraverit circa personam quam damnificare jussus est?

R. Si mandans talem excessum vel errorem nullomodo praeviderit, ne in confuso quidem, certe non tenetur de damno ex tali excessu vel errore secuto, quippe omnino involuntario.

Si vero talem excessum vel errorem praeviderit saltem in confuso, tunc Th. communiter dicunt de damno teneri, quia talis excessus vel error ejus malitiae esset tribuendus. — Sunt tamen qui putant mandantem non teneri de

excessu vel errore in quem mandatarius incurrerit, si natura mandati talem excessum vel errorem ne implicite quidem postulabat; nam si mandatarius libere egit, excessus vel error malitiae ipsius est tribuendus, nec praevisio mandantis mutat naturam actionis, unde mandatum in casu non esset causa, sed solum occasio excessus vel erroris.

1006. — *Q.* Quis est *consulens* (*consilium*), et quotuplex consilium?

R. Consulens dicitur *qui consilio, vel precibus, vel promissis, vel instructione alium efficaciter inducit ad damnum inferendum.*

NOTA: Inter mandantem et consulentem hoc intercedit discrimen, quod mandans alium inducit ad damnum inferendum in gratiam sui ipsius; dum consulens inducit in gratiam executoris.

Consilium duplex est: *Doctrinale*, quo quis pronuntiat de bonitate vel mali ia, de justitia vel injustitia alicujus actionis; *impulsivum*, seu *auctoritativum*, quo, cognita actionis justitia vel injustitia, illam suadet.

1007. — *Q.* Consulens ad quid tenetur?

R. — I. Consulens ad reparationem damni tenetur quoties dedit consilium injustum, graviter culpabile, quod fuerit causa efficax damni; ratio, quia tunc damnum est ipsi imputabile.

II. Non tenetur vero si ille, qui consilium accepit, jam de se determinatus erat ad malum inferendum; quia tunc consilium non influxit efficaciter in damnum, quamvis huic persuaseris ut *aliud* damnum, vel ut *citius* inferret [1]; nisi quatenus forte vel illud gravius fuerit, vel damnum serius datum non fuisset [2].

1008. — *Q.* Consulens si ante damnum illatum consilium suum revocet, est ne liber a restitutione?

R. Th. communiter sic distinguunt: Si revocando consilium, abstulerit totum motivum et causam, vi cujus alter motus fuit ad damnum inferendum, liber est. — Si vero revocatio consilii non omnem aufert nocendi rationem, puta si quis non solum furtum consuluit, sed etiam modum ostendit domum ingrediendi, quem modum fur certe non invenisset, tunc probabilius consulens non liberatur a restitutione, quia, non obstante consilii revocatione, adhuc existit causa efficax damni, quod sequitur.

Ceterum si consulens nequit amovere executorem a damno inferendo, tenetur laedendum monere ut sibi caveat, prout dictum est de mandante [3]. Circa quod advertendum est: Si consulens non potest damnum impedire, quia nihil agere potest penes eum qui, malo consilio accepto, damnum inferre molitur, haec monitio obligat ex justitia. Si vero pravum consilium ita revocavit, ut omnem abstulerit nocendi rationem, etsi qui consilium habuit ex propria malitia persistat in malo proposito concepto ex consilio, monitio probabiliter obligat tantum ex caritate, ut ex dictis colligi potest.

1009. — *Q.* Tenetur ne ad restitutionem qui ob ignorantiam pravum dedit consilium?

[1] *Aliud*, puta si volenti furari a Sejo *bovem* persuaseris ut *equum* potius furetur, nam commutationis auctor videris, non damni. *D'Annibale*, II, 204 (13).

[2] Puta si is qui damnum dedit medio tempore fato suo functus sit, aut cum eo quem laesit redierit in gratiam.

[3] S. Alph., L. III, 559.

R. — **1.** Qui ratione officii vel professionis consilia praebet, uti parochus, confessarius, advocatus, medicus, etc., et consilium dat circa ea quae ejus muneris sunt et tanquam suum officium exercens, tunc si ob ignorantiam graviter culpabilem, vel notabilem negligentiam, vel iniquam obsequentiam damnosum consilium dat, tenetur de injusto damno ex consilio secuto sive erga petentem consilium, sive erga illum contra quem datur; - ratio, quia vere decipit, cum ex officio teneatur et scientiam habere, et diligentiam ponere muneri suo convenientem.

2. E contra si talis consulens noscatur ut rudis, vel dum consilium praebet dicit se dubitare, et monet ut alii consulantur, vel est persona privata, et bona fide pravum dat consilium, non tenetur de damnis *erga petentem consilium*, quia haec imputanda sunt ei qui imprudenter sequitur ejus consilium; nec *erga tertium*, nisi propriam imperitiam noverit et damnum saltem in confuso praeviderit.

3. Consulens qui noxium consilium dedit, etsi inculpabiliter egerit, tamen cognita veritate tenetur illud retractare, certe saltem ex caritate, et juxta plures etiam ex justitia, quia quisque tenetur curare ne actio sua in proximi damnum vertat[1].

An vero peccet qui minus malum consulit, v. dicta n. 456.

1010. — *Q.* Quis est *consentiens* (*consensus*), et ad quid tenetur?

R. Consentiens dicitur *ille qui sua approbatione, favore, suffragio damnum tertio efficaciter infert.*

Consentiens quoties scienter et libere dat consensum efficacem in damnum alterius, illud reparare tenetur; - ratio, quia est causa efficax illius. — Hinc ad restitutionem tenetur qui bello iniquo, legi injustae, electioni indigni per suffragium efficaciter consentiunt et concurrunt.

1011. — *Q.* Consentiens tenetur ne ad restitutionem quando res pluralitate votorum conficitur?

R. Distinguendi sunt varii modi quibus dari possunt suffragia:

1. Si suffragia dentur *eodem tempore,* vel *scrutinio secreto,* tunc omnes concurrunt per modum unius, ac proinde omnes pariter ad restitutionem tenentur[2].

2. Si vero dentur *vicissim et viva voce,* qui *primi* dant suffragia certe tenentur, etiamsi praevideant alios consensuros fore, quia vere influunt in damnum. — Qui vero suffragium dat *inter ultimos*, et postquam res sufficienti votorum numero jam decreta est, pariter tenetur si cum aliis convenit de dando suffragio, ita ut unam causam cum illis conficiat; secus disput. Th.: alii dicunt ad restitutionem teneri; sed alii sat probabiliter negant, saltem si suffragia sint irrevocabilia, quia in hoc casu nullomodo esset causa damni.

3. Quoad illum vero qui a suffragio dando se abstinet, videndum est: Si per justum suffragium damnum avertere non potest, non peccat, nec ad aliquid tenetur. Si vero potest, certe peccat contra caritatem, imo et contra justitiam si stricto onere ad suffragium dandum tenebatur[3].

[1] S. Alph., L. III, 564.

[2] Qui bona fide suffragium injustum dedit, detecto errore, tenetur si potest, et quidem ex justitia, illud revocare. *Marc*, I, 974.

[3] S. Alph., L. III, 566; *Gury*, I, 683

1012. — *Q.* Quis est *palpo*, et quandonam ad restitutionem tenetur?

R. Palpo, seu *adulator*, *est ille qui laude, adulatione, aut vituperatione alium inducit, vel animum addit ad damnum alicui inferendum.* — Palpo est velut consulens qui laude vel adulatione suum consilium fulcit.

Palpo tenetur ad restitutionem quoties saltem in confuso damnum praevidit, et simul actio sua vere et efficaciter in damnum influit, licet directe non intenderit [1]. — Hinc qui alium inducit ad damnum inferendum, proponendo laudem, aut secus ignominiam secuturam, de damno illato tenetur. Item qui homini injuria affecto ita repraesentat hujus injuriae magnitudinem ut ille commotus vindictam sumat, de damno tenetur, modo adverterit saltem probabiliter damnum secuturum esse.

1013. — *Q.* Quis est *receptans (recursus)*, et ad quid tenetur?

R. Receptans dicitur *ille qui alteri securitatem, commoditatem, protectionem, etc. praebet vel ad damnum inferendum, vel ne illatum reparetur.* — Unde patet hoc nomine non comprehendi qui damnificatorem post patratum delictum recipit vel occultat ex commiseratione vel amicitia, ne capiatur.

Receptans ad restitutionem tenetur semper ac receptatio efficaciter influit in damnum factum vel faciendum. — Hinc tenetur qui scienter ac libere latroni assecurationem praebet, si inde latro ansam ad nocendum sumeret; item qui res furtivas a servis vel a filiis-familias, invitis omnino dominis vel parentibus, recipit in pretium compotationum, ludi, etc.; nec non qui res furto sublatas occultat, vel emit, vel curat ut vendantur. — Sed non tenetur si, post furtum factum, furem tantum recipit, vel ad fugam coadjuvat, modo tamen sic faciendo causa non sit ut fur nova furta peragat [2].

1014. — *Q.* Quisnam dicitur *participans*, et ad quid tenetur?

R. Participans dicitur *ille qui concurrit cum alio in praeda surripienda, vel in crimine patrando.*

I. Participans *in praeda*, si concurrit bona fide, tenetur solum restituere in quantum factus est ditior, nisi et hoc possit sibi retinere aliquo titulo ex iis qui numerati sunt ubi de possessore bonae fidei. — Si vero mala fide participavit, tenetur ad totum quod ratione concursus retinet vel consumpsit, prout de possessore malae fidei dictum est.

II. Participans *in crimine* ad restitutionem tenetur in quantum actio sua injusta in damnum efficaciter influxit. — Hinc: Si crimen non fuit communi consensu et conspiratione perpetratum, tenetur solum ad quantitatem damni personaliter illati. — Si vero crimen communi conspiratione perpetratum est, distinguo: Si objectum criminis est *divisibile*, uti thesaurus, vinea etc., motor principalis tenetur ad totum, cooperatores vero tantum ad partem suam. Quod si desit motor principalis et omnes invicem ita se excitaverint ad damnum, ut, uno deficiente, nemo damnum intulisset, singuli *in solidum* tenentur. Si autem objectum criminis est *indivisibile*, uti in occisione hominis,

[1] S. Alph., L. III, 567.

[2] S. Alph., L. III, 568.

incendio domus, etc., et omnes ita fuerunt participantes ut sine unius concursu damnum non evenisset, tunc certe omnes tenentur *in solidum,* quia quilibet est causa moralis totius damni. Si quis vero tali quidem crimini participat, ita tamen ut sine ejus concursu damnum pariter obvenisset, tunc disput. Th.. Alii in solidum teneri dicunt; sed alii etiam probabiliter dicunt illum in tali casu teneri tantum ad suam partem; ratio, ut ait Lugo, quia cum obligatio restitutionis pendeat ab influxu seu causalitate in damnum, obligatio non debet esse major quam ipse influxus; ergo sicut partialiter quis concurrit, ita partialiter tantum obligatur [1].

1015.—*Q.* Participans ad furtum ex metu gravi tenetur ne ad restitutionem?

R. Theologi inter se dissentiunt:

I. Alii distinguunt inter actiones proxime et remote in furtum influentes: *proxime influentes* dicunt esse, v. g., fores effringere, incendere domum, claves falsas conficere, res furtivas per fenestras ejicere, etc.; *remote influentes,* v. g., scalam tenere furi ascendenti, tradere illi claves vel instrumenta ad reserandam arcam, deferre praedam jam ablatam, et similia. Et juxta hanc distinctionem tenent actiones proxime influentes nec a culpa nec a restitutione excusari, quia sunt intrinsece malae; excusari vero actiones remote influentes, quia per se sunt indifferentes.

2. Alii Th., praedictam distinctionem rejicientes, dicunt quod participans ex metu per aliquam ex praefatis actionibus, non peccat, nec ad restitutionem tenetur.

3. S. Alph. vero sic quaestionem solvit: Si participans adjuvat furem ad inferendum damnum solum ex metu damni in bonis *ejusdem ordinis,* tunc peccat et ad restitutionem tenetur, quia nemo potest damno alterius cooperari, ut par damnum proprium evitet.— Si vero furem adjuvet ex metu damni *superioris ordinis,* tunc nec peccat nec ad restitutionem tenetur: non ex re accepta, quia in nihilo factus est ditior; non ex injusta participatione, quia non peccavit (v. n. 466).

Cur vero in casu non peccaverit participans, ratio ex S. Doctore est quia illae actiones possunt considerari vel respectu domini damnum subeuntis, vel respectu participantis. Porro si eas inspicias quoad dominum, hic tenetur consentire ut etiam cum jactura suorum bonorum quis vitae aut honori suo consulat, alias esset irrationabiliter invitus; unde non peccat qui actiones tum primi tum alterius generis ponit ex metu amittendi bona superioris ordinis. Si vero eas inspicias quoad participantem, omnes illae actiones ex se indifferentes, juxta finem quo fiunt sunt licitae vel illicitae. At finis participantis in suppositione est bonus, quia eas praestat non ut noceat, sed ut sibi caveat; ergo [2].

II.— *De cooperatoribus negativis.*

1016.—*Q.* Quinam sunt cooperatores negativi et quandonam tenentur ad restitutionem?

R. Cooperatores negativi dicun-

[1] S. Alph., L. III, 279.

[2] S. Alph., L. III, 571.

tur *illi qui damnum non impediunt quando impedire rationabiliter possunt et debent ex justitia, nempe ratione officii, muneris vel contractus.* — Tres sunt hujusmodi cooperatores : Mutus, non obstans, non manifestans.

Mutus est qui, antequam damnum inferatur, illud scripto, monito, clamore, etc., non impedit. — *Non obstans* est qui dum damnum infertur non praestat opem, vel auxilium ut illud avertat. — *Non manifestans* est qui, post damnum illatum, damnificatorem non defert judici, aut superiori, aut domino.

Cooperatores negativi ad restitutionem tenentur quando haec duo simul concurrunt : 1° Si damnum impedire tenebantur ex justitia, nempe ex officio stricto, aut ex pacto explicito vel implicito, et culpabiliter neglexerint ; 2° si damnum absque gravi suo incommodo impedire poterant ; ratio, quia ex gravi culpa damnum non impediendo, sunt causa efficax ipsius damni [1].

1017. — *Q.* Dominus tenetur ne de damnis a suis animalibus illatis ?

R. Dominus tenetur de damnis per sua animalia illatis quando illa damna in confuso saltem praevidit, et ex gravi culpa *theologica* in animalia vigilare neglexit.

Quod si adest solum culpa *juridica,* non tenetur quidem ante, bene vero post judicis sententiam, juxta dicta n. 153 (C. It. a. 1154)[2].

1018. — *Q.* Parentes et domini tenentur ne de damnis a filiis et famulis illatis ?

R. Si adest sententia judicis, in conscientia tenentur, etsi coram Deo sint a quavis negligentia immunes ; sententia enim judicis, cum aeque ac lex innitatur rationibus publici ordinis, obligatoria evadit ; excepto casu quo sententia fundetur in praesumptione facti vel culpae, et haec non existant (V. de Legibus n. 151).

Si vero non adest sententia judicis, certe non tenentur si immunes sunt a quovis errore vel negligentia[3] ; si autem rei sunt gravis culpae non impediendo subditos a damno inferendo, ad restitutionem tenentur duobus in casibus : 1° Si ex speciali officio publico illa damna impedire tenebantur. 2° Si ex negligentia aut silentio graviter culpabili, animum vel audaciam filiis aut famulis addiderint, quia adesset positiva cooperatio. — Seclusis his casibus, probabilius parentes et domini, ante sententiam judicis, non tenentur de damnis a filiis et famulis illatis, etsi ob silentium vel negligentiam graviter peccaverint filios et famulos non impediendo, quia qualitas patris, mariti, domini non habet adjunctam strictam justitiae obligationem quae eos sponsores reddat de damnis a subditis illatis [4].

1019. — *Q.* Famulus furta in bonis domini non impediens tenetur ne ad restitutionem ?

[1] S. Alph., L. III, 573.

[2] An vero quis possit occidere columbas aut gallinas alienas agro suo nocentes, Th. sic distinguunt : Si leviter nocent, vel si alio modo damnum quis avertere potest, v. g. terricula ponendo, agrum melius claudendo vel dominum monendo, etc., tunc animalia occidere nequit ; secus potest, quia quisque habet jus grave damnum a se arcendi. Columbae autem non praesumuntur graviter nocere nisi tempore messis aut sationis. Occisa tamen animalia domino restituenda sunt, nisi forte retineri possint titulo compensationis damnorum, quae jam ipsa animalia intulerint.

[3] C. It., a. 1152-3.

[4] S. Alph., L. III, 578 ; *Gury,* I, 692.

R. — 1. Certum est teneri si objectum furti fuit ipsi specialiter commissum ; - ratio, quia tunc adest specialis conventio.

2. Secluso speciali mandato, sive furtum fiat a domesticis, sive ab extraneis, famulus peccat quidem certo contra caritatem si absque gravi incommodo damnum domini impedire potest et non impedit.

3. An vero peccet etiam contra justitiam, ita ut ad restitutionem teneatur, disput. Th. Si furtum factum sit a domesticis, communius et probabilius negant, quia non obligatur ex justitia res domini a domesticis tueri. Si autem ab extraneis, tunc communius et probabilius affirmant, quia famuli videntur conducti ex justitia sive ad labores, sive ad res domesticas contra extraneos protegendas. Multi tamen negant teneri ad restitutionem, quia illa obligatio non censetur includi in contractu vel quasi-contractu locationis ex justitia, licet famuli communiter ad hoc se adstrictos putent ex quadam decentia et fidelitate. Attendendum igitur est sive ad contractum locationis, sive ad consuetudines regionis [1].

1020. - *Q.* Qui aliquem volentem clamare impedit tenetur ne ad restitutionem ?

R. Si ille ex officio clamare debet, tunc impediens certe ad restitutionem tenetur.

Si vero non tenetur clamare ex officio, tunc distinguendum : Qui eum impedit solis precibus, vel etiam pecunia, justitiam non laedit. Qui autem impedit vi aut fraude, peccat et tenetur restituere, si vis aut fraus causa sit cur illud damnum dominus subeat [2].

1021.— *Q.* Quid de eo qui aliquem impedit a consecutione alicujus boni ?

R. Si bonum est ei debitum ex justitia, quocumque modo illum impediat, peccat et ad restitutionem tenetur.

Si vero non est ei debitum ex justitia, tunc si tantum impedit precibus vel consiliis, peccat quidem contra caritatem si ex odio aut malo fine id agat, sed non contra justitiam juxta sententiam communiter receptam.—Si autem impedit vi vel fraude, et etiam probabiliter si precibus importunis, vel metu reverentiali, ad restitutionem tenetur, quia etsi proximus jus non habeat ad illud bonum, nihilominus quisque jus habet ne malis artibus impediatur a bono aliquo consequendo, supposito semper quod eo bono dignus sit [3].

CAPUT III.

De circumstantiis restitutionis.

1022.— *Q.* Quotnam et quae restitutionis circumstantiae ?

R. Novem communiter recensentur, hisce versiculis comprehensae:

Quis, quid restituat, cui, quantum, quomodo, quando,
Quo ordine, quo loco, quae causa excuset iniquum.

[1] S. Alph., L. III, 344 ; *Tury*, I, 691 ; *D'Annibale*, II, 209.

[2] Qui accipit pecuniam a fure ut taceat ad restitutionem tenetur, si clamare tenetur ex officio, vel si silendo furem animosiorem reddit ad furandum, vel si pecuniam accipit ut observet an quis adveniat; secus peccat quidem contra caritatem si commode clamare potest, sed non contra justitiam. S. Alph., L. III, 571.

[3] S. Alph., L. III, 587.

De ultima circumstantia, nempe de causis excusantibus, in capite sequenti; hic de aliis.

ART. I.

De subjecto et quantitate restitutionis.

1023. — *Q.* Quantum *quis* restituere tenetur pro damno illato?

R.—**1.** Si damnum ab uno illatum fuerit, ipse solus ad totum restituendum tenetur; res evidens est.

2. Si damnum a pluribus quidem illatum fuerit, sed *non ex communi conspiratione*, et unusquisque nonnisi partialiter in damnum influxit, unusquisque tenetur ad restitutionem *pro rata*, nempe solum ad partem damni quam intulit, quia obligatio restitutionis nequit esse major damno illato.

3. Si vero damnum illatum fuerit ex cooperatione *necessaria*, ita ut sine tali cooperatione damnum certe non fuisset illatum; vel ex *communi efficaci* conspiratione, ita ut, singulis non concurrentibus, damnum non evenisset, tunc exurgit *solidaritas* inter omnes cooperatores: nempe *omnes et singuli* tenentur ad *totum* damnum reparandum, ita ut qui damnum passus est indemnis omni ex parte fiat; ratio, quia omnes et singuli sunt causa vera et efficax totius damni. — Attamen si quis eorum fuit causa principalis totius damni (v.g. mandans), ipse tenetur ad restitutionem in solidum *absolute*; ceteri vero cooperatores tenentur quidem ad restituendum in solidum, sed *conditionate*, nempe in casu quo causa principalis et reliqui cooperatores nihil restituant, secus enim singuli tenentur *pro rata*.

4. Si autem plures, sine communi conspiratione, posuerint actionem quidem sufficientem ad totum damnum inferendum, sed *non necessariam*, puta si ignem domui alienae simul apposuerint, an omnes teneantur in solidum, disput. Th.: Alii negant, quia licet actio damnificativa cujusque sufficiens fuerit ad totum damnum, non habuit tamen nisi influxum partialem in illud. Alii e contra affirmant, quia ubi actio plurium fuit sufficiens ad effectum damnosum, reapse totum damnum singulis est adscribendum [1].

In dubio autem an quis influxerit in totum damnum, probabilius non tenetur in solidum, quia non debet imponi onus certum cum obligatione dubia.

Ceterum rudes, etsi teneantur *in solidum* ratione cooperationis, raro expedit eos obligare ad totum, cum difficulter sibi persuadeant se teneri ad restituendam partem a sociis ablatam. Quinimo satis praesumi potest quod ipsi domini, quibus debetur restitutio, consentiant ut illi restituant tantum partem ab eis ablatam, cum valde timendum sit ne nihil restituant si obligentur ad totum [2].

1024. — *Q.* Quonam *ordine* restituendum est si plures simul tenentur?

R. Primo loco restituere tenetur *possessor*, seu qui rem alterius retinet, vel ex ea ditior factus est, vel eam mala fide consumpsit, quippe prae ceteris lucrum habet.

Secundo loco tenetur *mandans*, qui vi, fraude, vel metu induxit.

[1] S. Alp., L. III, 579.

[2] S. Alph., L. III, 579, 581.

Quoad mandantem vero qui simpliciter damnum proposuit, et ad exequendum solis suasionibus et promissionibus mandatarium induxit, utrum ad restitutionem teneatur ante ipsum mandatarium, an post ipsum tantum, est gravis controversia inter Th.

Tertio loco, in omnium sententia, tenetur *executor* seu *mandatarius*, si libere et sponte mandatum implevit; si autem deceptus vel coactus, etiam tunc tenetur saltem in multorum sententia contra plures alios.

Quarto loco veniunt *alii cooperatores positivi;* ex his tamen nemo tenetur in antecessum prae aliis [1].

Quinto loco, in defectu nempe omnium positive cooperantium, veniunt *cooperatores negativi*, et quidem eodem ordine, unde nemo tenetur caeteros praevenire. Ex contractu tamen tenetur ante alios ille cui cura rei damnificatae est specialiter demandata.

Nota. — Tria hic sedulo animadvertenda sunt:

1. Si causa principalis restituit, causae secundariae ad nihil tenentur. — Si vero una ex causis secundariis restituit, causa principalis in istam refundere debet solutum; quia minus principalis jus creditoris erga principalem acquirit [2].

2. Si ille qui damnum passus est restitutionem condonet principali damnificanti, etiam secundarii liberantur, non autem viceversa; quia ruente principali, ruit et accessorium, sed non e contra.

3. Si quis ex cooperatoribus *aequaliter obligatis* integrum damnum reparavit, erga alios fit creditor pro rata portionis uniuscujusque: imo singuli, posito quod teneantur in solidum, debent cum illo dividere portionem quam quis ex sociis nollet aut non posset refundere [3].

1025. — *Q.* Quid restituere debet qui ex errore putabat damnum a se inferendum multo minus fore quam revera sit?

R. — **1.** Si error fuit vincibilis, nempe damnificans saltem in confuso damnum animadvertit, ut saepius accidit, ad totum damnum tenetur, quia error vincibilis non excusat a culpa theologica, ideoque nec a damno illato.

2. Si vero error fuit invincibilis, an damnificans teneatur ad totum damnum, disput. Th.. Sed probabiliter tenetur ad restituendum solummodo pro rata damni cogniti, quia deest culpa theologica quoad excessum damni; quum enim excessum ignoraverit, iste nullomodo dici potest voluntarius. Hinc qui, v. g., in mare projicit rem alienam valentem 100, dum ipse credit eam 10 tantum valere, probabiliter non tenetur nisi ad decem [4].

Art. II.

De eo cui facienda est restitutio.

1026. — *Q.* Restitutio *cuinam* facienda est?

R. — **1.** Debitor tenetur debi-

[1] Verum hi tenentur ante executorem si consilium vel opem praebuerint ei qui vel ignoravit se facere rem alteri damnosam, vel putavit se jure suo uti, quia is restitutioni non obligatur. *D'Annibale*, II, 229 (33).

[2] S. Alph., L. III, 581.

[3] Si creditor promittat alicui ex aequaliter obligatis se eum non molestaturum, censetur remittere partem illius, nam si totum exigeret ab aliis, ille cogeretur ab illis ad restitutionem, et sic promissio frustranea esset. S. Alph., L. III, 581. Et hoc sancitum est etiam a Cod. C. I. (a. 1283).

[4] S. Alph., L. III, 613.

tam diligentiam adhibere ad cognoscendum dominum, et peccaret si hanc diligentiam culpabiliter omitteret. — Posita hac diligentia, si dominus est *certus et notus,* ipsi restituendum est. Quod si quis rem alienam subduxit apud alium depositam, ipsi *possessori, seu depositario,* ordinarie loquendo, restituere debet. Dixi: *ordinarie loquendo*, quia excipiuntur tres casus: 1° quum nihil aut parum possessoris interest quod res domino restituantur; 2° si in manu legitimi possessoris injuste consumendae essent; 3° si possessor ipsis abusurus esset in sui vel aliorum perniciem. In primo casu restitutio domino fieri *potest,* in aliis *debet.*

2. Si vero dominus sit *dubius,* et dubium cadit supra paucos, unicuique pro rata restituendum est, vel ad compositionem inducendi sunt domini praesumpti. — Si autem dubium cadit supra multos, puta cum quis in civitate vendens, multos defraudavit in pondere vel in pretio, restitutio facienda est augendo eodem modo pondus vel mensuram, aut pretium minuendo erga ementes ordinarios qui damnificati praesumuntur, si facile fieri possit ; secus pauperibus restituendum est [1].

3. Si autem dominus sit penitus *ignotus,* etiam post diligentem inquisitionem, tunc res quae *ex delicto* proveniunt certe retineri nequeunt, sed in usus pios impendendae sunt. — Quoad res vero quae *absque culpa* possidentur, puta quia inventae, disput. Th., ut dictum est ubi *de inventione* (n. 798 et seqq.).

1027. — *Q.* Cuinam restituendum est pro damnis reipublicae illatis?

R. Si ab ipsa republica aliquid statutum sit, nulla difficultas. Si vero nihil constitutum, tunc alii dicunt debita impendenda esse in pia opera, vel in pauperum levamen, ex praesumpta reipublicae voluntate; vel etiam, imo et potius, in damnificatos ab illa. Alii vero dicunt restituenda esse ipsi reipublicae, penes officium praepositorum tributorum.

1028. — *Q.* Valet ne restitutio facta creditori creditoris ?

R. Th. dicunt quod, nisi adsit justa causa, talis restitutio est illicita , ratione offensae vel injuriae ; in foro conscientiae tamen valida est: et etiam jure civili, modo creditori tuo proficiat (C. I., a. 1241).

ART. III.

De ordine servando in restitutione.

1029. — *Q.* Quinam *ordo* servandus in solvendis debitis?

R. Si debitor omnibus suis debitis satisfacere potest, nullus ordo necessario servandus est , quia praecedentia unius nullum alteri damnum infert.— Si vero omnibus debitis satisfacere nequit, tunc debitus ordo servandus est, quia secus debitor damnum alteri inferret.

Porro in restitutione sequens ordo servandus est:

1. Si res aliena adhuc *existit in se*, debitor quocumque titulo illam teneat sive furto, sive deposito, sive inventione, etc., domino restituere tenetur, quia debitum est *reale,* nempe dominus habet *jus in re,* et res domino suo clamat [2].

[1] S. Alph., L. III, 590.

[2] Utrum pecunia furtiva quam fur propriae immiscuit solvenda sit ante alia debita, disput. Th. Alii affirmant, quia

2. Si res aliena *non existit amplius in se,* tunc quum in aequivalenti restituenda sit, inter debita ex titulo oneroso jure naturae nullus creditor est aliis praeferendus, quia quando debitum est *personale,* creditores habent solum *jus ad rem.* At jure positivo ante debita communia solvenda sunt *primo loco* debita *privilegiata,* seu quae lege civili privilegium solutionis prae aliis debitis habent; et ex Cod. It. (a. 1956) hoc ordine veniunt: 1° Expensae judiciales; 2° funebres; 3° infirmitatis, a sex ultimis mensibus vitae debitoris; 4° alimentariae pro se et familia et stipendia famulorum ab aequali tempore. — *Secundo loco* solvenda sunt debita *hypothecaria,* servato ordine temporis, quia *qui prior est in tempore, potior est in jure.* Utrum vero haec legis civilis dispositio obliget in conscientia ante sententiam judicis, disput. Th. Alii negant quia haec lex positiva de praecedentia solutionis est simpliciter dispositiva, unde dubium est an obliget ante sententiam judicis. At sententia communis affirmat, quia haec lex lata est in bonum publicum. (V. dicta n. 759).

3. Inter debita ex titulo oneroso, sive ex contractu sive ex delicto, an solvenda sint prius debita ex contractu, an quae ex delicto, disput. Th.; sententia communior et probabilior dicit solvenda esse pro rata.

4. Inter debita ex titulo oneroso et ex titulo gratuito, v. g. ex voto ex promissione, jure naturae prius solvenda sunt debita onerosa, quia justitia religione vel fidelitate potior est, et aliunde debita gratuita semper includunt tacitam conditionem *deducto aere alieno,* nempe prius satisfactis debitis onerosis.

1030. — *Q.* Debitor in solvendis debitis potest ne quandoque aliquem creditorem praeferre?

R. — 1. Si adsit creditor qui jure naturae jus praelationis in solutione habeat, certe debitor tenetur in conscientia illi prae aliis satisfacere. — Si vero habet jus praelationis ex solo jure positivo, tunc sententia communis dicit quod debitor qui scienter praetermittit creditorem privilegiatum, vel hypothecam habentem ut solvat communi seu simplici creditori peccat et de damno erga priores tenetur, quia isti juxta praedictam sententiam jus strictum habent ut prae ceteris satisfiant.

2. Si creditores sunt inter se aequales, et aliquis ex ipsis rem suam juridice petit, debitor certe tenetur ei ex integro satisfacere, quia legitima judicis sententia vim privilegii creditori confert. Quod si extra judicium petit, probabilius et verius etiam tenetur ei ex integro satisfacere, quia ejus diligentia facit eum potiorem.

3. Si autem nemo rem suam petit, tunc debitor peccat contra caritatem et justitiam si secreto unum e creditoribus de suo labili statu admoneat, vel si ex arbitrio suo uni integre solvat, omissis aliis, quia debet omnibus solvere pro rata; quum enim omnes creditores sint jure aequales, et nemo illorum jus suum prosequatur, proindeque per diligentiam nemo

talis cumulus est specialiter obligatus domino pecuniae ablatae. Sed alii negant, quia fur per commixtionem factus est absolutus dominus totius cumuli ita ut jure possit dominium illius in alium transferre, semper tamen cum onere restituendi debitum. S. Alph., L. III, 499, 686.

——

potior petendo evadat, aequitas naturalis postulat, ut nulli integra restitutio fiat cum aliorum praejudicio [1].

Utrum vero in hoc casu creditor integre prae aliis solutus possit acceptum retinere, triplex adest sententia.—*Prima*, quae probabilis videtur, dicit quod si creditor mala fide solutionem accepit, tenetur pro rata restituere aliis creditoribus; secus si bona fide: non quidem ex injusta acceptione, cum bona fide acceperit, non ex injusta retentione, quia quod suum est recepit. — *Secunda*, quae S. Alph. verior videtur, dicit ipsum in conscientia teneri aliis pro rata satisfacere, quia ex jure naturali nemo jus habet ut sibi integre solvatur quando debitor nequit omnibus satisfacere.—*Tertia*, nec improbabilis et hodie sat recepta, dicit creditorem, sive bona sive mala fide acceperit solutionem debiti, acceptum retinere posse, modo non adfuerit fraus contra privilegiatos. Hinc *in praxi* creditor acceptum retinere potest, donec adsit sententia judicis [2].

1031. — *Q.* Debito utrinque certo, creditor notus est ne praeferendus ignoto ?

R. Disput. Th.. *Prima sententia* probabiliter affirmat, quia creditores noti ex lege naturae solvendi sunt, dum ex lege tantum positiva quae creditoribus ignotis debentur in pauperes eroganda sunt [3]. *Secunda* etiam satis probabilis dicit quod restitutio indiscriminatim fieri potest pro rata creditoribus notis et pauperibus, quia restitutio pauperibus debetur etiam ex lege naturali [4].

Art. IV.

De modo, tempore et loco restitutionis.

1032. — *Q. Quonam modo* restitutio facienda est ?

R. Restitutio eo modo fieri debebet, quo justitia violata plene seu ad aequalitatem possit reparari.

Hinc, si debitum provenit *ex delicto*, debitor non tenetur restitutionem palam facere; imo nec potest si adsit periculum infamiae aut alterius gravis damni, sed debet restituere secreto vel per confessarium, vel per aliam fidelem personam. Neque necesse est ut dominus admoneatur, sed sufficit ut indemnis fiat [5].

Quod si debitum provenit *ex contractu*, tunc debitor in solutione debet servare qualitatem materiae debitae. Nec potest debitum solvere per partes, quando totum simul solvendum est, nisi creditor expresse vel tacite id concedat, vel justa causa excuset.

1033.—*Q.* Valet ne restitutio facta per simulatam donationem?

R. Sententia communior et probabilior affirmat; ratio, quia ad solutionem non requiritur ut debitor externe fateatur se solvere. Hinc satisfacit debitor quando solvit in iis circumstantiis, in quibus creditor existimat sibi fieri donum. Attamen si creditor, gratitudine motus, aliud donum de-

[1] S. Alph., L. III, 692; *Gury*, I, 706.
[2] S. Alph., L. III, 693.
[3] S. Alph., L. III, 687.
[4] Sententia utraque probabilis, sed prima mihi longe aequior: nam ex justitia et non ex jure canonico pauperes succedere in locum creditorum, aut verius non est, aut saltem incertum. *D'Annibale*, II, 231.
[5] S. Alph., L. III, 676.

bitori rependat, hic illud restituere debet, quia talis donatio non videtur *plene voluntaria et spontanea,* cum procedat ex opinione obligationis gratitudinis, quae falso nititur fundamento. Ita Carrière, Gury et alii contra alios qui non improbabiliter aliter sentiunt.

1034. — *Q. Quonam tempore* restitutio facienda est?

R. — 1. Si debitum *ex delicto* provenit, debitor tenetur quam primum restituere; et si culpabiliter et tempore notabili restitutionem differt, graviter peccat.

2. Si vero *ex contractu*, solutio fieri debet tempore expresse vel tacite statuto; et in hoc casu debitor nequit solutionem anticipare, nisi tempus in ejus favorem adjectum fuerit.

3. Quod si de tempore non sit conventum, debitor expectare potest monitionem creditoris, nisi advertat eum monitionem ob timorem, vel oblivionem, vel impotentiam omittere.

1035. — *Q.* Qui restitutionem differt peccat ne, et tenetur ne de damnis ex dilatione secutis?

R. Qui restitutionem differt sine justa causa certe peccat, et quidem leviter vel graviter, prout differt per breve vel per longum tempus, vel prout dominus leve vel grave patitur damnum, quod certe est resarciendum.

Qui vero restitutionem differt cum justa causa non peccat. An autem hic teneatur de damnis ex dilatione secutis, distinguendum est: Si debitum *ex delicto* provenit, tenetur de damnis quae saltem in confuso praevidit, quia semper est vera, injusta et efficax causa ipsorum; probabiliter tamen non tenetur de damnis ex casu fortuito secutis. Si vero debitum *ex contractu* provenit, probabilius non tenetur, quia, quum habeat justam causam solutionem differendi, non est in mora culpabili, ideoque nec injusta causa damni [1].

1036. — *Q. Quonam loco* et *cujusnam expensis* restitutio facienda est?

R. Si res est debita *ex contractu*, conventioni standum est.

Si *ex delicto*, debitor eam restituere debet eo loco quo dominus eam actu possideret; et quidem suis expensis, nisi hae magnae essent, quia tunc rei pretium mitti potest.

Si vero res *neque ex contractu neque ex delicto* debita est, uti e. g. res inventa, tunc restitui debet loco quo quis eam detinet, et si alio esset asportanda, expensis domini fiat [2].

1037. — *Q.* Quid si res debita et missa per nuntium, casu vel ejus culpa pereat?

R. Distinguo: 1° Si nuntius electus fuit a creditore vel a judice, res creditori perit. — 2° Si electus fuit a debitore, et hic nuntium malae fidei elegit, debitori perit. — 3° Si vero nuntium bonae fidei elegit, et res debita erat *ex delicto,* Th. communiter contra paucos dicunt quod etiam debitori perit; si autem *ex contractu*, iterum disting.: Vel contractus dominium rei transfert penes debitorem, v. g. mutuum, et debitori perit; vel dominium rei remanet penes creditorem, uti in commodato, deposito, et perit creditori.

—

[1] S. Alph., L. III, 680, 704.

[2] S. Alph., L. III, 678.

CAPUT IV.

De causis a restitutione excusantibus.

1038. — *Q.* Quaenam sunt causae a restitutione excusantes?

R. Causae a restitutione excusantes sunt illae omnes quae efficere valent, ne dominus vel creditor rationabiliter invitus sit circa dilationem vel omissionem restitutionis.

Duplicis generis sunt: aliae *ad tempus* tantum excusant, seu potius *suspendunt* restitutionis obligationem; aliae vero *in perpetuum* excusant, seu obligationem omnino *tollunt*.

Inter *suspendentes* recensentur: 1° impotentia, sive physica sive moralis; 2° damnum grave creditoris vel alterius personae; 3° cessio bonorum; 4° ingressus in religionem.

Inter *omnino tollentes* adnumerantur: 1° remissio seu condonatio creditoris; 2° donatio rei aequivalentis; 3° compensatio legitima; 4° compositio a superioribus facta.

Art. I.

De causis quae obligationem restitutionis suspendunt.

1039. — *Q.* Quaenam *impotentia* a restitutione excusat?

R. — **1.** Impotentia *physica*, quando nempe debitor nihil habet unde restituere possit; - ratio, quia ad impossibile nemo tenetur.

2. Impotentia *moralis*, quando nempe debitor restituere nequit sine magna difficultate, seu quando restitutio est valde difficilis, vel decenter et honeste fieri nequit; - ratio, quia quotiescumque creditor rationabiliter consentire debet ut restitutio differatur vel omittatur, haec licite differri vel omitti potest, etiamsi ille de facto esset invitus; nam quando dominus est irrationabiliter invitus, detentio rei alienae injusta dici nequit [1].

1040. — *Q.* Ex quotuplici causa impotentia moralis restituendi evenire potest?

R. Impotentia moralis ex quadruplici causa evenire potest:

1. Ex periculo animae propriae vel suorum, v. g. si periculum subesset quod uxor aut filiae prostituantur aut se dent ad latrocinia.

2. Ex periculo vitae aut famae, modo propriae famae amissio damno creditoris praeponderet.

3. Ex gravi damno debitoris aut suorum (nisi creditor ex dilatione restitutionis *aequale* damnum passurus sit), quando nempe restitutio fieri nequit sine gravi detrimento in bonis superioris ordinis, aut sine damno notabiliter graviori in bonis ejusdem ordinis, vel quando restituendo debitor non possit vitam decentem ducere juxta suum statum (ut si quis vendere cogatur suae artis instrumenta, aut civis primarius obire artem mechanicam sibi insuetam), modo talem statum juste acquisiverit; nam si injuste acquisivisset, furtis vel fraudibus, teneretur ad restituendum, etiamsi casurus esset a suo statu, ut communiter dicunt Th.: quo in casu si furta vel delicta sint publica, tenetur statim et totaliter restituere; si occulta, paulatim ac sensim sine sensu.

4. Tandem ex necessitate temporali *extrema* vel *quasi-extrema* propria vel alterius, et hoc etiam-

[1] S. Alph., L. III, 696.

si creditor in eadem necessitate reperiretur, quia tunc omnia sunt communia; nisi praecise per rei debitae subtractionem creditor conjectus sit in eamdem necessitatem. — Item excusat necessitas tantum *gravis* quando creditor eadem necessitate non laborat.

1041. — *Q.* Quid si creditor et debitor sint in eadem *gravi* necessitate?

R. Si creditor jam in gravi necessitate reperitur, et debitor nunc ea non laborat, sed laborabit restituendo, certe tenetur restituere, quia in aequali gravi necessitate praeferendus est creditor debitori, sive hic talis sit ex delicto, sive ex contractu.

Si vero debitor et creditor in eadem gravi necessitate jam reperiuntur, tunc aliqui dicunt debitorem teneri ad restitutionem si debitum est ex delicto, non autem si ex contractu. Sed alii merito dicunt probabile esse quod restitutio possit differri semper ac res ablata *non extet in specie*, et creditor non sit praecise per illius ablationem in gravem necessitatem conjectus; - ratio, quia per restitutionem debitor se exponeret damno longe majori, cum ex gravi necessitate in quasi-extremam conjiceretur [1].

1042. — *Q.* Quandonam excusat *damnum* creditoris vel alterius personae?

R. Damnum creditoris vel alterius personae excusat quando ex rei restitutione dominus praevidetur ea abusurus.

An vero in hoc casu differri etiam *debeat* restitutio, videndum utrum dominus re abusurus sit in sui, an in aliorum damnum.

Si in *damnum sui*, restitutio ex praecepto caritatis differri debet; caritas enim obligat ad impediendum proximi damnum, quoties id fieri potest absque gravi incommodo. Hinc si dominus re restituenda abusurus est ad peccandum, debitor tenetur ex caritate eam non restituere, nisi restitutionis denegatio non valeat ad peccatum impediendum; vel nisi damnum proportionate grave debitori immineat, quia caritas non obligat ad impediendum peccatum alienum cum gravi incommodo.

Si autem creditor praevideatur re abusurus *in damnum injustum tertii*, v. g. si quis ut inimicum occidat ensem repetat depositum apud te, restituendo peccares certe contra caritatem; an etiam contra justitiam disput. Th.. Sententia juxta D'Annibale [2] fortasse verior negat, quia haec cooperatio est materialis tantum et remota; sed sententia longe communior affirmat quia proximus jus habet ne quis alteri aliquid tradat in ejus perniciem. Excipe, si restitutio negari nequeat sine proprio damno graviori vel saltem aequali.

1043. — *Q.* Quid de *cessione bonorum?*

R. Cessio bonorum est *actus quo debitor, impar debitis suis solvendis, omnia bona sua creditoribus cedit.*

Duplex est: *voluntaria*, quae a creditoribus libere acceptatur, et haec, dummodo ex parte debitoris abfuerit dolus, eos tantum parit effectus, de quibus conventio fit; *judicialis*, quae ab ipsa lege debitori bonae fidei ac infelici conceditur (non obstante quacumque conventione in contrarium) ut a creditorum molestiis liberetur.

[1] S. Alph., L. III, 701-3.

[2] *D' Annibale*, II, 228.

Facta cessione, si debitor postea ad pinguiorem fortunam redeat, ad quod assequendum omni ope contendere debet juxta vires et conditionem suam, adhuc restituere tenetur, nisi ex rerum adjunctis creditores videantur debitorem liberasse ab ulteriori solutione; et hoc videtur hodie ex more recepto contingere in cessione voluntaria in qua creditores cum debitore conveniunt de aliqua parte solvenda, reliquo dimisso.

Debitor qui *voluntarie* bona sua cedit, in conscientia retinere potest instrumenta propriae artis, et quae ad sustentationem sunt necessaria [1]. Si vero *juridice* cedit, et certo praevideat quod pars sibi assignanda insufficiens erit suis et familiae necessitatibus, potest jure naturae sibi aliquid clam retinere; imo si hoc omnino indigeat, potest judici interroganti respondere se nihil habere, subintelligendo *quod cedere teneatur* [2]. — Ceterum hac in re caute procedendum est, quia plerumque bonorum cessores suas necessitates valde exaggerant nunquam contenti [3].

1044. — *Q.* Quid de *ingressu in religionem?*

R. Ingressus in religionem per se a restitutione non excusat, ut patet, sed tantum quatenus impotentem reddit: unde qui religionem ingressus est, si habet unde restituere possit, tenetur; si non habet, tenetur ex justitia media solvendi sibi procurare per laborem, modo labor non sit nimis difficilis, aut statui repugnans, et licentia habeatur superioris.

1045.—*Q.* Debitor impotens ad restituendum potest ne licite ingredi religionem?

R. Th. dicunt debitorem in hoc casu licite posse religionem ingredi: 1° Si ob impotentiam vix spem habeat unquam restituendi. 2° Si debita sint incerta, vel ex titulo gratuito. 3° Si in saeculo manendo grave subiret aeternae salutis periculum.

E contra ei non licere si *brevi* debita solvere posset. Si autem nonnisi *longo tempore*, an possit religionem ingredi, disput. Th.; sed communiter negant [4].

ART. II.

De causis quae obligationem restitutionis omnino tollunt.

1046.—*Q.* Quaenam *remissio* seu *condonatio creditoris* excusat a restitutione?

R. A restitutione certe excusat remissio seu condonatio creditoris *expressa;* imo probabilius etiam *tacita*, seu rationabiliter praesumpta, quia tunc retentio rei alienae non est amplius injusta.

Quoad *expressam* remissionem, ut valida sit et effectum habere possit, tres conditiones requiruntur: 1° Ut remittens liberam habeat bonorum administrationem; 2° ut ille, cui remissio fit, inhabilis a lege non declaretur; 3° ut remissio fiat omnino libere, non metu, fraude vel mendacio extorta.

Quandonam vero *tacita* remissio

[1] S. Alph., L. III, 699.

[2] S. Alph., L. III, 150; *Scavini*, II, 630.

[3] «La legge civile a chi ha fatto cessione dei beni attribuisce gli strumenti dell'arte, e i mobili strettamente necessarii (Cod. di Commercio, art. 564). Ed oltre a ciò permette che si ritenga dei suoi beni quanto si richiede pel sostentamento proprio e della famiglia (art. 582, 643). Ove però questi occultasse parte dei beni, sarebbe reo di frode (art. 703), e non avrebbe diritto a beneficio alcuno (art. 621, 652)».

[4] Cf. *Génicot*, II, 78.

praesumi possit, res ex circumstantiis dijudicanda est; sed quatuor praecipue prae oculis haberi debent: 1° Qualitas remittentis, avarus an liberalis, dives an pauper, etc.; 2° qualitas illius cui fit remissio, an subditus, filius, parens, amicus, etc.; 3° qualitas et quantitas rei ablatae et restituendae; 4° demum usus rei ablatae, an consumpta sit in rebus necessariis, aut utilibus, vel potius in ludo, epulis, etc. — Utrum autem revera adsit haec tacita remissio, nemo judex esse debet in propria causa, sed prudentis viri judicio standum est.

1047. — *Q. Donatio rei aequivalentis* facta a debitore immemore debiti excusat ne a restitutione?

R. Th. affirmant duobus in casibus: 1° Si rationabiliter praesumi possit creditoris remissio, quod frequenter in tali casu contingere potest. 2° Si obligatio restitutionis proveniat ex lege ecclesiastica, vel si agatur de restitutione pauperibus facienda.

His casibus exceptis, disput. Th. — Alii probabiliter affirmant, quia quisque censetur prius velle obligationi justitiae satisfacere, quam merae liberalitatis. Alii vero, et quidem communius, negant, quia talis donans non intendit extinguere obligationem restitutionis. Verum quidem est quod si de suo debito cogitaret, vellet illi satisfacere, sed ut de aliquo actu judicium feratur, attendendum est quid agens reipsa voluerit, non quid in hypothesi voluisset. (V. n. 1033).

1048. — *Q.* Quid est *compensatio?*

R. Hic non loquimur de compensatione *propria* seu *legali*, quae est *debiti et crediti inter se contributio*, quaeque, ut innuimus n.835, procul dubio licita est, sed de compensatione *impropria* seu *occulta, extralegalis*, qua nempe creditor ipse sibi satisfacit occulte sumendo rem debitoris debito aequivalentem, et definitur: *Debiti recuperatio, inscio debitore facta.*

1049. — *Q.* Quid requiritur ut compensatio impropria valida et licita sit?

R. Ut compensatio impropria *valida* sit, requiritur: 1° Ut debitum sit ex justitia commutativa; 2° ut debitum sit certum saltem moraliter; nam quamdiu certa non est obligatio debitoris, nihil ab eo exigi potest, quamvis aeque probabile sit, imo probabilius eum debitorem esse [1]; 3° ut debitor sit in mora, nempe dies debitae solutionis jam elapsus sit.

Ut autem sit *licita*, praeter praedictas conditiones, requiritur: 1° Ut sumatur res ejusdem valoris, et etiam speciei si fieri potest; 2° ut compensatio non fiat cum damno debitoris aut tertii; 3° ut res propria alio modo obtineri non possit, saltem absque gravi incommodo, puta si via judiciaria sumptus, odia, vel alia damna subeunda essent.

Cum autem occulta compensatio sit hallucinationi obnoxia, regulariter nonnisi de judicio confessarii facienda est. Dixi *regulariter*, quia satis probabile est proprio quoque judicio fieri posse, dummodo creditor sit vir prudens, timoratus, vere capax de tali actione recte judicandi, ac omnino certus de justitia compensationis, remoto omni periculo hallucinationis [2].

[1] *D'Annibale*, II, 255.

[2] S. Alph., L. III, 521.

An vero fieri possit si confessarius aliter judicet, affirmant Salmanticenses; sed hoc, ait Cl.D'Annibale [1], si quid opinor, vix probabile est, nisi forte confessarius erret evidentissime.

Facta autem compensatione, curandum est, nisi periculum gravis damni timeatur, ut debitor, memor sui debiti, prudenter de illius extinctione moneatur, ne in conscientia erronea permaneat.

1030. — *Q.* Quid est *compositio* et quidnam requiritur ut licita sit?

R. Compositio est facultas a Summo Pontifice obtenta, qua nempe Summus Pontifex, vel ejus nomine S. Poenitentiaria, debitori partem debiti remittit, ut alteram statim in pias causas eroget, supplendo de thesauro Ecclesiae utilitatem quae domino obveniret si totum debitum in eleemosynam daretur [2].

Ut autem haec compositio legitima sit, duae conditiones requiruntur: 1° Ut creditores penitus ignorentur; 2° ut adsit rationabilis causa. At si Summus Pontifex eam concedit, rationabilis causa semper praesumenda est.

—

[1] Vol. II, 255 (46).

[2] Quoad compositionem circa bona ecclesiastica usurpata, dicetur in Appendice, ubi *de dominio Ecclesiae.*

DE RESTITUTIONE IN SPECIE

Expositis generalibus restitutionis principiis, remanet ut casus particulares expendamus, qui ad compensationem referuntur singulorum bonorum, circa quae quis proximum laesit. Porro haec reducuntur ad bona animae, corporis, famae et fortunae. Quum vero de reparatione injuriae quae in bonis fortunae afferri potest, superius jam dictum sit, ubi de furto et damnificatione, superest ut de restitutione agamus ob damnum illatum in bonis animae, corporis et famae.

Hinc tria capita: 1. *de restitutione ob damnum animae;* 2. *ob damnum corporis;* 3. *ob damnum famae.*

CAPUT I.

De restitutione ob damnum animae.

1031. — *Q.* Ad quid tenetur qui alium laesit in bonis spiritualibus?

R. Praemitto: Bona spiritualia triplicis generis sunt: 1° Alia sunt ordinis supernaturalis, uti gratia, virtus; 2° alia ordinis naturalis et quidem ingenita, uti memoria, intellectus; 3° alia ordinis naturalis, sed acquisita, uti scientia, ars. Hoc posito:

I. Qui alium laesit in bonis primi ordinis, puta ad peccatum, ad amplexandam falsam sectam induxit, errorem docuit, etc., si *vi* vel *fraude* egit, ex justitia tenetur alterum ad meliorem statum revocare, errorem corrigere et damna illata reparare; - ratio, quia quisque habet jus ne injuste laedatur in bonis cujuscumque generis, maxime spiritualibus. — Si vero *suasione* tantum vel *pravo exemplo* in alterius damnum spirituale influxit, ad nihil ex justitia, sed utique tenetur ex caritate, pro posse, scandalum reparare, et seductum a peccato revocare [1].—Sic qui pravos libros edidit vel propagavit, tenetur eos, si possit, revocare, vel saltem publice reprobare, ut damnum incautorum avertat.

II. Qui alium laesit in bonis secundi ordinis, et quidem *vi* vel *fraude,* vel alio injusto modo, tenetur de damnis ex tali laesione secutis; - ratio, quia est efficax et injusta eorum causa. Quoad *ipsam laesionem* vero tenetur eam reparare, morbum curando. An insuper ad aliquam compensationem teneatur pro ipsa laesione, disput. Th.: multi negant, quia haec bona nullo pretio aestimari possunt (v. dicta n. 970).

[1] S. Alph., L. III, 660-1.

III. Qui alium laesit in bonis tertii ordinis, v. g. aliquem impedivit ne artem vel scientiam addisceret, ne alios doceret, etc., si *vi* vel *fraude* a consecutione illius boni impedivit, ex justitia tenetur de damnis; ratio, quia est efficax et injusta eorum causa; secus vero si tantum *precibus* impedivit [1]. Item qui artem vel scientiam male aut negligenter candidatum docet, tenetur de damnis inde secutis, si ex officio aut stipendio recte docere tenebatur, quia est injustus damnificator; secus si non tenebatur ex officio aut stipendio, fraude semper seclusa.

1052. *Q.* Ad quid tenetur qui aliquem amovet a statu religioso?

R. Certum est peccare qui alium *absque justa causa* a statu religioso amovet. Quoad ejus obligationes vero, triplex fingi potest casus, prout *postulantem*, vel *novitium*, vel *professum* amovet.

Si *postulantem*, et quidem solum *consilio* vel *precibus*, tenetur ex caritate ei rursus ingressum suadere. Si autem *vi*, *fraude* aut *metu gravi* illum amovet, et a religionis ingressu impedit, Th. communiter dicunt graviter peccare contra justitiam, quia candidatum magno bono injuste privat, ideoque sub gravi ex justitia teneri vim, fraudem aut gravem metum tollere, et in pristinam libertatem illum reponere: qui si postea ingredi religionem renuat, imputet sibi.

Si *novitium* amovet, easdem obligationes contrahit erga ipsum ac erga postulantem. An vero teneatur de damnis erga monasterium, disput. Th.: multi probabilius affirmant, sed alii probabiliter negant, quia monasterium in illum nondum aliquod jus acquisivit [2].

Si autem *professum* ad religionem desereudam inducit, et quidem *vi* vel *fraude*, tenetur ex justitia reparare damna quae inde monasterio obveniunt, quia ipsum habet jus in professum. Attamen in hujusmodi casibus rarum est quod monasterium damnum patiatur.— Quod si nulla adhibita vi vel fraude, professum e monasterio abducit, tunc an teneatur de damnis erga monasterium, disput. Th.; sed plures negant.

CAPUT II.

De restitutione ob damnum corporis, nempe ob homicidium, stuprum et adulterium.

ART. I.

De restitione ob homicidium.

1053.—*Q.* Ad quid tenetur injustus occisor vel mutilator?

R. Praemitto: Injustus occisor aut mutilator duplex damnum infert, *personale* et *reale*. Hoc posito:

I. Occisor aut mutilator praecise pro *damno personali*, seu pro vita, membro aut vulnere, nihil tenetur restituere, rigorose loquendo; — ratio, quia bona unius ordinis ex bonis alterius compensari non possunt. Attamen si per sententiam judicis cogatur bonis fortunae satisfacere pro injura personali, certe tenetur.

II. Quoad *damna realia*, tenetur in conscientia reparare ea omnia quae ex occisione, mutilatione, vulnere, etc., directe secuta sunt,

[1] S. Alph., L. III, 584, 587.

[2] S. Alph., L. III, 662.

juxta prudentis arbitrium; - ratio, quia est efficax et injusta illorum causa.—Hinc tenetur: 1° *ad damnum emergens*, seu ad expensas curationis: quod si vulneratus moriatur, occisor non tenetur ad expensas funeris, quia ipsae aliquando faciendae erant, nisi forte occasione illatae mortis, v. g. extra patriam, majores fieri opportuerit; tenetur vero ad aliquam satisfactionem pro anima occisi, si ipse pro se fuisset probabiliter satisfacturus; 2° *ad lucrum cessans* ex interrumptione laboris vel negotiationis tempore infirmitatis; non quidem ad totum, ut si de facto fuisset acquisitum, sed pro ratione spei quam laesus habebat illud acquirendi, et deducto pretio quod ipse verosimiliter daturus fuisset ut a tali labore eximeretur [1].

154.— *Q.* Occisor tenetur ne de damnis erga haeredes, consanguineos, et creditores occisi?

R. Triplex dietinguendum est genus personarum quibus occisor damna inferre potest. Etenim:

1. Alia *personae laesae* inferuntur ante ipsius mortem, quae dicuntur debita *realia*, nempe damnum emergens et lucrum cessans, ut nuper diximus; et haec debita, nisi ab ipso laeso valide condonentur, occisor solvere tenetur ejus haeredibus, quicumque illi sint, quippe in omnia jura realia occisi succedunt. Dixi: 1° *nisi ab ipso condonentur*, nam cum haec debita contracta sint cum laeso, is juri suo renuntiare potest; 2° *valide*, nam si ita pauper sit, ut suis bonis expensas solvere non possit, et sic injuriam inferat illis qui forte ad eas solvendas cogerentur, invalida esset condonatio.

2. Alia damna necessario obveniunt *haeredibus necessariis*, nempe filiis, parentibus, et etiam uxori occisi juxta spem quam ipsi habebant; et haec damna occisor compensare tenetur, non quidem titulo haereditatis, sed damnificationis, illis enim jus competebat ne vi vel fraude ab ulla privarentur opera illius, a quo alimenta accipiebunt [2]. Haec autem damna laesus remittere nequit, quia non suum, sed jus aliorum respiciunt. Attamen obligatio reparationis cessat si uxor post occisionem mariti aeque commode nubat, et filii aut parentes ea occasione ab aliis aequaliter subveniantur; quia tunc nullum adesset damnum.

3. Alia demum quoscumque afficiunt, puta *consanguineos creditores* occisi. Porro in sententia probabiliori cum S. Alph. [3] ad haec damna occisor non tenetur, etiamsi illa praeviderit, quia censentur conjuncta per accidens cum homicidio. Tenetur vero si illa non solum praevidisset, sed etiam intendisset, seu apposite inferre voluisset, quia tunc peccasset contra justitiam erga illos, cum quisque jus habeat ne vi vel fraude impediatur a consecutione justi boni.

1055.— *Q.* Obligatio occisoris transit ne ad ejus haeredes?

R. Obligatio occisoris reparandi omnia damna realia, si ab ipso homicida non fuerit impleta, transit ad ejus haeredes juxta vires haereditatis; - ratio, quia haereditas transit cum suo onere. Quod si homicida extremo supplicio fuisset

[1] S. Alph. L. III, 621, 639.

[2] In *praxi* optimus satisfaciendi modus est pacifica compositio seu transactio cum ipsis personis, quia saepe difficilis est aequa aestimatio debiti.

[3] S. Alph. L. III, 631-5; *Ballerini ad Gury*, I, 225 (c.).

affectus, tunc occisi haeredes praesumuntur restitutionem remittere, nisi eam petant vel circumstantiae aliud suadere aut exigere videantur [1].

1056. — *Q.* Ad quid tenetur qui occisori locum ostendit ubi latebat qui postea fuit occisus?

R. Si libere hoc fecit, graviter peccavit, et in communi Th. sententia ad restitutionem tenetur. — Si vero metu mortis coactus egerit, alii et de peccato et ad restitutionem eum damnant, alii ab utroque liberant.

1057. — *Q.* Tenetur ne ad restitutionem qui se aggredientem occidit excedendo moderamen inculpatae tutelae?

R. Multi non improbabiliter censent eum non teneri, quia inimicus aggrediendo videtur cedere juri suo. — Attamen communiter dicunt teneri ad totum damnum si *positive et deliberate* excedit, quia gravem infert injuriam inimico, qui ob iniquam aggressionem non amittit jus ad vitam suam [2].

Quandonam vero dici possit quisquam excessisse moderamen inculpatae tutelae, vid. dicta n. 697.

1058. — *Q.* Quid de occisore in casu duelli?

R. Multi probabilius a restitutione excusant qui inimicum provocat ad duellum et eum occidit, quia licet provocans peccet contra caritatem, non tamen peccat contra justitiam, eo quod alter, duellum acceptando, cedit juri suo. Alii aliter sentiunt, sed eorum opiniones sat probabiles non videntur [3].

—

[1] S. Alph., L. III, 631, 10°.
[2] S. Alph., L. III, 637.

Art. II.

De restitutione ob stuprum vel fornicationem.

1059. — *Q.* Quid est stuprum?

R. Stuprum, sensu lato prout hic accipitur, est *violatio cujusvis foeminae solutae et honestae;* unde quae dicuntur de virgine, generatim intelligenda quoque sunt de vidua bonae famae. Imo, quae dicuntur de stupro extendenda sunt etiam ad casum quo puella, licet non fuerit corrupta, tamen adeo patentibus aut instantibus sollicitationibus fuit vexata, ut pro corrupta habeatur, vel saltem ex hoc fuerit diffamata.

Quoad restitutionem ob stuprum, vel fornicationem, triplex distinguendus est casus: 1° vel foemina sponte consensit in crimen; 2° vel inducta fuit per vim aut metum; 3° vel sub promissione matrimonii.

§ 1°

De violatione puellae consentientis.

1060. — *Q.* Ad quid tenetur stuprator, si puella consenserit?

R. Stuprator, puella consentiente, per se ad nihil tenetur erga ipsam, quia scienti et volenti non fit injuria. Tenetur vero ad prolis, si forte nascatur, educationem una cum puella, quia ambo sunt in culpa, ideoque jure naturae tenentur aequaliter et in solidum prolem alere et educare, donec ipsa sibi providere possit; nec ulla judicis sententia a tali naturali obligatione eximere potest.

1061. — *Q.* Stuprator ad quid tenetur erga parentes puellae consentientis?

[3] S. Alph., L. III, 638.

R. Si puella non est amplius sub parentum potestate, ad nihil tenetur.

Si autem est adhuc sub eorum potestate, distinguo: Vel stuprum est eis *occultum*, et ad nihil tenetur, ne veniam quidem petere, quia exterius illos non dehonoravit, nec ipse tenetur prodere turpitudinem suam. — Vel est eis *notum*, et tunc an teneatur satisfacere injuriam, v. g. per veniae petitionem vel aliud simile, disput. Th.. Alii negant, quia stuprator nullum jus parentum violavit, cum puella fuerit sui corporis domina; alii autem affirmant, quia stuprator peccavit contra justitiam in parentes, quorum custodiae puella commissa erat: unde dicunt teneri per veniae petitionem, aut per aliquod signum honorationis injuriae satisfacere; nisi praesumatur patrem nolle talem satisfactionem [1].

1062.—*Q.* Stuprator puellae consentientis tenetur ne parentibus reparare damnum bonorum ipsis obveniens ob augmentum dotis ad filiam in matrimonio collocandam?

R. Disput. Th.. Nonnulli affirmant, quia jus parentum violavit; sed communiter negant, quia puella est domina sui corporis, et potest sine parentum injuria impedimentum ponere ad meliores vel faciliores nuptias: unde nec defloretor, qui cum puellae consensu hoc impedimentum posuit, injuriam facit ejus parentibus. Excipe tamen: 1° Si stuprator facinus propalando puellam infamaverit; tunc enim ex justitia tenetur omne damnum ex diffamatione proveniens puellae et parentibus resarcire.— 2° Si vir sit valde dives, et puella pauper, quia tunc praesumitur sub conditione alicujus compensationis puellam seduxisse: attamen et in hoc casu multi dicunt teneri tantum ex consilio et quadam aequitate. — 3° Si adsit sententia judicis. At cum leges, quae in foro externo aliquem damnant, fundentur in praesumptione deceptionis aut vis, si foemina revera sponte consensit, talis sententia in conscientia non obligat, quia fundatur in falsa praesumptione facti.

§ 2°

De violatione puellae invitae.

1063.—*Q.* Ad quid tenetur stuprator si puella fuerit invita?

R.— 1. Stuprator, si puella fuit invita, nihil restituere debet pro sola virginitatis amissione, quia est irreparabilis; neque eam compensare bonis fortunae ante sententiam judicis.

2. Stuprator, quando puella fuit invita, reparare tenetur omnia damna sive honoris, sive fortunae, tum erga puellam, tum erga parentes; et si proles nascatur, jure naturae ad omnes expensas pro ejus nutritione et educatione ipse solus tenetur, vel eas refundere matri, cui et impendia quae in infirmitate sustinuit rependere debet; - ratio, quia est causa efficax et injusta omnium damnorum.

Attamen aliqua distinctione opus est. Si crimen est *manifestum*, tenetur: 1° veniam parentibus petere, sed virtuali potius modo, quia petitio formalis periculo non vacat; 2° reparare honorem tum puellae, tum parentum; 3° puellam dotare, vel dotem augere ut aeque bene nubere possit, ac si violata non fuisset; 4° juxta plu-

[1] S. Alph., L. III, 640.

res aliquid etiam addere prudentum arbitrio, propter moerorem et periculum vexationis patiendae a marito si corrupta cognoscatur : hoc tamen periculum, cum defectus sit manifestus, vix videtur timendum. — Non tenetur tamen illam in uxorem ducere, si matrimonium non promiserit; nisi judex in poenam delicti ad eam ducendam ipsum obliget; vel nisi alio modo damna reparare non possit. Quod si puellam ducere vellet, et ipsa nuptias respueret, teneretur nihilominus eam omnino dotare, ut nubat ei quem ipsa voluerit, sicut nupsisset ante deflorationem.

Si vero crimen est *occultum*, et puella *aeque bene nubat*, ad nihil tenetur : non pro violatione claustri virginalis, quae in sententia probabiliori pecunia compensari nequit, nisi adsit sententia judicis; non pro periculo nullas nuptias inveniendi, quia, ut supponitur, jam inventae sunt; non pro damno, quia in hypothesi nullum adest; non demum pro injuria parentum, quia stuprum ignorant.

Adnotandum : quae dicta sunt de virgine invite violata, intelligenda quoque sunt in dubio num puella fuerit prius ab alio corrupta, quia praesumitur integra donec certo oppositum probetur. Item in casu quo vir rem habeat cum puella clam corrupta, et ex hac injusta violatione puella famam amiserit, nisi ipsa suae diffamationis causa extiterit [1].

1064. — *Q.* Quandonam virgo censetur invita ?

R. Virgo censetur invita : 1° Si per vim opprimitur. — 2° Si per metum gravem ad copulam adigitur. — 3° Si per dolum et fraudem ad consensum inducitur : fraus vero censetur adesse quando stuprator aliquid fingit cujus intuitu virgo consentit, et sine quo non consentiret. — 4° Si precibus importunis adduntur minae, aut incutitur metus reverentialis, v. g. quia stuprator est puellae dominus, aut vir magnae auctoritatis, vel si preces sint adeo importunae et frequentes ut puella majus detrimentum putet vexationem illam, quam virginitatis jacturam ; nam sollicitatio tam importuna vi aequiparatur. Rarissime tamen id contingit, quia puella concepta ira, clamoribus, vel alio modo, a sollicitante facile se liberare potest. Unde si *solis precibus* non adeo importunis consentiat, sponte et libere consentire censetur, cum facile possit et debeat illas rejicere et molestias propulsare. — 5° Si una cum precibus importunis vir incipiat tactibus et osculis puellae vim inferre, etsi illa postea libere consentiat ; censetur enim nihilominus invita, quia per antecedentem violentiam vir eam constituit in proximo periculo consensus. — 6° Demum si vir nolit discedere, et exinde virgo consentiat, eo quod timet infamari si cum illo ab aliis sola reperiatur. In hoc tamen et similibus casibus dicunt Salmat. violatorem teneri tantum ad partialem, non vero ad omnem damnorum reparationem [2].

[1] S. Alph., L. III, 640, 641.

§ 3°

De violatione puellae cum promissione matrimonii.

1065. — *Q.* Ad quid tenetur si puellam quis violaverit sub promissione vera aut ficta matrimonii?

R. Qui sub promissione vera aut ficta matrimonii puellam violavit,

[2] S. Alph., L. III, 642.

regulariter tenetur eam ducere: ita jus Canon. et Th. communiter ; - ratio, quia in contractibus innominatis, *do ut des, facio ut facias,* statim ac unus partem suam onerosam implevit, tenetur et alter suam implere ; et quidem ex justitia, sive ficte promiserit, quia dolus et fraus nemini patrocinari debet, sive, imo a fortiori, vere promiserit. Praeterea damnum, quod puellae intulit, vix aliter potest adaequate reparari [1].

Dixi *regulariter,* quia stuprator liber est ab obligatione tum puellam ducendi, tum damna compensandi in his casibus : 1° si puella ex verbis, signis, vel conditione stupratoris potuit aliqualiter arguere ipsum ficte promisisse ; 2° si ipsa stupratorem decepit fingendo se divitem vel virginem, quum talis revera non esset ; 3° si cum alio fornicetur, vel quid aliud fecerit ex quo stuprator licite possit a sponsalibus resilire ; 4° si obligationem stupratoris expresse remittat, aut matrimonium recuset, vel obstent ejus parentes, dummodo stuprator quoad suam conditionem eos non deceperit ; 5° demum si timeantur odia, inimicitiae, parentum indignatio, etc., quae stuprator minime praeviderit.

Stuprator vero liber quidem est ab obligatione puellam ducendi, sed tenetur damna compensare in his quatuor casibus : 1° si odia, inimicitias, parentum indignationem, vel alia hujusmodi ex matrimonio secutura praevidit ; 2° si est valde superioris conditionis, et hoc puella ignoraverit ; 3° si proprio errore deceptus ipsam virginem putabat ; 4° si propter impedimentum indispensabile illam ducere nequeat [2].

1066. — *Q.* Ad quid tenetur stuprator si impedimentum sit dispensabile ?

R. Praemitto : Impedimentum potest esse antecedens vel consequens. Hoc posito :

Si stuprator post defloration virginis voluntarie et fraudulenter impedimentum posuit, tenetur ad dispensationem petendam, etiam cum gravi incommodo, quia nemini sua fraus patrocinari debet.—Item ad dispensationem petendam tenetur si puellam defloravit impedimenti conscius ; quia tunc vel ad id se obligare intendit, et tenetur ratione intentionis, vel non, et tenetur ratione deceptionis.

Hisce casibus seclusis, disput. Th. Alii dicunt ad dispensationem petendam teneri in solo casu quo damnum puellae nonnisi per matrimonium sit reparabile, secus enim non adest obligatio frangendi leges ecclesiasticas.—Alii vero dicunt ad dispensationem petendam teneri, si obtineri possit absque gravi incommodo, quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ordinaria quae de facili adhiberi possunt. Si autem pro dispensatione obtinenda opus esset magno incommodo aut sumptu, teneretur tantum ad damni reparationem, sicut quilibet alius injustus deflorator [3].

An vero teneatur ad petendam dispensationem stuprator ligatus voto castitatis, dicetur ubi *de Matrimonio.*

—

[1] *Aertnys*, L. III, 373 ; *Ballerini* ad Gury, I, 729 (*b*).

[2] S. Alph., L. III, 643, 644, 646.

[3] S. Alph., L. III, 650.

ART. III.

De restitutione ob adulterium.

1067. — *Q.* Ad quid tenetur adulter ?

R. Praemitto : In adulterio mulier potest esse vel consentiens, vel invita; et in utroque casu vel proles nata est, vel non. Hoc posito :

I. Quando mulier in adulterium *consensit*, si exinde proles *nata non sit*, quum nullum adsit damnum reale, nulla facienda est restitutio. Et in hoc casu, si crimen est occultum nec ipso marito innotescat, adulter non tenetur exhibere marito satisfactionem, quia nemo tenetur suam prodere turpitudinem ; imo nec expedit, ob gravia mala quae inde obvenirent. — Si vero crimen marito innotescat, adulter debet injuriae personali marito irrogatae satisfacere per signa doloris, quibus virtualiter exposcitur venia ; haec enim, moraliter loquendo, nunquam formaliter petenda est, quia id nec vir pateretur, nec gravibus vacaret incommodis, quae idcirco a formali satisfactione excusant. — Si autem proles *nata sit*, utrique incumbit injuriae mariti satisfacere, damna reparare, et onera ex generatione prolis provenientia sustinere, et quidem *in solidum*. Unde si proles spuria absque periculo infamiae, aut rixarum, etc., a familia separari nequeat, tam adulter quam adultera tenentur in solidum erga maritum de omnibus expensis factis ad prolis educationem, et erga alios filios de portione haereditatis ad spurium devolutae. Dixi *in solidum*, quia si una pars nolit aut non possit damna reparare, tenetur altera ; hinc deficiente adultero, tenetur adultera si habet bona paraphernalia ; et si non habet quae sufficiant, providere debet quantum potest, majorem familiae curam habendo, vel minuendo sumptus et expensas a marito sibi concessas ad honestas recreationes cultumque corporis, diligentius laborando ut pro viribus aliquo modo damna compensare possit [1].

II. Quando mulier fuit *invita*, si proles *nata non sit*, adulter ad reparationem injuriae tantum tenetur, sive erga mulierem, sive erga ejus maritum, si ipsi res innotescat. — Si autem proles *nata sit*, tunc vel mulier fuit *physica vi* oppressa, et omnia onera gravant adulterum, nisi mulier facile filium subducere potuisset [2] ; vel *vi* tantum *morali* affecta, et tenetur in defectu adulteri.

1068. — *Q.* Quid in dubio an proles sit spuria ?

R. Ante omnia adulteri tenentur dubium purificare [3]. Si vero dubium purificare nequeant, tunc alii dicunt ipsos teneri pro rata dubii, alii vero communius et probabilius dicunt ad nihil teneri, quia proles semper marito tribuitur, donec aliter constet [4].

[1] S. Alph., L. III, 659.

[2] S. Alph., L. III, 659.

[3] Certitudo illegitimitatis filii tunc solum habetur, quum constat nullum usum matrimonii intercessisse a die 300 ad 180 ante nativitatem filii. Hinc poterit quidem esse dubium utrum mulier (cui res nequit esse ignota) verum fateatur, dum affirmat vel negat; at ipsa hujusmodi dubio laborare non potest. Cetera vero argumenta fallacia sunt, aut saltem non possunt sufficienter rem comprobare; unde quousque non adsit aliud certum indicium, hoc dubium excuti non poterit, proindeque nulla adesse potest obligatio illud expendendi.

[4] S. Alph., L. III, 658. — Vid. etiam *Marc*, n. 963, q. 2°.

1069. — *Q.* Si adultera nequit damna compensare, tenetur ne marito aut filio crimen aperire?

R. Communis sententia dicit regulariter ad hoc non teneri; tum quia talis revelatio mulieri nimis onerosa et probrosa vix fieri potest absque ingentibus damnis, nempe infamia, saevitiis, perpetua discordia etc.; tum quia vir mallet damnum pati quam id rescire: filius vero, ut mox dicetur, perraro tenetur credere, et in casu quo credat difficile haereditatem dimittet, imo non poterit absque infamia [1]. Dixi *regulariter,* quia si moraliter certa sit filium spurium ei crediturum, et inde haereditatem dimissurum, vel si agatur de bono publico talem confessionem exigente, ad illam tenetur. Sed, ut notant auctores, raro hi duo casus *in praxi* contingere inveniuntur.

1070. — *Q.* Filius tenetur ne credere matri asserenti ipsum esse spurium, ac proinde dimittere haereditatem acceptam, vel accipiendam?

R. Th. communissime et probabilius dicunt quod filius non tenetur credere matri declaranti eum esse illegitimum, licet ipsi constet matrem pluries adulterasse; - ratio, sive quia filius est in possessione legitimitatis, quam cedere non tenetur nisi de contrario convincatur, sive quia nemo meretur fidem allegans turpitudinem suam, demum quia nemo tenetur credere uni testi, etsi probatissimo, juxta effatum: *testis unus, testis nullus* [2]. Excipe si adsint indicia adeo evidentia, ut filius in foro externo tanquam spurius condemnaretur, puta si mater clare ostendat maritum fuisse impotentem, aut absentem tempore procreationis.

1071. — *Q.* Adulteri prolem spuriam hospitio exponentes tenentur ne aliquid hospitio restituere?

R. Adulteri si pauperes sint licite et citra omnem obligationem possunt hospitio prolem exponere. — Si autem sint divites, alii dicunt eos teneri impensas compensare, quia hospitia pro pauperibus instituta sunt; alii vero probabilius negant, dicentes illa pro omnibus indiscriminatim esse instituta ad bonum publicum, ad evitanda scilicet plurima infanticidia, quae aliter evenirent. — Ceterum omnes conveniunt *in praxi* enixe adhortandos esse genitores divites ut aliquid hospitio retribuant, sive titulo poenitentiae, sive titulo beneficentiae [3].

CAPUT III.

De restitutione ob damnum famae.

1072. — *Q.* Ad quid tenetur qui injuste laesit famam proximi?

R. Qui injuste laesit famam proximi, tenetur sive famam, sive damna secuta reparare; - ratio, quia est horum omnium causa efficax et formaliter injusta.

Et primo, *quoad famam:* Si quis per calumniam proximum denigravit, tenetur aperte se retractare

[1] S. Alph., L. III, 653. — Si adulterium viro consentiente patratur, restitutio cessat sive quoad ea quae maritus in adulterinum impendit, quia etsi matrimonio fiat injuria, viro non fit; sive quoad ea quae adulterinus accepit ex haereditate ejus, salva legitima haeredibus necessariis. — *D'Annibale,* II, 281 (13).

[2] S. Alph., L. III, 654; *D'Annibale,* I, 49 (20).

[3] S. Alph., L. III, 656.

et fateri se falsum dixisse, adhibito etiam, si opus sit, juramento. Non requiritur tamen ut quis dicat se mala fide egisse, nisi id exigat debita ablatae famae reparatio, quod raro contingere potest. Si quis vero per revelationem veri quidem, sed occulti criminis, proximum denigravit, tunc reparatio difficilior evadit ; tenetur tamen reparare quantum potest, v. g. fateri se male dixisse, errasse, deceptum fuisse. Meliori autem modo reparare poterit, data occasione, serio et pluries honorabiliter loquendo de laeso, vel eum honorifice tractando.

Secundo, *quoad damna* denigrator tenetur omnia reparare quae saltem in confuso ex detractione secutura praevidit, et si est in mora culpabili restituendi tenetur etiam de damnis inde obventis. — Hic adnotandum quod obligatio *personalis* famam restituendi non transit ad haeredes, sed tantum *realis* damna reparandi, si detractor defunctus peccavit contra justitiam, et ejus culpa gravis fuit.

Confessarius autem curet ut hujusmodi famae restitutio, cum commode fieri potest, ante absolutionem fiat, quia postea talis obligatio difficulter implebitur, quamvis ceterum minoris difficultatis sit quam pecuniae restitutio [1].

1073. — *Q.* Quotnam causae a restitutione famae excusant ?

R. Tres causae a restituenda fama excusare possunt : 1° Inutilitas restitutionis ; 2° condonatio ; 3° impotentia.

1. *Inutilitas restitutionis,* quae triplici ex capite oriri potest, scilicet vel quia laesus alio modo famam recuperavit, vel quia crimen alia via publicum evasit, vel tandem quia auditores detractori non crediderunt : in ultimo casu nullam dici potest adesse obligationem reparandi damnum, quia nullum adfuit.

2. *Condonatio* ex parte infamati, sive expressa sive tacita, dummodo illius infamia in alios non redundet aut scandalum non pariat; quia in primo casu invalida, in altero illicita esset condonatio, et detractor semper teneretur aut ex justitia aut ex caritate famam restituere.

3. *Impotentia*, sive physica sive moralis, quo in casu omnia applicari possunt quae diximus n. 1038-9.

1074. — *Q.* Licet ne famam cum fama compensare ?

R. — 1. Certum est quod si alter tibi velit famam restituere, teneris et tu pariter restituere famam ei ablatam.

2. Certum quoque est quod si alter tibi famam jam abstulerit, non potes deinde in compensationem famam illi auferre, quia haec non esset compensatio, sed vindicta.

3. Si vero alter nolit tibi famam restituere, an possis teipsum compensare differendo restitutionem suae famae, nonnulli negant; at sententia communior et probabilior affirmat, quia non teneris reddere jus alteri debitum, si ille recuset tibi reddere tuum [2].

1075. — *Q.* Si restitutio famae sit impossibilis, diffamator tenetur ne infamatum pecunia compensare ?

R. Aliqui affirmant ; sententia tamen probabilior negat, quia fama cum sit diversae speciei, et bonum superioris ordinis, quibuscumque

[1] S. Alph., Hom. Ap. T. XI, 18.

[2] S. Alph., L. III, 999.

pecuniis nunquam compensari potest (v. n. 970). — Communiter tamen monent Th. quod si infamator sit dives, et infamatus pauper, congruum est ut ille ex quadam aequitate compenset infamiam cum aliqua pecunia si alter libenter illam acceptet.

An vero infamatus, si detractor famam restituere nolit vel nequeat, possit ex pecunia illius se compensare, disputant Th. Alii affirmant, plures vero cum S. Alph. negant; - ratio, quia quum adhuc sit dubium an possit, ideo in dubio cum sola opinione probabili compensatio fieri nequit [1]. — Attamen prior sententia affirmativa certe probabilis est, siquidem est S. Thomae Aquinatis docentis restitutionem fieri debere per bona alterius ordinis, quando non potest fieri per bona ejusdem ordinis [2]. Quare infamatus eam sequi potest, puta non restituendo pecuniam debitam detractori qui famam non restituit. Quod autem a contraria sententia dicitur de dubio *an possit* etc., non valet, quia hic non agitur de dubio *an injuria de facto extiterit* (quo in casu non licet compensatio), sed de dubio, seu melius de vera probabilitate liceitatis actionis.

[1] S. Alph., L. III, 1000-1.

[2] 2a 2ae, q. 62, a. 2.

Nonnulla monita pro praxi.

1. Confessarius sedulo attendat ne poenitenti obligationem restitutionis imponat, nisi obligatio certa sit; quia *in dubio melior est conditio possidentis.* — Et etiam in casu quo obligatio certa sit, si Confessarius comperit poenitentem bonae fidei hanc obligationem ignorare, et monitionem praevideat non esse profuturam, hanc omittat vel potius differat donec profutura censeatur; melius est enim damnum spirituale poenitentis vitare, ipsum in bona fide relinquendo, quam temporale sui creditoris.

2. Quod si obligatio restitutionis certa sit, et ipsam poenitens noverit, Confessarius eum absolvere nequit sequentibus casibus: 1° Si cum restituere *illico* possit, restitutionem tamen differre vult usque ad mortem, vel ipsam adimplere per haeredes suos, quia praeceptum restitutionis qua parte est negativum obligat semper et pro semper. 2° Si cum *totum* restituere possit, per partes tantum restituere vult, quia obligatio restitutionis una eademque est. 3° Si cum *facile ante absolutionem* restituere possit, restituere tamen non vult nisi post obtentam absolutionem; nam experientia docet hujusmodi poenitentes, obtenta absolutione, obligationem negligere, praecipue si alias absoluti fuerint sub simplici promissione.

3. E contra Confessarius poenitentem absolvere potest etiam ante restitutionem duobus in casibus: 1° Si poenitens prima vice peccatum suum confiteatur, et Confessarius, omnibus perpensis, prudenter judicare possit ipsum sinceram habere voluntatem quam citius restituendi meliori quo poterit modo. 2° Si ex una parte Confessarius comperit poenitentem non posse illico restituere, et ex altera tales interveniant circumstantiae quae restitutionis differendae justam causam praebeant; in hisce enim casibus verum ac firmum propositum sufficere potest.

4. Circa judicium de peccatis poenitentis hac in re, Confessarius, postquam nosse curaverit tum species et numerum peccatorum poenitentis in re aliena auferenda vel damnificanda, tum tempus ex quo ipsam injuste retinet, tum an alias de hoc peccato jam confessus sit, et quot vicibus restitutionem promiserit quin adimpleverit, et cur non adimpleverit, poenitentem ultra ne vexet circa interruptionem aut renovationem voluntatis rem alienam retinendi, nisi hanc pravam voluntatem positive et expresse retractaverit.

5. Quando vero poenitens causas allegat obligationem restitutionis suspendentes vel tollentes, prudens Confessa-

rius sedulo animadvertat an allatae rationes verae sint; quot enim poenitentes, ut ab onere restituendi se excusent, causas omnino fictitias et etiam aliquando mendaces allegant! Hujusmodi poenitentes quot confessarios decipiunt semper restitutionem promittendo et nunquam adimplendo! Prudens igitur Confessarius poenitentem, qui impotentiam restituendi allegat, interroget utrum saltem media congruentia adhibeat quibus vel in toto vel saltem ex parte obligationem suam adimplere possit; utrum v. g. labori suis viribus non impari attendat; utrum expensas inutiles, superfluas et aliquando forsan illicitas evitet. Quot enim otio vacant, quot etiam pecuniam in luxu, in ludis, comessationibus impendunt! Haec omnia igitur prudens Confessarius animadvertat ut recte judicare possit utrum causae a poenitente allegatae revera eae sint quae, ut diximus n. 1038 et seq., a restitutione excusant.

APPENDIX

DE ECCLESIAE DOMINIO IN BONA TEMPORALIA.

CAPUT I.

De dominio Ecclesiae.

1076. — *Q.* Ecclesia est ne subjectum capax dominii in bona temporalia?

R. Ecclesia est subjectum capax dominii in bona temporalia. De fide est, ut diximus n. 773, et constat ex Wiclefi propositionibus 10, 32, 33, damnatis in Concilio Constantiensi: *Contra Scripturam est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones; - Ditare Clerum est contra regulam Christi; - Sylvester Papa, et Constantinus Imperator errarunt Ecclesiam dotando.*

Probatur autem 1° — *Invicto praescriptionis argumento.* Ecclesia semper bona temporalia habuit; constat enim Christum loculos habuisse, ut suis suorumque necessitatibus subveniret; Apostolos ad Christi exemplum oblationes a fidelibus accepisse pro sua aliorumque Christi ministrorum ac pauperum sustentatione; celebrem fuisse inter primaevos fideles communionem bonorum, quae primum posita ante pedes Apostolorum ut singulis dividerentur prout cuique opus erat, postea distribui debuerant per ministerium Diaconorum. At vero si ipse Christus loculos habuit et Apostoli dona accipiebant, uno verbo si Ecclesia a tota retro antiquitate bona habuit, negari nequit ipsam esse subjectum capax dominii in bona temporalia.

Probatur 2° — *Omnium populorum consensu.* Si enim cujuslibet populi mores attendamus, aperte noverimus cujusvis religionis ministros semper habuisse bona sibi ab imperatoribus et a privatis concessa. Penes Judaeos haec erat divina lex, ut ceterae tribus darent Levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, primitias et decimas pro officio sacerdotali. Penes Aegyptios major bonorum portio ad sacerdotalem ordinem spectabat: itemque penes Graecos, Romanos, Gallos, Germanos, etc. Jamvero consensus omnium populorum in una eademque re ut vox naturae habendus est: ergo.

Probatur 3° — *Ratione.* Ecclesia est vera et perfecta societas, seu corpus morale. At corpora moralia semper agnita sunt et agnoscuntur ut subjectum dominii capax: ergo.

Corollaria.

Ex asserta propositione plura sequuntur consectaria.

1. Temporale dominium Summi Pontificis nullam involvit repugnantiam cum ipsius ministerio, et Summus Pontifex legitime illud possidet. Christus enim nunquam Apostolis prohibuit ne ullum haberent temporale dominium; quinimo eos mittens in universum

mundum dixit: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra* [1]; et in Apocalypsi appellatur: *Princeps regum terrae* [2]. Ergo dominium temporale ministerio spirituali non repugnat.

Praeterea dominium temporale plures et maximas utilitates secum affert: nam si Papa alicui Principi subditus esset, facile praepediri posset in exercitio suae potestatis, quam cum debita libertate et decore adhibere non posset erga ceteros Principes cum quibus saepe agere debet; nec ab aliis Principibus filiali, qua par est, fiducia exciperentur ejus monita, curae ac sollicitudines; uno verbo maxima evenirent incommoda, ut attendenti patet [3].

2. Facultas quae Ecclesiae competit acquirendi dominium, non est repetenda a jure humano, sed ab ipso jure naturali et divino. Ecclesia enim est societas ab ipso Deo instituta, ideoque jus habet innatum ad ea omnia quae ad ipsius conservationem et libertatem necessaria sunt.

3. Ecclesiae bona non pertinent ad rempublicam; bona enim Ecclesiae, utpote societatis perfectae, et omnino superioris, distincta plane sunt a bonis reipublicae; ergo haec nullo jure sibi illa bona adscribere valet.

4. Injusti, sacrilegi et usurpatores habendi sunt non solum qui bona Ecclesiae usurpant, sed etiam qui huic usurpationi cooperantur: puta, qui sine Ecclesiae consensu illa bona emunt, retinent, vendunt, administrant, etc.

CAPUT II.

De bonis ecclesiasticis; de poenis in usurpatores, emptores, detentores etc. latis; ac de istorum obligationibus et absolutione.

ART. I.

De bonis ecclesiasticis.

1077. — *Q.* Quaenam dicuntur bona ecclesiastica?

R. Bona ecclesiastica dicuntur *ea quae certis Ecclesiis, vel beneficiis, aliisve institutis ecclesiasti-*

[1] Matth. XXVIII, 18.

[2] Cap. I, 5.

[3] *Ob.* 1ª — Christus dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ergo.

R. Hanc difficultatem jam suis temporibus protriverat S. August. (Tr. 118, in Jo., n. 2). — Regnum Christi certe non est de hoc mundo, sed spirituale et coeleste; ergo omnes, sive clerici sive laici, ad coeleste regnum anhelare debent. Sed ex hoc non consequitur quod a Christo prohibitum sit bona temporalia possidere, secus, quum verba Christi etiam ad laicos directa sint, inde sequeretur quod etiam laici non possent bona temporalia possidere, quod nemo sane dicit: ergo. — Insuper: Regnum Christi, nempe Ecclesia, utique non est de hoc mundo, sed de coelo; attamen in mundo seu in terris degit et ex hominibus constat: ergo nihil repugnat, imo necesse est ut necessariis mediis ad suum regimen et prosperitatem instructa sit.

Ob. 2ª — Perfectius ideoque melius est quod Ecclesiae ministri exemplum sequantur Apostolorum, qui nulla bona temporalia possidebant, sed ex fidelium oblationibus simpliciter vivebant: ergo...

R. Quaestio hic non est an perfectius et melius sit quod Ecclesiae ministri Apostolorum vestigia sequentes ex fidelium oblationibus vivant, sed an Ecclesia capax sit bona temporalia possidere, quod invictis argumentis demonstravimus; ergo objectio non est ad rem.

Quid vero perfectius sit, ideoque melius pro bono ministrorum Ecclesiae, speciatim vero pro eorum plena libertate et opportunitate ad consulendum saluti fidelium, hoc pendet a diversitate circumstantiarum, v. g. loci, temporis, etc.; et res hujusmodi non laici qui divina carent missione, sed Ecclesia a Spiritu Sancto edocta judicare et determinare debet; ergo.....

— —

cis adnexa sunt, et jure ecclesiastico reguntur.

Beneficia vero et instituta ecclesiastica dicuntur *ea quae auctoritate Episcopi canonice sunt erecta, et quidem speciali ecclesiae sunt addicta.*

Huc, praeter ipsas Ecclesias et Beneficia ecclesiastica, veniunt Jus patronatus ecclesiasticum, Oratoria publica, Monasteria, Conventus, Seminaria, Confraternitates et Cappellaniae ecclesiasticae.

Congregationes vero caritatis, Montes pietatis, Hospitalia, Cappellaniae laicales, Confraternitates et alia Instituta ac Loca pia, si auctoritate Episcopi *canonice* seu *formali decreto* erecta fuerunt et ab Ecclesia reguntur, inter bona ecclesiastica recensentur [1]. — E contra Instituta ac Loca pia quae per se subsistunt, etiamsi instituta perhibeantur approbante Episcopo, sive ab ecclesiasticis tantum sive ab ecclesiasticis simul et laicis administrentur, inter bona *laicalia* recensentur; approbatio siquidem Episcopi refertur solummodo ad ea quae divinum cultum respiciunt, uti templa, Sacramentorum administrationem, etc.

Ceterum *ecclesiastico jure* aConc. Trid. asserto [2], Episcopi habentur tanquam executores omnium piarum dispositionum, et jus habent invisendi hospitalia, collegia, confraternitates et omnia loca pia, etsi ad laicos spectantia. Omnes vero administratores ecclesiarum, confraternitatum, locorum piorum tenentur eodem jure ecclesiastico quotannis Episcopo rationem administrationis reddere; et si quem ex administratoribus infidelem Episcopus reperiat, ipse potest eum expellere, aliumque ipsius loco deputare.

1078. — *Q.* Quinam rei sunt injustitiae circa bona ecclesiastica?

R. Rei sunt injustitiae in bona ecclesiastica omnes qui illa usurpant, emunt vel absque debita Ecclesiae facultate retinent, administrant aut fructus percipiunt; - ratio, quia violant jus sive naturale sive ecclesiasticum quod Ecclesia et clerici habent illa bona possidendi, administrandi et eorum fructus percipiendi.

Art. II.

De poenis in usurpatores, emptores, detentores etc. bonorum ecclesiasticorum.

1079. — *Q.* Bona et jura ecclesiastica respectu ad excommunicationem ad quotnam classes revocari possunt?

R. Bona et jura ecclesiastica respectu ad excommunicationem ad tres classes revocari possunt. — *Prima* classis respicit bona et jura ad Romanam Ecclesiam pertinentia. — *Secunda*, bona et jura pertinentia ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum. — *Tertia*, cetera bona et jura ecclesiastica, uti bona Ecclesiae, livella, census, etc., sive usurpentur, sive redimantur, sive alienentur sine debita facultate Ecclesiae.

1080. — *Q.* Quaenam poenae in usurpatores, emptores, detentores etc. bonorum ecclesiasticorum?

R. Poenae quae nunc vigent triplicis generis sunt: — 1° Excom-

[1] *Del Vecchio*, I, 626.

[2] Sess. XXII, c. VIII, IX, de ref.

municatio *speciali modo* Rom. Pontifici servata. Can. 2345. — 2° Excommunicatio Rom. Pontifici *simpliciter* reservata. Can. 2346. — 3° Excommunicatio *nemini* reservata. **Can. 2346.**

§ 1°

Prima excommunicatio — speciali modo *Rom. Pontifici reservata.*

Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, subiaceant excommunicationi latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatae; et si clerici fuerint, praeterea dignitatibus, beneficiis, officiis, pensionis priventur atque inhabiles ad eadem declarentur. **Can. 2345.**

Haec excommunicatio tueri intendi non solum quae modo sunt bona et iura a Romana Ecclesia possessa, sed etiam ea quorum dominium conservat ac propugnat, licet ab aliis usurpata fuerint ac detineantur.

Inter usurpantes venit qui rem a domino occupat, quasi ad se pertinentem.

Hinc ad usurpationem necesse est ut quis rem realiter occupet, et non sufficit quod occupare tentaverit; ut rem occupet a domino, non ab alio qui utcumque eam tenebat etiam iniuste; ut eam occupet, non ut rem faciat suam, sed ut occupet uti ad se pertinentem; non ut rem faciat suam quasi fur, sed contendens se ad eam occupandam jus habere.

Hinc certe excomunicantur qui id faciunt publica auctoritate praediti. An autem qui id faciunt freti legibus civilibus et publica auctoritate, disput. Th. Negat Penn. n. 364. Affirmant D'Annibale 91, 32. Bucceroni n. 29. Ball. 435.

Inter detinentes venit qui rem usurpatam quasi suam tenet ac possidet, impediendo, si opus sit, ne dominus eam recuperare valeat; detentio fieri potest per se aut per alios, puta per locum tenentem, per repraesentantes, per milites, etc.

Hic referre iuvat nonnullas declarationes S. Poenitentiariae quae ad rem faciunt.

Quaesitum fuit: « An liceat cooperari functioni religiosae legibus subalpinis expostulatae die anniversariâ Statuti? » — S. Poenit. 10 Dec. 1860, respondit: *Negative.*

Quaesitum fuit: « An liceat propriam domum exterius luminibus ornare occasione inaugurationis novi gubernii, aut alio simili eventu. Item an liceat uti insignibus novi gubernii, cujusmodi sunt *coccardae*, *vittae tricolores*, et alia id genus? » — Resp. ead. die: *Negative, dummodo non immineant gravia damna et absit scandalum.*

Quaesitum fuit: « An a Clero invitari possint Auctoritates gubernativae ad ecclesiasticas functiones; et si forte nec invitatae intersint, an Clerus possit iis honoris actus in caeremoniali praescriptos tribuere? » — Eadem die resp.: *Negative; et quatenus non invitati interveniant, Clerus passive se habeat; hoc est abstineat ab actibus honorificis in caeremoniali praescriptis.*

Quaesitum fuit: « An excipi in Ecclesia possint Magistratus municipales iisque tribui honoris actus, ut supra? » — R. *Affirmative, dummodo tamen Magistratus non peregerint actus reprobatos per*

Litteras Apostolicas die 26 Mart. 1860; secus ut in praecedenti.

Quaesitum fuit: « An in missa, aliisque functionibus recitari possit Collecta *pro Rege*, quando ab invasore gubernio edicatur? » — S. Poenit. resp.: *Negative.*

Quaesitum fuit: « An liceat dare suffragia ad componenda Concilia (Rappresentanze) Municipalia; et an electi possint officio fungi Consiliarii et Magistratus municipalis? » — S. Poenit. resp.: *Dummodo Municipales non adigantur ad ea quae adversantur legibus divinis et ecclesiasticis, et se abstineant a praestando juramento juxta formam a Gubernio invasore propositam, posse tolerari.*

Quaesitum fuit: « An retineri et suscipi possint sub intruso gubernio officia? » — S. Poenit. resp.: *Dummodo non agatur de officiis quae directe et proxime influunt in spolium, vel in ejusdem spolii manutentionem, et exerceri possint absque periculo laesionis legum divinarum et ecclesiasticarum, posse tolerari. In praxi vero quilibet ex dictis officialibus, aut personis ditionis Pontificiae, qui paratus sit stare mandatis S. Sedis, caute moneatur ut consulat Episcopum seu loci Ordinarium, qui in singulis casibus decernet juxta mentem SS. Domini.*

Quaesitum fuit: « Potest ne Episcopus dioecesim primo ingrediens provinciae Praesides constitutos invisere? » — S. Poenit. 14 Dec. 1866 resp.: *Nihil obstare, quominus expleantur urbanitatis officia.*

Quaesitum fuit: « Potest ne Episcopus rogatus jusjurandum proferre? aut saltem quamnam novo rerum ordini observantiam promittere potest? » — S. Poenit. resp.: *Negative, tum quia a SS. canonibus prohibitum est Ecclesiasticis juramenta emittere coram auctoritatibus laicis; tum quia juramentum prout proponitur, est illicitum, ut constat ex resp. S. Poenit. 10 Dec. 1860.* (Cf. n. 581 (3).)

Quaesitum fuit: « Seminariorum Magistris poterunt ne testimoniales litterae ab Episcopo tradi, ut a gubernio tanquam publici professores rati habeantur? » — S. Poenit, resp.: *Nihil obstare, quominus, Ordinarius concedat Seminarii Magistris litteras testimoniales, quibus generice comprobetur eorum in docendo exercitium, et in scholis regendis peritia.*

1082. — *Q.* Qui publica munia gerunt in territoriis usurpatis incurrunt ne excommunicationem?

R. Distinguendum est. Publica munia duplicis generis sunt: Alia *politica*, quae spectant ad ipsum regimen tuendum totius nationis; alia mere *civilia*, quae pertinent ad necessitates et utilitates civium.

Porro officia *politica*, si directe et proxime influunt in spolium vel in ejusdem spolii manutentionem (et sunt officia quae primi magistratus gerunt in quavis provincia, aut civitate, aut oppido, ut declaratum fuit in Instr. Pii VII, 10 Jun. 1809), retineri nequeunt. Unde qui retinet, ea officia deserere debet, quod si deserere nequeat sine gravi incomodo promittat quamprimum officium se dimissurum, vel saltem ad S. Poenitentiariam quamprimum recursurum. — Alia vero officia politica, quae directe et proxime non influunt in spolium vel in ejusdem spolii manutentionem, retineri possunt, dummodo exerceri possint absque periculo laesionis

legum divinarum et ecclesiasticarum.

Quoad officia *civilia*, ea suscipere licitum est, quia directe et per se non tendunt ad approbandum vel confirmandum usurpatorem, sed dumtaxat ad publicum ordinem servandum, quem ipse usurpator servare debet ex ipsa natura societatis, quae seipsam possumdare nequit. — Attamen qui hoc munus civile suscipit duo observare debet: 1° Ne juramentum praestet quo usurpatori obedientia, ut ajunt, *activa* promittitur, quod quasi pretium muneris foret; et si jurare omnino necesse sit, *passivam* dumtaxat spondeat obedientiam, legibus tum divinis tum ecclesiasticis consentaneam. 2° Ut, dum jurat, palam profiteatur se nihil facturum quod legibus tum divinis tum ecclesiasticis adversetur. Quare, si quid contra has leges faciendum occurrerit, se abstinere aut officio renuntiare necesse est. [1]

[1] « Non è mai lecito ad alcuno assumere e ritenere l'ufficio di Subeconomo pei beneficii vacanti. Cotesti impieghi di Subeconomo hanno per iscopo, alle presenti condizioni d'Italia, di ritenere e amministrare beneficii ecclesiastici e pii legati, e di attribuirne le entrate ad usi cui da un Governo laico son destinate. Ma un governo civile non ha e non può avere alcun diritto sui beni della Chiesa, i quali sono ordinati al culto divino, a sostentamento dei sacri ministri, e a sussidio dei poveri: il che costituisce uno scopo affatto spirituale, che eccede qualunque civile podestà. Inoltre le leggi della Chiesa... fulminano di scomunica riservata al Papa tutti coloro che addicono a sè i beni della Chiesa, o che si attribuiscono *jura*, *census*, *fructus*, *emolumenta* che riguardano i medesimi. (Trid. Sess. XXI, cap. XI, *de Ref.*). Ma questo è appunto quello che fa il Subeconomo pei beneficii vacanti; quindi esso non può nè assumere nè durare nel suo ufficio senza incorrere le censure della Chiesa ». *Monitore Ecclesiastico*, Vol. III, parte II, pag. 12. — Unde absolvi nequit, nisi prius a tali officio se retrahat, aut facultatem ab Ecclesia obtineat in eodem permanere.

Casus 1.us — Petrus judex, Paulus advocatus, et Andreas notarius, de proprio officio requisiti circa quosdam contractus bonorum ecclesiasticorum, propria munia exercent juxta leges civiles.

Q. Peccant ne, et incurrunt ne aliquam censuram?

R. Praemitto: *Judex* est magistratus qui legem applicat sive personis, sive factis quae ad suum tribunal deducuntur; idcirco est executor legis in bono vel in malo prout lex est justa vel injusta. — *Advocatus* est veluti cooperans, quia consilium et favorem praebet; dirigit enim contractus sui clientis, eumque penes tribunal defendit. — *Notarius* est publicus officialis qui suo legali et auctoritativo testimonio contractus coram se initos convalidat, et ratos efficaciter reddit; est ergo uti participans actioni contrahentium. Hoc praemisso:

1. Si contractus circa bona ecclesiastica initi sunt cum venia S. Sedis, ipsi poenam non incurrunt, quia venia S. Sedis injustitiam aufert hujusmodi contractuum.

2. Si contractus initi sunt sine venia S. Sedis et vergunt in verum et directum damnum Ecclesiae, puta si impediunt quominus Ecclesia in possessione deveniat suorum bonorum, uti esset v. g. si in venditione sub hasta concurreret ipse legitimus administrator bonorum, vel alius qui debitam veniam emendi obtinuit, tunc cum illi contractus ex se injusti sint utpote immediata usurpatio bonorum Ecclesiae, omnis actio in favorem hujusmodi contractuum esset per se injusta et illicita; proindeque judex, advocatus, et notarius in hoc casu propria munia exercere non possent. — Excipiendus tamen esset casus, quo ipsi certi essent quod ex una parte damnum Ecclesiae vel locorum piorum aequaliter et certo ab agente principali inferretur, et ex altera damnum certe grave ex denegatione proprii muneris rationabiliter timerent; in hoc enim casu excusandi essent, quia rationabiliter praesumitur consensus legitimi domini, nempe Ecclesiae (V. *Gury*, I, 687, 3).

Secunda excommunicatio Sedi Apostolicae ***simpliciter*** *reservata.*

Si quis bona ecclesiastica cuiuslibet generis sive mobilia sive immobilia, sive corporalia, sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit, aut impedire ne eorundem fructus seu redditus ab iis, ad quos de iure pertinent, percipiantur, excommunicationi tamdiu subiaceat, quamdiu bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit.

Can. 2346.

Nota: Codex iuris canonici vi huius Can. 2346 nonnihil immutavit de praescriptionibus Conc. Trid.

Obiectum huius excommunicationis sunt quaelibet bona ecclesiastica, quae nempe pertineant ad entia pia in sensu tum religio-

3. Si vero contractus initi sine venia S. Sedis non sunt in verum et directum damnum Ecclesiae; puta si agatur de contractu venditionis inter privatos, in quo (postquam bona Ecclesiastica jam usurpata fuerunt a Demanio) transfertur tantum possessio ab uno ad alium injustum possessorem, quin Ecclesia possessionem reclamare possit, tunc quaestio est an actio judicis, advocati, et notarii sit cooperatio formalis, vel materialis tantum. Plures tenent cooperationem esse tantum materialem, quia Ecclesia nec ullum damnum patitur, nec Ei aufertur aut minuitur jus in eadem bona. A fortiori autem in hoc casu praesumi potest ejus consensus, quia ex denegatione proprii muneris damnum certe grave obveniret; judex enim a proprio officio destui posset, notarius etiam in carcerem detrudi, et advocatus amittere suos clientes; quae amissio damnum grave vel leve causare potest juxta circumstantias. — Ceterum *in praxi* ipsis consulendum est ut in hisce casibus ad auctoritatem ecclesiasticam recurrant pro opportuna facultate quae ipsis conceditur, modo stent mandatis Ecclesiae, et scandalum, si forte adsit, prudenter removeant.

4. Quoad censuram vero videndum: Si ipsi in proprio officio exercendo non peccant graviter, nec poenam incurrunt. Si autem graviter peccant, tunc considerandi sunt uti cooperatores. At vero ipsi non incurrunt excommunicationem Sedi Apostolicae *speciali modo* reservatam, quia haec afficit tantum usurpantes vel detinentes — Quoad excommunicationem Sedi Apostolicae *simpliciter reservatam* eam non incurrunt advocatus et notarius, quia eorum actio non esset impedimentum immediatum, sed mediatum tantum. E contra judex qui bona vel reditus ecclesiasticos aliis sua sententia adjudicaret contra jus Ecclesiae vere impediret ne bona aut reditus ecclesiastici ab iis percipiantur, ad quos de jure pertinent; ergo si adsit praesumptio censuram incurrit, nisi ignorantia aut gravi metu excusetur.

Casus 2.us — Petrus exactor, Paulus praeses congregationis caritatis, et Andreas suboeconomus pro beneficiis ecclesiasticis se sistunt coram Joanne confessario, qui opinatur ipsos in conscientia teneri vel ad proprium officium dimittendum, vel ad debitam veniam petendam.

Q. Quid de opinione confessarii?

R. — 1. Quoad Petrum, confessarius male opinatur; ejus enim officium, quum respiciat meram administrationem, et quidem pro bono publico nationis, nec ullum juramentum exigat, nec ulli legi divinae aut ecclesiasticae adversetur, licite assumi et exerceri potest. — Attamen, si quem locum pium, aut aliquem ecclesiasticum morosum ad solutionem adstringere deberet mediis coactivis, necessaria esset venia Ordinarii, quae ei in singulis casibus conceditur sub conditione solutionem prudenter exigendi, remoto interim omni scandalo.

2. Quoad Paulum, confessarius bene vel male opinatur, prout congregatio caritatis *canonice* seu cum *formali decreto* Episcopi erecta fuit, vel non.

3. Quoad Andream vero bene certe opinatur, quia tale officium, praesentibus Italiae conditionibus, est illicitum, eo quod pro objecto habet et retinere et administrare bona ecclesiastica sine debita venia S. Sedis.

nis, tum caritatis, dummodo haec entia erecta sint et administrata ab Ecclesia; uti ipsae ecclesiae, beneficia saecularia et regularia, seminaria, monasteria, congregationes religiosae, piae confraternitates et alia quae sunt sub Ecclesiae administratione. — Sunt vero bona cuiuslibet generis, sive corporalia quae sensibus attinguntur, uti est ager, domus, pecunia; sive incorporalia uti sunt servitus activa, credita, ius hae reditatis; — Quoad mobilia plures censebant ea intelligi quae sunt pretiosa; at verba Codicis « *cuiuscumque generis* » latior esse videtur, certe tamen semper requiritur materia gravis.

Subiectum huius excommunicationis sunt qui praedicta bona in proprios usus convertere et usurpare *praesumpserint*. Haec autem vox *usurpare* duplici sensu intelligi potest, sensu *lato*, seu pro quavis iniusta occupatione aut detentione; et sensu *stricto*, seu pro occupatione facta *auctoritative*, nempe cum quis rem alienam vere occupat, et quidem uti dominus, velut ad se pertinentem quasi nempe ipse legitimam potestatem in ea haberet, ideoque ut suam apprehendit et cum auctoritate. Unde patet quod *usurpantes* sensu stricto hic accipiuntur, nempe qui praedicta bona occupant ut domini, quasi illa bona ad seipsos pertineant. — Insuper ad excommunicationem incurrendam requiritur *praesumptio*, nempe quod id faciant cum perfecta cognitione et deliberatione; nam quaelibet imminutio imputabilitatis sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis ipsos ab excommunicatione eximeret. (Codex Can. 2229, § 2).

Subiectum huius excommunicationis sunt.

1. Qui haec bona emere praesumpserit ab eo qui jam emerat a Demanio; item qui huic tertio ea vendit, quia vendere et emere coherent in unum, et ambo jus usurpant in bonis non propriis sed Ecclesiae.

2. Qui haec bona acquirit jure successionis aut haereditatis, si testator illa obtinuit absque venia S. Sedis, nisi statim debitam facultatem petat.

3. Qui haec bona a gubernio usurpata sine licentia conducere praesumit ac praetendet uti iure suo, ius gubernii recognoscens, et administrat, quia sic jus usurpat ea ad tempus possidendi, et fructus bonorum Ecclesiae converteret in proprios usus.

4. Qui usurpant ecclesiasticam jurisdictionem Ecclesiarum vel Beneficiorum etiam piorum locorum, puta usurpant potestatem pia loca gubernandi, ordinandi contra leges in fondationibus praescriptas, independenter a legitima auctoritate ecclesiastica.

5. Qui suscipiunt, vel inique sequestrant fructus reditus, etc. vel impediunt ne ab iis ad quos de iure pertinent, percipiantur.

Qui vero bona ecclesiastica hypothecae subjiciunt, si sunt ipsi usurpatores, excommunicationem reservatam incurrunt; si autem legitimi administratores, excommunicationem incurrunt nemini reservatam, ut infra [1].

Utrique subiecto propriae incumbunt obligationes; prior bona ipsa integre restituat; alter praedictum impedimentum removeat; hisce tantum praestitis, impetrare pos-

[1] *Scavini*, I, 907.

sunt a Sede Apostolica absolutionem ab excommunicatione. Quod si haec praestare nequeant, extant benignae S. Sedis dispositiones et concessiones, quorum vi compositiones indulgentur, ac Episcopis amplissimae conceduntur facultates. — Confessarius itaque in casibus ordinariis rem referat ad Episcopum. Ab infirmo autem moribundo, qui non possit facere compositionem si adire nequit Episcopum, regulariter exiget ut eam haeredibus imponat, vel serio mittat se eam initurum, si convaluerit, remoto scandalo; at prima confessarii cura erit salus animae [1].

[1] Casus.—Theophilus quodam censu oneratus erga quamdam Ecclesiam vel locom pium, illum sine beneplacito Apostolico redemit, aliud tamen aequivalens capitale offerendo, vel alium aequivalentem editum super alio fundo assignando.

Q. Theophilus peccavit ne, et incurrit ne aliquam poenam?

R. 1. Theophilus certe peccavit, quia usurpavit dominium directum quod Ecclesiae vel loco pio super illum fundum spectabat. Nec excusari potest eo quod aliud capitale vel alium reditum aequivalentis valoris substituit; nam semper verum est quod Ecclesiam vel locum pium dominio directo illius fundi spoliavit sine consensu legitimi domini, quod certe injustum est.

2. Poenam praeterea incurrit; quamnam vero poenam, videndum: — 1.° Si census spectabat Ecclesiae vel loco pio, excommunicationem incurrit Papae *simpliciter* reservatam. 2° Si vero censum redemit cum consensu quidem legitimorum administratorum, sed scienter praetermisit beneplacitum apostolicum, excommunicationem incurrit *nemini reservatam* contra alienantes sine Beneplacito Apost. Sedis. Can. 2347. 8.°

Casus 1. — Petrus fundum ecclesiasticum sine venia S. Sedis colit; vel fructus emit?

Q. Licet ne 1° operariis illum fundum colere; 2° vel fructus perceptos emere?

R. Ad 1um: - Operariis certe licet illum fundum colere, eorum enim labor non est cooperatio formalis et immediata; actio per se est bona et ab ipsa Ecclesia intenta ne fundus deterior fiat, et ipsi justam habent causam fundum colendi; ergo.

Ad 2um: — Disting.: Si fructus adhuc sunt in propria specie et natura; tunc eos emere non licet; imo adest *censura lata* contra usurpantes bona, census, *fructus*, etc. Requiritur tamen materia gravis, et ex parte ementis etiam praesumptio, nempe sciat poenam, et sciat rem quam emit spectare ad Ecclesiam, nec praesumere possit venditorem veniam obtinuisse ab Ecclesia.—Si autem fructus mutaverunt propriam speciem et naturam, puta si quis emit vinum, farinam, tunc emere licet, nec ulla incurritur poena, nam *mutata forma rei, prope interimit rei substantia.*

Casus 2. — Petrus Paulo suadet ut bona ecclesiastica emat a Demanio, et ut facilius emat et pecuniam commodat.

Q. Petrus peccat ne, et incidit ne in aliquam censuram?

R. Petrus certe graviter peccat, utpote cooperator illicitae emptioni bonorum Ecclesiae.—Attamen censuram non incurrit, quia excommunicatio est tantum contra usurpantes vel detinentes bona aut iura ad ecclesiam romanam pertinentia; vel contra eos qui bona ecclesiastica in proprios usus convertere et usurpare praesumpserint.

Casus 3. — Petrus sciens bona ecclesiastica vendenda esse sub hasta, deficiente tempore recurrendi ad auctoritatem Ecclesiae, ad hastam concurrit, cum intentione se componendi cum Ecclesia, si bona sibi adjudicarentur, uti evenit.

Q. Petrus incurrit ne excommunicationem?

R. 1. Certum est censuram non incurrere qui ad hastam concurrit, sed bona illi non adjudicantur. Ita S. Poenit. 15 apr. 1873.

2. In hac venditione sub hasta incurri potest excommunicatio lata in eum qui bona ecclesiastica in proprios usus convertere, vel usurpare *praesumpserit*, seu impedire ne ab iis ad quos jure pertinent percipiantur; hinc ad censuram incurrendam requiritur contumacia et praesumptio. Sed qui animum habet se componendi cum Ecclesia, contumax dici nequit; ergo.

Attamen ut censuram evadat duae requiruntur conditiones: 1° Ut vere ani-

Tertia excommunicatio — nemini reservata.

Qui in alienandis bonis ecclesiasticis scienter praetermiserint beneplacitum apostolicum contra praescriptum Canonum 1530, 1532.

Hanc excommunicationem incurrunt omnes qui quovis modo rei sunt sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo. Can. 2347. 3.°

En vero praescriptum : Can. 1530 , § 1 , 3° « Ad alienandos mum habeat se componendi cum Ecclesia ejusque praescriptionibus omnimode standi; quod utique quamprimum adimplere tenetur. 2° Ut Ecclesia neque per se neque per alios ad venditionem sub hasta concurrat, quia in hoc casu ipse impediret ne bona aut reditus ad illos perveniant ad quos jure pertinent.

Casus I. — Petrus fundum ecclesiasticum emit a Demanio , quem postea Paulo in censum tribuit vel locat.

Q. Petrus et Paulus incurrunt ne aliquam censuram ?

R. Quoad *censum*, Petrus et Paulus fundum emit sine venia S. Sedis, tunc et Petrus ed Paulus incurrunt excommunicationem simpliciter reservatam, quia jus sibi usurpant in bona ecclesiastica. Si autem emit cum venia , tunc Petrus est legitimus administrator, ideoque solum censuram *nemini reservatam* incurrit si scienter praetermisit beneplacitum apostolicum; quam censuram incurrit etiam Paulus si beneplacitum scienter praetermisit.

Casus 2. — Petrus fundum ecclesiasticum emit cum venia S. Sedis , sed illum postea absque venia Paulo vendit cum aliquo lucro.

Q. 1° Petrus peccat ne illum fundum vendendo ; 2° Petrus et Paulus incurrunt ne aliquam censuram : 3° lucrum cuinam speciat ?

R. Ad 1um:—Petrus certe peccat fundum ecclesiasticum sine venia S. Sedis vendendo; Ecclesia enim dando ei veniam fundum ecclesiasticum emendi, illum constituit non dominum, sed solum legitimum custodem et administratorem illius fundi; ergo jus ab Ecclesia obtentum potest tantum transmittere suis haeredibus, non aliis.

Ad 2um:—Petrus emendo cum debita venia illum fundum constituitur legitimus ejus administrator; ergo illum alienando absque Beneplacito Apostolico incurrit excommunicationem *nemini reservatam* contra Alienantes; quam censuram incurrit etiam ipse Paulus si beneplacitum scienter praetermisit.—Haec autem alienatio sine venia S. Sedis facta, est ipso jure nulla; unde Paulus tenetur vel fundum Petro restituere, vel se componere cum Ecclesia.

Ad 3um : - Lucrum obtentum si omnino provenit ex aliqua extraordinaria Petri industria, ipsi tribuendum est; secus spectat ad verum dominum fundi, nempe ad Ecclesiam.

Casus. — Carolus parochus, ut ecclesiam suam sacris supellectilibus provideat , vendidit sine licentia tum res inutiles ad sacristiam pertinentes. tum res aureas et argenteas a fidelibus ex voto oblatas , et postremo solutionem pensionis , quam a Gubernio percipere debet ratione sui beneficii, sibi a Paulo anticipari procurat.

Q. Quid de agendi parochi ratione ?

R. Si res quas parochus alienavit sunt parvi momenti, et immediate pecuniam in supellectilem Ecclesiae utilem convertit , licite egit ; sufficit enim in hoc casu consensus rationabiliter praesumptus Ordinarii (*Berardi*, Praxis n. 508).—*Item* licite alienavit, etiam sine venia Ordinarii , res Ecclesiae oblatas cum expressa facultate eas alienandi in utilitatem Ecclesiae.—*Item* si supellectiles veteres alienavit, novas substituendo certo aequaliter pretiosas et Ecclesiae utiliores (S. Alph., L. VI , 187 ; *Scavini*, I, 3, 367 , *D'Annibale*, 3, 93 ; *Berardi*, n. 508).

Exceptis hisce casibus, res Ecclesiae alienare non potuit sine venia vel Ordinarii si sunt parvi momenti , nempe non excedunt 25 aureos ; vel S. Sedis si sunt magni momenti, aut saltem, in casibus urgentioribus, Ordinarii.

Quoad solutionem vero anticipatam pensionis illicite egit, quia hic contractus est ad instar locationis, omnis autem locatio quae *anticipatis solutionibus* fit, prohibita est et aliunde in damnum ejus successoris vergere potest ; nam si ipse obeat, fructus nondum exacti de jure communi spectant ad successorem in beneficium.

res ecclesiasticas immobiles aut mobiles quae servando servari possunt requiritur licentia legitimi Superioris. — Praescriptum vero Can. 1532 hoc est: « Legitimus Superior est Sedes Apostolica, si agatur de rebus pretiosis, vel de rebus quae valorem excedunt triginta millia libellarum seu francorum ».

Q. Nomine *alienationis* quid hic intelligitur ?

R. Nomine alienationis hic intelligitur omnis contractus, quo vel dominium transfertur uti vendere, permutare, in emphyteusim concedere, etc.; vel aliquod ius reale aufertur, vel onus reale imponitur, v. g. census, servitus, vel locatio ultra triennium utile. Verum, si locatio fiat eo pacto, ut finito primo triennio, renovari debeat locatio, et sic deinceps non incurritur poena, quia tale pactum non est vera locatio, sed promissio; promissio autem non rem quae promittitur obligat sed promittentem administretur.

Obiectum prohibitionis sub poena excommunicationis sunt bona ecclesiastica nempe res sive immobiles sive mobiles, quae servando servari possunt. Hae res sive immobiles, sive mobiles debent esse ecclesiasticae sensu lato; huiusmodi sunt quae constituunt patrimonium alicuius ecclesiae aut monasterii vel orum etiam simplicium, vel seminarii, beneficia ecclesiastica, et bona cuius vis operis pii, quod fuerit Ecclesiae auctoritate erectum et ab ea.

Res pretiosae sunt obiecta mobilia uti vasa aurea vel argentea, bibliotecae copiosae, obiecta artistica, greges, armenta, census publici, tituli status ad latorem, actiones, obligationes thesauri publici, etc.; minime vero pecuniae ad usum quotidianum destinatae, etsi ad lucrum vel ad maiorem securitatem penes arcam parcimonialem deponantur. Hae res debent esse pretiosae, nempe quae aestimentur libellis saltem quingentis, et iuxta quosdam etiam septingentis, et etiam mille.

Res vero immobiles sunt praedia, fundi, domus, etc. Relate vero ad praesentem censuram necesse est quod valor rerum alienandarum excedat triginta millia libellarum seu francorum.

Subiecti huius excommunicationis sunt qui in alienandis hisce bonis ecclesiasticis scienter praetermiserint beneplacitum apostolicum. Hoc enim requiritur ex horum bonorum natura, ex qua eorum suprema administratio spectat ad Romanum Pontificem; idem iure positivo praescribitur et determinatur, olim vi Constitutionis *Ambitiosae*, hodie vi Canonum 1530, 1532. Alienatio, quae absque hoc beneplacito scienter fiat graviter illicita est, et praesenti excommunicatione mulctatur. Attamen licita habetur pro casibus urgentibus in quibus immediatam alienationem urgens necessitas exigat, vel etiam ex subita alienatione adsit ingens utilitas. Sed in hisce casibus petendus est Ordinarii consensus, qui, si tempus non ferat, rationabiliter in hisce casibus extraordinariis consensus praesumi potest.

Cum vero varii sint modi alienationis prohibitae, hac excommunicatione plectuntur: Qui ea bona *dederint* per actum sive iuridicum (in bonis immobilibus) sive privatum (in bonis mobilibus) translativum proprietatis; huc spectant donatio, venditio,

permutatio : — Qui ea bona donata, vendita, permutata *receperint* ; — Qui traditioni bonorum *consensum praebuerint*, consensum nempe ad alienationem necessarium, huiusmodi essent aeditui (fabbriceri), membra Consilii administrationis, etc. Verum hi nonnisi effectu secuto poenam incurrunt, nempe cum de facto bona alienantur.

Ex Can. 1532, § 2. « Administratores possunt *titulos ad latorem*, quos vocant, commutare in alios titulos magis aut saltem aeque tutos ac frugiferos, exclusa quavis commercii vel negotiationis specie, ac de consensu Ordinarii, diocesani Consilii administrationis, aliorumque quorum intersit. ».

An huic excommunicationi subiecta sit alienatio quae fiat ab una ecclesia ad aliam, vel ab uno opere pio ad aliud, disput. Th. Plures negant; quia in hoc casu non satis constat requiri Beneplacitum Apostolicum. (D'Annib. 175, 43. Bucc. n. 86. Ball. 478. Gen. 610) —Certe tamen adesset gravis culpa, quia talis alienatio semper est graviter prohibita sine Superiorum auctoritate.

1092. — *Q.* Potest ne alienari sine Beneplacito Apostolico res quae donata fuit cum facultate proprio marte illam alienandi ?

R. Sententia affirmativa est satis probabilis ; quia sicut donans poterat sic disponere de re, ita et donatarius poterit ex illius potestate, et tunc res illa non absolute acquiritur ecclesiae; et eo magis si donator expresse voluerit ut res alienaretur [1].

1903. — *Q.* Donans potest ne prohibere alienationem ?

R. Negative, si alienatio fiat cum causa et cum Beneplacito Apostolico, quia prohibitio praesumitur tantum facta si absit vera causa : porro causa justa erit necessitas, magna utilitas, incommodum si bona valde distant, et quandoque magna convenientia, ex S. Sedis judicio [2].

1094. — *Q.* Bona capellaniae laicalis, vel fabricae Ecclesiae (*fabriceria*) vel confraternitatum et locorum piorum subsunt ne huic excommunicationi ?

R. — 1. Quoad bona *capellaniae laicalis*, disput, Th.; sed plures probabilius negant, quia ad ejus erectionem non intervenit formalis Episcopi auctoritas, seu Decretum erectionis.

2. Quoad bona *fabricae Ecclesiae*, certe ab Ecclesia habentur ut bona Deo dicata, et ideo in conscientia Beneplacitum Apostolicum exigitur pro eorum alienatione, licet haec bona a laicis administrentur. — Verum quidem est quod lex civilis haec bona considerat ut laicalia ex natura sua; sed aliud est quod consuetudo vel stylus alicujus dioecesis aut provinciae aliquam administrationem circa haec bona laicis concedat, aliud vero quod praepotens Ecclesiae inimicorum usurpatio probetur.

3. Quoad bona *confraternitatum* idem dicendum ac de bonis fabricae Ecclesiae. Etsi lex civilis eas habeat ut societates mere laicales, tamen si ipsae non solum approbatae sunt ab auctoritate ecclesiastica, sed revera canonice erectae formali decreto, habentur ut instituta ecclesiastica, et legibus Ecclesiae subjectae sunt etiam quoad bona, licet horum inspectionem et

[1] *Scavini*, I, 907.

[2] S. Alph., L. IV, n. 187.

administrationem sibi vindicet secularis potestas. Idem dic de legatis piis, de hospitalibus, collegiis, congregationibus, institutis, locis piis etc. semper ac omnia haec Ecclesiae auctoritate erecta fuerunt, et ab ea administrentur.

ART. III.

De obligationibus usurpatorum, emptorum etc. et de eorum absolutione.

1095.— *Q.* Quaenam obligationes usurpatorum, emptorum, etc. bonorum Ecclesiae?

R. Usurpatores, emptores, etc. bonorum ecclesiasticorum habent obligationem :

1. *Se componendi* cum Ecclesia. Tempore anteacto, si propriae conscientiae consulere voluissent, *declaratio* ab eis exhibenda erat in qua testabantur se bona ecclesiastica retinere *ad nutum Ecclesiae*, subscribendo quinque conditionibus jam olim a S. Poenitentiaria propositis. — Sed nunc temporis S. Sedes, spectatis circumstantiis, sublata declaratione, *compositionem* a praedictis usurpatoribus, emptoribus etc. exigit; circa quam S. Poenitentiaria speciales facultates ad annum Episcopis concedit, dummodo valor bonorum non excedat triginta libellarum millia (L. 30,000). Quod si valor hanc summam excedit, re currendum est in casibus particularibus ad S. Sedem [1].

2. Sibi *procurandi absolutionem* a censuris poenisque ecclesiasticis, in quas inciderint.

1096. — *Q.* Quinam absolvere possunt ab hisce censuris et poenis?

R. — 1. Postquam usurpatores, emptores, etc. bonorum ecclesiasticorum se composuerint cum Ecclesia, absolutio a censuris pendet a qualitate censurae, an sit *speciali modo* Sedi Apostolicae reservata, an *simpliciter* reservata,

[1] Episcopus Convers. S. C. Concilii sequentia dubia solvenda proposuit :

« 1.° Nelle composizioni di beni ecclesiastici, sulle offerte che si fanno agli Enti morali, debbono sempre gravare i pesi annessi ai beni medesimi?

« 2.° Nel caso affermativo, quando le offerte sono sì tenui da non poter sopportare tutti quei pesi, il di più che non si può adempire va condonato al compratore?

« 3.° I corpi morali che ottennero riduzione di obblighi per la diminuzione delle rendite, e che ricevono offerte per composizioni, sono obbligati a sopportare pesi sulle prefate offerte, o che si ritrovino obblighi imposti sui fondi aggiudicati o che non se ne trovino?

« 4.° Quando le offerte sono sì tenui, che non possono sopportare tutti gli obblighi da adempire, si può concedere che del loro reddito siano celebrate messe secondo la tassa diocesana più pingue, imposta pei legati?

« 5.° Nel caso di risposta negativa al precedente quesito, lo stesso Vescovo si avanza a supplicare per la facoltà di ridurre in siffatta guisa le obbligazioni delle quali è parola, per avere una regola sicura e cessare ansietà ed angustie di coscienza ».

Die vero 31 Maji 1886, S. Cong. Concilii censuit rescribendum :

Ad 1.um Affirmative, ad ratam augmenti redituum.

Ad 2.um et 3.um Provisum in primo.

Ad 4.um Providebitur in quinto.

Ad 5.um SS.us Dominus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii S. C. C., supplens de thesauro Ecclesiae, benigne indulsit Episcopo Oratori, ut enunciata onera ad effectum evehendi eleemosynam cuiusque missae ad taxam dioecesanam, pro suo arbitrio et conscientia gratis reducere ac moderari possit; docto quotannis coram Ordinario pro tempore de onerum sic reductorum adimplemento. — (Vid. *Gennari*, Consult. Can. Mor.).

an *nemini* reservata — Ceterum Ordinarius ut plurimum a S. Poenitentiaria facultatem habet eos absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis in quas quomodo libet inciderint, imposita tamen congrua poenitentia salutari, et reparatione scandali, meliori quo fieri potest modo, prudenti judicio absolventis. Ad hanc vero facultatem Ordinarius potest *in singulis casibus* subdelegare alium idoneum ecclesiasticum. - - In hac tamen concessione non comprehenditur facultas dispensandi ecclesiasticos viros super irregularitate in quam inciderint ob violatas censuras.

2. Qui ob paupertatem compositionem inire nequeunt, absolvi poterunt ab Ordinario, cum *obligatione* quod, si ad meliorem conditionem devenerint, Ecclesiae satisfaciant, ac interim scandalum removeant. — Item qui statim nequeunt statutam compositionem agere, modo *se obligent* eam opportuno tempore ineundi, remoto interim scandalo.

3. Si poenitens est in periculo mortis, Confessarius prudenter compositionem urgeat; quod si haec obtineri nequeat, vel quia tempus non suppetit, vel ob alias rationabiles causas, satis erit si aegrotus eam haeredibus imponat, vel serio promittat se eam initurum, si convaluerit, remoto scandalo [2].

[1] A S. Poenitentiaria Ap. quaesitum fuit:

« I. La *composizione* è obbligatoria per tutti i compratori di beni ecclesiastici, oppure è libera in modo tale che si possa anche non fare?

« II. I possessori o compratori che potrebbero fare la composizione, ma non vogliono, sia perchè turberebbero i loro interessi, sia per altre ragioni, ma sono *parati standi mandatis Ecclesiae*, si possono assolvere? »

Poenitentiaria ad proposita dubia respondit, die 21 Mart: et 14 Maji 1890.

Ad I. Emptores, detentores, etc. hortandos esse ut ad *compositionem* deveniant, cum hac ratione, prae ceteris, facilior illis exhibetur modus suae conscientiae consulendi.

Ad II. Ii, qui jam subscripserunt notis conditionibus, hortandi sunt, ut se componant: ii vero, qui nondum hujusmodi conditionibus subscripserunt, ad compositionem prudenter urgendi sunt.

DE OCTAVO DECALOGI PRAECEPTO

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.
(Exod. XX, 16).

Praeceptum hoc uti *negativum* explicite prohibet ne falsum testimonium dicamus in damnum proximi; implicite vero prohibet generatim ne proximo *verbis* nocumentum afferamus in bonis famae et honoris. Hoc autem fieri potest non solum mendacio, sed et detractione, contumelia: imo et judicio temerario, suspicione ac dubitatione proximo injuriosa. Uti *affirmativum* vero indirecte praecepit ut veritatem loquamur sine dolo et simulatione.

Haec dissertatio duobus capitibus constat: 1. agit de mendacio; 2, de proximi diffamatione et dehonoratione. — Sequitur Appendix de violatione secreti.

CAPUT I.

De mendacio.

1097. — *Q.* Quid est mendacium, et quomodo dividitur?

R. Mendacium est *locutio vel significatio contra mentem.* Mentiri enim idem est ac contra mentem ire; unde essentia mendacii consistit non in falsitate materiali rei quae narratur, sed in falsitate formali, sita in voluntate falsum dicendi. Ad mendacium pertinent simulatio, hypocrisis, adulatio etc.

Nota: De restrictione mentali dictum est supra, ubi de perjurio, n. 577.

Mendacium *ex parte modi* dividitur in mendacium *oris*, quod est proprie mendacium, et *facti*, quod simulatio appellatur. — *Ex parte finis* dividitur in *jocosum*, *officiosum*, et *perniciosum*, prout ad solatium [1], vel ad utilitatem, vel ad injustam damnificationem profertur.

1098. — *Q.* Mendacium quodnam peccatum est?

R. — I. Omne mendacium (sicut et formalis simulatio) semper est peccatum; - ratio, quia est intrinsece malum, utpote contrarium naturali institutioni et fini locutionis a Deo datae hominibus ut sit expressiva mentis, proindeque nunquam licitum esse potest ne ob finem quidem bonum [2].

[1] Si mendacium jocosum ut tale ab aliis percipitur, non est amplius mendacium sed jocus.

[2] Etsi nunquam licitum sit mentiri, tamen certum est quod non tenemur veritatem semper manifestare; imo quan-

II. Mendacium *jocosum* et *officiosum* ex genere suo est veniale; ratio, quia adversatur tantum veracitati, quae per se non obligat sub gravi.

III. Mendacium *perniciosum* per se est peccatum mortale; - ratio, quia per se adversatur caritati et justitiae, quae obligant sub gravi [1].

1099. — *Q.* Quid est simulatio et est ne licita?

R. Simulatio est *fictio qua quis aliquid agit cum intentione aliud significandi quam quod in animo habet;* et haec est simulatio *formalis* nunquam licita utpote verum mendacium facti. Quod si quis aliquid agit ad aliquem finem assequendum, non intendens deceptionem alterius, licet eam praevideat, adest tantum simulatio *materialis*, quae cum justa causa licita est, semper ac ex circumstantiis alii conjicere possint ad alium finem id fieri, prout dictum est de restrictione mentali, n. 577. — Sic Christus Dominus apud Emmaus *se finxit longius ire*, non intendens ut discipuli hoc crederent, sed volens significare se re vera abiturum, nisi ab eis invitaretur [2].

1100. — *Q.* Quid est hypocrisis, et quodnam peccatum?

R. Hypocrisis est *fictio peccatoris se justam simulantis;* unde non consistit praecise in aliqua occultatione peccatorum ad servandam bonam famam, vel in decenti et moderata compositione morum ad vitandum scandalum proximi, sed in *quadam affectata simulatione virtutis*, qua quis ex perverso fine industriose fingit se bonum et sanctum, dum talis non est, et ambit laudem probitatis quam non habet.

Hypocrisis est peccatum mortale si quis ita velit sanctus apparere, ut non curet sanctitatem

doque ipsam occultare debemus, quum nempe interrogans nullum jus habet veritatem cognoscendi, et veritatis manifestatio vergeret in damnum proximi; quo in casu restrictio late mentalis adhiberi oportet.

Restrictio late mentalis semper licita est quando proximus ex aliqua circumstantia personae, loci, vel temporis conjicere potest me velle veritatem occultare. Sic, v. g., si fur a me petit an nummos habeam domi occultos, certe respondere possum: *Non;* haec enim mea negatio sic sonat: *Sim ne ita stultus, ut tibi pandam thesaurum meum a te auferendum?* — Sic si quis me interrogat *num bene valeam*, respondere possum: *Bene*: etsi male affectus sim, intelligendo me bene valere, quia talis est voluntas Dei. — Sic si quis me ad prandium invitat, et ego acceptare nolo, non mentior si respondeam: *Hodie ad manducandum non sum dispositus.* — Si ad prandium invitatus, ab hero interroger: *An ferculum, aut vinum bonum sit*, respondere possum: *Optimum*, etsi ferculum aut vinum palato meo ingratum sit, nam responsio mea non est nisi actus urbanitatis. — Sic famulus ab importuno visitatore interrogatus num herus domi sit, non mentitur si respondet: *Abest*; omnes enim norunt hanc famuli responsionem significare: *Herus meus vel reapse domi non est, vel visitatorem videre et audire non vult.* — Sic si quis sine justa causa me interrogat de re quam sub secreto scio, respondere possum: *Nescio;* quod enim revelare non possum est veluti ac nescirem. Sic in omnibus casibus in quibus veritatem occultare expedit, mendacium non est ita respondere: *Numquid ego rem scio? Putatis ne me rem illam nosse? Si rem scire velitis, non me sed alios interrogate*, etc. In his enim casibus non ego alium decipio, sed ut se decipiat permitto, quod cum justa causa certe licitum est. — Confessarius vero caute procedat, ubi agitur de permittenda vel consulenda restrictione mixta mentali, praesertim si agatur de permittendo juramento cum hac mentali restrictione, ne se et alios implicet. (Cf. *Génicot*, I, 416).

[1] Vid. *Marc*, n. 1178.

[2] S. Alph., L. III, 171.

habere, quia tunc includitur sanctitatis contemptus; vel si sancti tatem simulet ob finem mortaliter malum, v. g. ad errores disseminandos, ad obtinendam, licet indignus, dignitatem ecclesiasticam, vel ad aliis graviter nocendum.— Si vero hypocrisis procedit ex sola vana gloria, ut si quis simulet se aliquatenus meliorem quam revera sit, tunc est solum peccatum leve.

1101. — *Q.* Quid est adulatio, et quodnam peccatum ?

R. Adulatio est *vitium quo quis alterum supra debitum virtutis modum laudare studet.* — Gravitas adulationis tota desumenda est tum ex adulantis fine, tum ex praeviso adulationis effectu, qui si gravis deprehendatur, adulatio gravis erit, secus levis.

CAPUT II.

De proximi diffamazione et dehonoratione

1102. — *Q.* Quid est fama ; quid honor; et quomodo laeduntur ?

R. Fama, a fando seu loquendo dicta, definitur: *Opinio et sermo multorum de vita et moribus alicujus.*

Honor vero: *Testificatio nostrae opinionis de excellentia alterius.* Unde honor differt a fama in hoc quod honor supponit hominem praesentem, fama absentem; honor iis qui alios antecellunt, fama omnibus competit.

Fama proximi laeditur interne et externe : *interne* per judicium temerarium quod complectitur etiam suspicionem et dubitationem temerariam; *externe* per detractionem et calumniam.

Honor vero laeditur contumelia, convicio, improperio et derisione.

ART. I.

De proximi diffamazione.

§ 1°

De diffamatione interna.

1103.—*Q.* Quid est judicium temerarium , et quodnam peccatum ?

R. Judicium temerarium est *firmus animi assensus de proximi improbitate sine sufficienti fundamento*[1]. Quod si animi assensus est tantum incipiens, habetur *suspicio;* si animus inter opposita haeret, *dubitatio* (v. n. 73).

I. Judicium temerarium ex genere suo est peccatum mortale contra justitiam; - ratio, quia proximo fit gravis injuria dum sine causa improbus judicatur, cum ipse habeat jus ad suam famam apud singulos, nec quisquam malus praesumi debeat, nisi certo constet.

II. Suspicio et dubitatio sunt etiam mortalia si concipiantur de peccatis gravissimis ex levissimis indiciis, aut si ex odio procedunt, vel si quis ex malevolentia in suspicione gravi scienter persistit; - ratio, quia tunc injuria est gravis. — Seclusis his casibus, ex genere suo probabilius non sunt, nisi venialia, quia non videntur famam proximi graviter laedere.

1104. — *Q.* Quid requiritur ut judicium temerarium ad mortale pertingat ?

[1] Saepe saepius accidit quod aliquis statim ac aliquid videt, male de proximo suspicatur. Haec suspicio nullum est peccatum, ne veniale quidem, quia talis actus est plene indeliberatus, ut sunt motus primo-primi.

R. Ut judicium temerarium in individuo ad mortale pertingat, tria requiruntur: 1° Ut sit perfecte deliberatum, tum circa judicii temeritatem tum circa ejus gravitatem; 2° ut sit in materia gravi, nempe graviter laedens existimationem et honorem proximi, et cognita; 3° ut sit plene temerarium, idest omni rationabili fundamento careat, quia si judicium habet probabile fundamentum, etsi non omnino sufficiens ad certitudinem, nonnisi veniale erit. — *In praxi* proinde hujusmodi judicia plerumque excusantur a mortali, vel quia non sunt in materia gravi, vel quia non sunt plene temeraria.

In hac materia igitur advertat confessarius quod, quum multi rudes se accusent temere judicasse, oportet curare ut ipsi sciant: 1° Cum adsunt sufficientia momenta sic judicandi de alicujus actione, judicium non esse temerarium, sed justum, ideoque non esse culpabile. 2° Haec ut plurimum non esse judicia, sed suspiciones, quas domini et patresfamilias aliquando tenentur habere, ut aliquod peccatum impediant: v. g. ne servi furentur, ne filiae peccent cum hominibus versando, et alia id genus. Advertant tamen ne hujusmodi suspiciones aliis communicent sine necessitate [1]. — Demum advertat, quosdam scrupulosos saepe hac de causa vexari, putant enim peccare eo quod male de aliquo cogitaverint, etsi cum fundamento. Confessarius ne permittat scrupulosos talia judicia confiteri, certo tenens medium tutissimum ad eos ab hisce angustiis liberandos esse talia judicia contemnere, nec de his loqui.

[1] S. Alph., Hom. Ap., T. XI, 2.

1105. — *Q.* Quomodo agendum *in interpretatione actionum proximi*, seu cum dubitatur an accipiendae sint in bonam vel malam partem?

R. Praemitto: Duplici modo in bonam partem quis interpretari potest actiones proximi: *positive*, ipsas in bonum detorquendo; et *negative*, se abstinendo ab ipsis detorquendis in malam partem. Hoc posito:

1. In dubio, nunquam in malam partem accipiendae sunt actiones proximi; ipsi enim injuria irrogaretur, quia jus habet ne malus reputetur usquedum certis argumentis talis appareat. — Hoc tamen non impedit quominus de aliquo in malam partem suspicari possimus, non quidem absolute, sed per quandam suppositionem tantum quando de nostro vel alieno damno praecavendo agatur, ut si dominus prudens arcam claudat ob ignotos hospites, qui possunt esse fures; quo in casu, et aliis hujusmodi innumeris, nec judicas nec suspicaris illos positive et de facto esse tales, sed solum supponis posse esse tales, quod utique verum est, nullique injuriosum.

2. In dubio, actiones proximi in bonam partem *positive* interpretandae sunt duobus in casibus: si judicium suspendendo periculum subesset male de proximo judicandi; si eliciendus esset actus de bonitate vel malitia proximi. — Seclusis his casibus, possumus etiam interpretari *negative*, nempe nec bonas nec malas tum personas tum earum actiones judicando, sive quia non adest necessitas judicii, sive quia per se nemo tenetur ad illum assensum, in quo se exponit errandi periculo.

—

§ 2°

De diffamatione externa.

1106. — *Q.* Quid est detractio; quid calumnia; et quodnam peccatum sunt?

R. Detractio definitur: *Alienae famae violatio per occulti criminis injustam revelationem.* — Alia est *formalis*, si vere intenditur famae denigratio; alia *materialis*, si ex animi levitate, vel aliqua causa non necessaria proximi fama laedatur.

Calumnia vero est *injusta alienae famae violatio per falsi criminis impositionem.* — Hinc calumnia a detractione in hoc differt, quod illa delictum falso proximo apponit; ista injuste publicat delictum proximi verum quidem sed occultum.

I. Detractio, et a fortiori calumnia, sive formalis sive materialis, est peccatum contra justitiam ex genere suo mortale; ratio, quia ex natura sua laedit proximi famam, quae majus bonum est quam opes et divitiae. — Attamen in confessione probabilius nulla adest obligatio explicandi materiam detractionis, quia fama in genere morum semper est ejusdem speciei [1].

II. Veniale esse potest sive ex imperfectione actus, sive ex levitate materiae, cujus gravitas vel levitas non tantum ex gravitate criminis revelati, sed etiam ex omnibus adjunctis, praesertim personae, dignosci debet. Sic fieri potest ut revelatio levis criminis notabiliter laedat famam alterius, puta si de persona quae sit in magna aestimatione dicas eam esse mendaciis assuetam; et e contra revelatio lethalium criminum leviter tantum famam labefactet, ut si de milite dicas duellum iniisse.

1107. — *Q.* Quotnam modis detractio fieri potest?

R. Octo modis his versiculis comprehensis:

" *Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.*

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remisse ,,.

Primi quatuor directe, alii indirecte famam proximi laedunt. — Primus detrahendi modus, omnium gravissimus, est falsi criminis impositio seu calumnia. Secundus vero est criminis auctus; porro crimen triplici modo augeri potest: 1° *in se*, ut si de semiebrio dicas quod temulentus fuerit; 2° *quoad numerum*, ut si de semel ebrio dicas quod est ebrietati assuetus; 3° *quoad personas*, ut si crimen unius communitati impingas. — Quoad simplicem diffamationem, notandum quod reticentia saepe est detractio gravior quam ipsa manifestatio, quia qui reticet, etsi nihil in particulari dicat, graviorem tamen ingerit suspicionem circa defectus aliorum, uti si quis dicat: *Si loqui vellem, ipsum rubore suffunderem;* vel: *multa scio et dicere possem, sed tacere jubet caritas.* Hi loquendi modi saepe sufficiunt ut alii de illo pejus quid judicent, quam si aperte aliquid patefieret.

De ceteris detrahendi modis nihil speciale adnotandum occurrit.

1108. — *Q.* Omnes octo detractionis modi sunt ne ejusdem speciei?

R. Omnes octo detractionis modi *per se* sunt ejusdem speciei, quia omnes respiciunt idem bonum famae. — *Calumnia* tamen aliam speciem peccati simplici detractioni superaddit, nempe mendacium. —

[1] S. Alph., L. III, 977, 991.

Item specialem malitiam habet *susurratio*, quae est manifestatio delicti alieni ad dissolvendam amicitiam, et seminandam inter amicos discordiam. Convenit cum detractione ex parte materiae, sed differt ex parte finis, et ideo est specie diversa, et detractione gravior.

1109. — *Q.* Quaenam regulae ad dignoscendum an detractio sit gravis?

R. Secernenda est calumnia a pura detractione.

Quoad *calumniam*, a Th. duae conditiones requiruntur pro culpa gravi, voluntarium nempe et materia gravis.

Quoad *detractionem* vero quatuor requiruntur: voluntarium, materia gravis, res occulta, injusta revelatio.

1. *Voluntarium et quidem perfectum;* unde a mortali, sicut in ceteris omnibus, excusat imperfectio actus, ignorantia, inadvertentia, praecipitatio mentis et linguae. Advertendum tamen quod si quis mala detrahendi consuetudine teneretur, ipsi onus incumberet se emendandi; quod si advertenter negligat, est in continuo statu peccati lethalis, et vi talis habitudinis voluntarie et culpabiliter retentae, ei imputantur ad peccatum omnes actus, uti voluntarii in causa.

2. *Materia gravis*, in qua determinanda haec regula generalis communiter datur: materia gravis censetur quoties res quae revelatur, attentis circumstantiis personae, loci, temporis et audientium, graviter famam proximi laedit.— Gravis detractionis reus non videtur qui de aliquo dicit eum esse avarum, superbum, etc.; quia in communi hominum judicio haec verba sonant nimiam adhaesionem rebus temporalibus, nimium amorem gloriae.

3 *Res occulta;* triplici autem modo crimen potest esse publicum seu notorium: jure, facto et fama. *Jure* si per judicis sententiam innotescat; *facto*, si crimen patratum sit coram pluribus, et nullomodo moraliter occultari queat; *fama* demum, si ex multorum vociferatione ita innotescat, ut nulla tergiversatione celari possit.

Quotnam autem personis crimen innotescere debeat ut publicum seu notorium dici possit, non satis constat inter Doctores: alii enim requirunt sex, alii decem, alii multo plures personas. Sed haec regula tradi potest: si crimen ita limites secreti et occulti transit, ut, attenta quantitate communitatis, personarum qualitate et humana imbecillitate, prudentum judicio censeatur impossibile ulterius non diffundi, et in aliorum notitiam devenire, tunc ut publicum seu notorium censetur, secus occultum [1].

4. *Injusta revelatio.* Causae ob quas licitum est crimen occultum revelare, quinque enumerantur: bonum delinquentis; bonum revelantis; bonum audientis; bonum communitatis [2]; bonum innocentis.

[1] Adverte quod delictum publicatum in una tantum familia aut monasterio non potest dici absolute publicum, unde non potest alibi manifestari, ne in alio quidem monasterio ipsius ordinis, quod cum illo non haberet frequentem communicationem. S. Alph., Hom. Ap., T. XI, 12.

[2] Utrum liceat in diariis vitia illorum manifestare qui ad publica officia aspirant, v. g. ad officium Deputati ad nationalia comitia, multi affirmant; nam qui a vita privata ad publicam transit ad publica negotia obeunda, examini et judicio publico se submittit. Hinc ejus opiniones circa religionem, moralem,

1110. — *Q.* Licet ne crimen occultum revelare ad vitandum malum, vel bonum consequendum?

R. Disput. Th.. *Prima* sententia negat. *Secunda* tamen communior et probabilior affirmat, dummodo adsint sequentes conditiones: 1° ut non plus reveletur aut pluribus quam necesse sit ad vitandum malum vel bonum consequendum; 2° ut probabile sit quod revelatio habitura sit bonum effectum; 3° ut fiat recta intentione boni consequendi, et non ex odio vel vindicta; 4° ut bonum consequendum vel malum vitandum sit alicujus momenti. Addunt alii ut notitia criminis sit juste acquisita; sed haec conditio ab aliis omittitur, imo et rejicitur, quia, dicunt, etsi illicitus fuerit modus acquirendi notitiam, usus tamen cum causa licitus esse potest [1].

1111. — *Q.* Est ne peccatum crimen publicum manifestare in loco ubi occultum manebat?

R. Si crimen sit publicum *notorietate juris*, Th. dicunt non esse peccatum, quia per sententiam judicis damnatus amittit jus ad famam, et omnes jure pollent sibi comparandi notitiam sententiae ob bonum publicum latae.

Si vero est publicum solum *notorietate facti* vel *famae*, Th. dicunt non esse peccatum si notitia in illum locum *intra breve tempus* perventura sit. — Si autem perventura sit nonnisi *post longum tempus*, disputant. Concina vero sic optime distinguit: Si delictum est publicum notorietate facti, in omni loco manifestari potest. Si autem est publicum tantum notorietate famae, cauti omnes sint oportet, quia facile fingitur haec publica fama [2].

1112. — *Q.* Peccat ne graviter qui crimen occultum 1° solatii tantum causa, vel 2° uni tantum revelat?

R. Ad 1um: Si quis solatii tantum causa, et non intentione detrahendi, alicui amico narret injuriam ab alio sibi factam, non videtur esse mortale, etsi inde aliqua infamia proveniat auctori, ea enim ipsi imputanda est: ita sententia communis. Hinc Th. communiter excusant saltem a mortali famulos degentes injurias illatas a dominis, uxores a viris, filios a patre, religiosos a praelato. Cavendum tamen ne dicatur pluribus; vel apertius nominetur persona, quam necesse sit ad consilium vel solatium.

Ad 2um: Th. dicunt quod graviter peccat si delinquentis multum interest ne persona illa suum crimen sciat; vel si persona illa sit levis et loquax, et praevideatur

politiam, ejus doctrina, moralitas, habilitas, etc., sub judicio publico cadunt. At diaria non verbis tantum, sed etiam rationibus et factis probare debent quae de hujusmodi personarum dotibus referunt. Verum quidem est quod judicium diariorum famam et honorem candidati minuere potest, ipsique damnum non leve afferre; sed usquedum diarii director intra veri limites se continet, bonum publicum intendens, neque justitiam laedit, quia candidatus huic judicio ejusque consectariis voluntarie se exponit, neque contra caritatem peccat, quia ordo caritatis exigit ut bono privato publicum praevaleat, et ab officiis publicis improbi et inhabiles arceantur.

[1] S. Alph., L. III, 968.

[2] S. Alph., L. III, 974. — Quando aliqua gravis culpa, publica quidem alio tempore, notorietate *famae*, jam oblita est, non licet iterum ejus memoriam renovare; et hoc quidem caritati adversatur, imo probabilius etiam justitiae. Attamen ratione boni communis, v. g. in historia scribenda, quandoque liceret facta praeterita in memoriam revocare. *Génicot*, I, 421; *Aertnys*, L. III, 537, q. 3°.

periculum quod crimen revelatura sit. — Seclusis his casibus, juxta plures peccat solum venialiter [1].

1113. — *Q.* Peccat ne qui infamatum de uno crimine de alio infamat ?

R. Si crimen quod revelat est ordinarie cum crimine publico et notorio conjunctum, non peccat, saltem mortaliter; secus peccat graviter vel leviter pro diversitate casuum, quia relate ad illud crimen, quum ex supposito sit adhuc occultum, alter jus habet ad suam famam [2].

1114. — *Q.* Peccat ne qui crimen tantum refert ut ab aliis auditum ?

R. Th. communiter dicunt: 1° Si quis crimen alterius ut ab aliis auditum refert, et suspicio vel rumor criminis est publicus, non peccat, dummodo non augeat; secus plerumque peccat, quia per hoc vel certitudinem vel suspicionem criminis in audientes ingerit. 2° Posito quod rumor criminis non sit publicus, tunc si crimen ita refert ut probabiliter nulla infamia inde oritura sit, non peccat saltem mortaliter. 3° Si vero crimen refert coram iis qui ex propria levitate vel malitia credent, non peccat contra justitiam, quia non ponit causam efficacem damni; sed peccat contra caritatem, quia quisque grave damnum proximi impedire tenetur, et peccat graviter vel leviter pro casibus. 4° Si autem crimen ita refert, ut audientes probabiliter et merito crediturі sint, uti si quis narret dicens se a viro probo audivisse, peccat graviter vel leviter pro diversitate casuum etiam contra justitiam.—Notant insuper Th. peccare graviter quoties etiam dubitanter crimen alterius valde enorme quis refert, quia haec sola suspicio valde infamat.

1115. — *Q.* Audiens detractionem peccat ne ?

R. — 1. Si audiens efficaciter excitat et inducit ad detractionem, certe peccat, tum contra caritatem tum contra justitiam; et quidem graviter si detractio gravis sit.

2. Si audiens non inducit, sed tantum delectatur de gravi detractione ab aliis facta, certe peccat, sed tantum contra caritatem, et quidem graviter si de detractione gaudet ex odio in proximum, vel de ejus infamia, cum delectetur de gravi ejus damno; leviter vero si gaudet tantum de rei novitate, vel de ipsa detractione sed sola curiositate vel levitate animi, quia haec per se non sunt peccatum grave [3].

1116. — *Q.* Audiens detractionem tenetur ne illam impedire ?

R. Audiens detractionem, *si est superior* vel detrahentis vel infamati, tenetur sub gravi detractionem gravem impedire cum commode possit, quia ipsi specialis obligatio incumbit vel corrigendi detrahentem, vel damnum infamati impediendi. Probabilius tamen non peccat contra justitiam si non impedit, nisi esset Parochus, quia iste ex iustitia ad corrigendos subditos tenetur [4].

Si vero audiens *non est superior*, communiter censent nonnisi venialiter peccare si ex verecundia, timore, vel negligentia detractioni non resistat cum commode possit, modo praeter infamiam aliud damnum ex detractione non eveniat. — Non peccat vero, ne venialiter quidem, si aliquo modo ostendit

[1] S. Alph., L. III, 973.
[2] S. Alph., L. III, 976.
[3] S. Alph., L. III, 980.
[4] S. Alph., L. III, 980.

illam detractionem sibi displicere, v. g. faciem avertendo, aut tristem vel seriam ostendendo, sermonem ad alia prudenter divertendo, personam de qua detrahitur quantum fieri potest excusando, compatiendo, vel a conversatione discedendo, etc. — Ceterum optime monet S. Alph. (L. III, 981) quod in hac materia difficillime constare potest correptionem proficere, et aliunde facillime offenduntur detrahentes coram aliis correpti, imo periculum est quod potius augeant vel confirment detractionem. Quare ex omnibus his motivis simul congestis rationabiliter sustineri potest communissima sententia universe excusans audientes a mortali, si correptionem omittant.

NOTA: De obligatione famam restituendi, vide dicta n. 1072 et sequ.

—

Monita pro praxi.

1. Confessarius animadvertat detractiones raro *in praxi* esse peccatum mortale, vel quia materia non est gravis, nempe defectus patefacti non laedunt graviter famam proximi; vel quia posita, etiam materia gravi, defectus ut plurimum non sunt omnino occulti, sed aliquomodo jam aliis cogniti; vel quia detractores in praxi ordinarie non advertunt sufficienter ad gravem malitiam detractionis, unde saltem a mortali excusantur ob imperfectionem actus, nempe defectu plenae advertentiae, et pleni consensus.

2. Saepe poenitentes se accusant de detractionibus, quae, proprie loquendo, detractiones non sunt, quia de defectibus jam cognitis locuti sunt, vel de personis quae motiva sufficientia praebuerunt male de seipsis loquendi. Hujusmodi sermones confessarius parvipendat, et poenitentes suos dumtaxat exhortetur ut quantum fieri potest ab hisce sermonibus, uti inutilibus et christianae edificationi ut plurimum contrariis, se abstineant: at nullam famae reparationem exigat.

3. Adsunt aliquando adeo impii et moribus corrupti, ut bonum publicum expostulet quod ab aliis agnoscantur, ne innocentes in ipsorum insidias et seductiones incidant; quo in casu male de hisce impiis viris loqui non peccatum, sed opus bonum erit, praesertim si aliqua auctoritate, et aliquo influxu potiuntur in pueros et ingenuos. S. Fr. Salesius ajebat: *Clamare contra lupos est actus caritatis erga oves.* Quare vafrorum hujusmodi nequitias patefacere ne aliis noceant, haud secus ac arma latroni auferre ne viatores occidat, actus est eximiae caritatis eoque praeclarior quo anima pretiosior est corpore. Quapropter Confessarius de detractionibus contra perversos viros ne vexetur, nec poenitentes de ipsis reprehendat, sed tantummodo illos moneat ne limites veritatis praetergrediantur.

4. Quum in praxi raro adsit peccatum grave in detractione ob rationes superius allatas, raro etiam adest obligatio gravis detractores corrigendi. Scrupulosi autem tenentur detractores corrigere in hoc unico casu, quando nempe detractor est eorum subditus, et detractio certe gravis, scilicet detractor pandit defectus certe graves et certe occultos; unde in dubio scrupulosi numquam tenentur detractores corrigere, quia quum timeant, semper ac male de proximo quis loquitur, adesse peccatum detractionis, et fere semper putent defectus, etsi aliis cognitos, occultos esse, omnimode prohiberent suos subditos quocumque modo de proximo loqui, quia in omnibus facillime detractionem timerent, et alios fere semper corrigerent etiam quando non adesset peccatum: quae omnia, utpote gravissima incommoda, scrupulosos ab onere alios corrigendi liberant.

5. Posita autem reali detractione, reparatio famae et honoris est quidem debita, sed *in praxi* quam maxime difficilis. S. Alph., L. III, 992, pro tali reparatione sequens generale medium suggerit, nempe quod detractor dicat: *se errasse, se deceptum fuisse.* Distinguendum videtur: Si detractor dicendo *se errasse, se deceptum fuisse*, asserit etiam se ab aliis ob falsam relationem fuisse deceptum, tunc reparatio est efficax et suum sortitur effectum; si vero tantum dicit *se errasse, se deceptum*

ART. II.

De proximi dehonoratione.

1117. — *Q.* Quid est contumelia, et quodnam peccatum?

R. Contumelia est *injusta dehonoratio personae praesentis et scientis;* quae praesentia physice vel moraliter accipitur. Fieri potest verbis, factis aut signis contemptus, et etiam omissione honoris debiti. — Contumelia proprie dicta respicit defectus morales; si autem agatur de dehonoratione propter defectus naturales, dicitur convicium; si vero propter defectus status et conditionis, improperium.

I. Contumelia, convicium et improperium sunt ex genere suo peccata mortalia contra justitiam; - ratio, quia afferunt proximo gravem injuriam.

II. Possunt esse venialia ex imperfectione actus, vel ex levitate materiae; pro qua cognoscenda non solum consideranda est injuria quae infertur, sed etiam qualitas personae cui infertur, et mens inferentis [1]. Et possunt etiam esse sine ullo peccato si proferantur joci potius causa, vel ex eutrapelia aut ad salutarem peccantis confusionem, quam ad ejus dehonorationem [2].

1118. — *Q.* Contumelia, convicium et improperium sunt ne ejusdem speciei?

R. Contumelia, convicium et improperium sunt ejusdem speciei, quia idem habent objectum formale, nempe laesionem honoris proximi; ideoque in confessione sufficit aperire qualitatem contumeliae an gravis vel levis, quin modus explicetur.

In praxi tamen contumeliae saepe alia peccati species adjungitur, quae est in confessione aperienda, v. g. detractionis, si occulti alicujus defectus coram aliis exprobrentur; odii, si maligno fiat affectu; scandali, si praevideatur exprobratum excandescere; irreligionis, si exprobratio a religione removeat; impietatis, si contumelia in parentes fiat, etc.: quae omnia pro opportunitate confessarius advertere debet.

1119. — *Q.* Quid est derisio, et quandonam est peccatum?

R. Derisio seu irrisio est *dictum vel actus quo quis jocando alteri objicit aliquem defectum ut erubescat.*

I. Derisio si moderate fiat et ex virtute eutrapeliae, vel si in bonum publicum aut in utilitatem derisi cedat, per se non est peccatum; - ratio, quia nec justitiam, nec caritatem laedit.

II. Derisio, si defectum ponitur in risum quia parvum habetur *ratione personae*, nempe parvum malum censetur irridere illam personam uti vilem, peccatum est ex

fuisse, quin asserere possit se ab aliis vere fuisse deceptum, tunc ejus loquendi formula generatim pro sequenti accipitur: *loquutus sum contra famam proximi, quod dixi verum quidem est, sed quia loquutus sum sine justa causa, ideo detractionem commisi, unde peccavi, nempe erravi, et nunc errasse, seu peccasse, me poenitet;* quae loquendi formula est potius factae detractionis confirmatio quam reparatio. Quare si detractor vere asserere poterit *se errasse, se deceptum fuisse* ob falsam aliorum relationem, et dein detegisse se falsum loquutum fuisse, bene quidem; secus modus aptior detractionem reparandi est serio et pluries, occasione oblata, honorabiliter loqui de laeso, et illum honorifice tractare. Cf. *Frassinetti*, n. 246 (nota 87).

[1] S. Th. 2a 2ae, q. 75, a 2.

[2] Vid. *Marc*, n. 1212.

genere suo mortale, et eo gravius quo dignior est persona quae irridetur; - ratio, quia irrogat injuriam in honorem qui pluris aestimatur quibuscumque bonis fortunae.

III. Derisio, si defectum ponitur in risum quia parvum habetur *ratione sui*, nempe defectum irridetur quia censetur parvum malum in se, peccatum est ex genere suo veniale [1].

An vero qui leves defectus alicui joci causa exprobrat, praevidendo eum graviter contristari, peccet graviter, disput. Th.. Alii dicunt peccare solum venialiter, quia hujus gravis contristationis causa non est irrisio, sed fatuitas et stultitia contristati; attamen sententia eorum qui dicunt peccare graviter, videtur caritati conformior.

1120. — *Q.* Tenemur ne illatas injurias patienter sustinere?

R. Semper debemus illatas injurias patienter ferre *in animo*, quatenus nempe nec iram nec odium in offensorem concipere debemus, parati ad eas ferendas, si id ad Dei gloriam et ad propriam vel aliorum salutem expediat. — Non semper tamen debemus patienter ferre *externe*, quia eas repellere possumus, et aliquando etiam tenemur, si id expostulet bonum proprium, vel aliorum.

1121. — *Q.* Quaenam obligationes exprobrantis?

R. Certum est apud omnes tum ex contumelia tum ex irrisione oriri obligationem sive reparandi injuriam, sive resarciendi honorem laesum; et quidem eo modo quo sufficienter injuria reparata censeatur, et honor restitutus. Unde si injuria publica fuit, publice honor restituendus est, veniam a laeso petendo, aut saltem efficiendo ut alii sciant talem honoris restitutionem jam factam fuisse. Si vero contumelia clam illata est, secreto tantum reparanda est [2]. — Quoad *praxim* vero advertat confessarius se multoties abstinere posse a tali obligatione imponenda, nempe: 1° Quando praesumi potest offensum non exigere talem reparationem, ut esset si agatur de parentibus erga filios, qui filiorum conversione contenti esse solent, nisi graviter et publice essent laesi, quo in casu injuria esset reparanda. 2° Si offensus jam vindictam sumpserit, vel si offensor a judice poena affectus fuit. 3° Si probabiliter praesumatur periculum quod inter offensorem et offensum odia et rixae renoventur. 4° Si ex signis manifestis remissio jam facta sit, v. g. si familiariter et jocose offensus et offensor conversentur. 5° Si poenitens sit in bona fide, et monitio minime profutura censeatur; experientia enim constat quod poenitens facile promittit hujusmodi satisfactionem, sed difficulter facto adimplet.

[1] Mulierculae et plebeji, qui simul rixantes contumeliis se onerant, nisi forte de aliquo particulari facto adversarium improperent, ut plurimum a mortali culpa excusantur; - ratio, quia juxta communem aestimationem graviter non laedunt famam et honorem; nam convicia inter hujusmodi personas ex una parte non apprehenduntur ut gravia, et ex alia audientes nullam fidem ipsis praestant, putantes illa proficisci potius ex impetu irae, quam ex animo et rei veritate. S. Alph., L. V, 48, 81.

[2] S. Alph., L. III, 988.

APPENDIX

DE VIOLATIONE SECRETI

1122.—*Q.* Quid est secretum et quomodo dividitur?

R. Secretum, ut est in subjecto, definitur : *Notitia rei occultae, quae revelari non debet.*

Secretum est naturale, promissum, commissum et sacramentale: de hoc postremo dicetur in Tr. *de Poenitentia.*

1. Secretum *naturale* est quando ipsa natura exigit ut res occulta remaneat, utpote proximum infamans, vel ipsi damnosa.

2. Secretum *promissum* est quando quis rem occultam ab alio audiens, vel casu noscens, promittit se eam non manifestaturum.

3. Secretum *commissum* seu rigorosum est quando quis aliquid alteri committit cum pacto explicito vel implicito non revelandi. — Porro secretum *implicite* commissum habetur quando ex circumstantiis arguitur hoc pacto aliquid manifestari: quod contingit in officio publico. Sic tacite committitur secretum parocho, theologo, advocato, medico, obstetrici, etc. [1].

1123.—*Q.* Secretum quomodo obligat, et quandonam cessat ejus obligatio?

R. — **1.** Secretum *naturale* obligat per se, et quidem ex justitia, ejusque violatio est peccatum grave vel leve pro ratione materiae et damni; unde qui scienter et injuste hoc secretum revelat ad reparationem damni tenetur, quia est causa culpabilis, efficax et injusta damni.

Obligatio secreti naturalis cessat quando hoc vergit in damnum injustum et grave sive alienum sive proprium. At si quis injuste in rei notitiam venerit, non potest secretum cum damno proximi, ad proprium vitandum, revelare, nisi proximus ita eum injuste vexet, ut pro sua justa defensione necesse habeat secretum manifestare.

2. Secretum *promissum* obligat sive ex fidelitate ratione promissionis, sive ex justitia ratione materiae; et quidem sub gravi vel sub levi juxta intentionem promittentis et damnum utriusque.

Obligatio secreti promissi etiam cum juramento cessat: 1° Quando quis illud revelare tenetur ob bonum publicum; unde superiori vel judici legitime interroganti quisque tenetur illud manifestare, quia promissio secretum non manifestandi in hoc casu esset de re illicita, ideoque nullius momenti. 2° Quando conservatio secreti esset gravi damno innocenti, vel ipsi promittenti; sive quia pro-

[1] S. Alph., L. III, 970.

missio in hoc casu esset prodiga et irrationabilis, sive quia nemo censetur se obligare ad secretum cum gravi suo incommodo, nisi hoc expresse promiserit [1].

3. Secretum *commissum* obligat per se sub gravi ex justitia, et quidem strictius quam secretum naturale et promissum, quia praeter obligationem ex pacto expresso vel tacito suscepta, totius societatis interest, ut inviolabiliter custodiatur [2]. Obligatio hujus secreti est strictissima quando aliquid sub secreto revelatur ex necessitate vel magna utilitate, v. g. ad consilium petendum [3].

Obligatio secreti commissi cessat: 1° Quando secretum esset in grave damnum reipublicae, idest religionis vel civitatis, v. g. si haereses vel conjurationes coërcendae essent, quia salus reipublicae suprema lex est, et promissio sive expressa sive tacita servandi secretum reipublicae damnosum est prorsus illicita, ideoque nullius roboris. 2° Quando rationabiliter praesumitur consensus principalis, seu cujus interest secretum servari. 3° Quando agitur de gravi damno spirituali avertendo ab eo qui secretum credidit, quia illicita fuisset hujusmodi secreti promissio. 4° In sententia communiori quando agitur de proprio damno gravi avertendo, quia secus nemo consilium aliis dare vellet, quod in damnum publicum recideret. — E contra non cessat ob damnum alicujus privati, quia bonum publicum praevalet; nisi damnum ab eo *injuste* immineat, cui secretum promissum fuit, nempe cum culpa ipsius

Unde si superior vel judex aliquem legitime interroget circa ea quae sub secreto commisso noverit, non potest ea revelare, et tenetur respondere: *Se nihil scire,* scilicet ad revelandum; quia neque superior, neque judex potest abrogare jus naturae quod obligat ad secretum quando bonum publicum illud exigit [4].

Tandem secretum commissum revelare uni vel alteri personae probae sub eodem secreto probabiliter non est mortale, modo persona non sit talis cui committens specialiter voluerit rem celari [5].

1124. — *Q.* Peccat ne qui litteras alterius aperit et legit ?

R. Qui litteras alterius (sive obsignatas sive non) aperit et legit per se graviter peccat si materia est gravis, et etiam si levis, quando legens judicaret proximum ita moleste rem laturum, ut graviter offenderetur.

E contra non peccat graviter: — 1° Si adsit consensus tacitus, vel praesumptus illius a quo, vel ad quem mittuntur. — 2° Si existimat non contineri rem magni momenti, nec dominum hoc gra-

[1] S. Alph., L. III, 971. — Quid si promiseris non revelare etiam cum vitae jactura ? — Quidam te adhuc teneri putant, alii negant et utrumque S. Alph. est satis probabile. Mihi, si his cui promissio facta fuit in eodem discrimine versetur, prior sententia est verior; secus posterior, quia promissio prodiga est atque ideo illicita. *D'Annibale*, II, 271 (18).

[2] Secretum, sive promissum sive commissum, cessat si res jam aliunde cognita vel publica evaserit. S. Alph., L. III, 971.

[3] *Marc*, n. 1187.

[4] *D'Annibale*, II, 271. — Quod S. Alph., L. IV, 48, docet secretum *commissum* cessare cum silentium cederet *in grave damnum alicujus personae*, commissum accipere debemus concreditum, et non rigorosum. Ib. (25).

[5] S. Alph., L. III, 971.

viter laturum. — 3° Si probabiliter sciat litteras scriptas esse in grave injustum damnum sui, vel etiam tertii, ut aliqui volunt, vel in suam injuriam cedere, quam intendit avertere, quia potest sibi consulere. — 4° Si legere necesse sit vel expediat ad bonum publicum, vel etiam ad injuriam alterius avertendam, dummodo non plus legatur quam ad hunc finem necesse sit. — 5° Si litteras legens sit Superior ejus ad quem litterae missae sunt, ex legitima consuetudine, vel probabili mali suspicione, aut vi regulae, exceptis tamen litteris quae ad superiores majores mittuntur vel ab eis recipiuntur.

Qui vero litteras ab alio dilaceratas et in publicum rejectas recolligit et, junctis partibus, legit, alii dicunt non peccare, quia dominus videtur cessisse juri suo: sed probabilius alii dicunt peccare, et quidem graviter vel leviter juxta ea quae diximus, quia eo ipso quod minutatim illas dilaceravit, satis significavit se nolle ut legantur, et ideo non cessisse juri suo [1].

[1] S. Alph., L. V, 70. — Hoc cl. *D'Annibale* omnino tenendum putat, quia etsi dubium sit jus ejus qui epistolam discidit, possidet lex quae vetat litteras alterius legere. II, 270 (14).

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

Sancta Mater Ecclesia ex potestate sibi a Christo Domino tradita nonnulla praecepta statuit, quae maximae utilitatis sunt fidelibus, quaeque ipsos facilius ad observantiam praeceptorum divinorum conducunt. Praestat igitur ut, postquam de praeceptis Decalogi tractatum est, dissertatio sequatur de praeceptis Ecclesiae.

PROŒMIUM.

1125. — *Q.* Quaenam sunt praecepta Ecclesiae?

R. Praecepta Ecclesiae plura sunt; quorum complexus jus canonicum constituit; sed inter ea quae universos fideles spectant, quinque eminent hoc ordine communiter exposita: 1° Missam audire diebus dominicis et festis de praecepto. — 2° Jejunare in quadragesima, et statutis temporibus, et a carnibus certis diebus se abstinere. — 3° Confiteri saltem semel in anno, et communicare in Paschate. — 4° Nuptias non celebrare temporibus vetitis.—5° Decimas solvere.

Quum vero de Ecclesiae praecepto missam audiendi dominicis et diebus festis jam dictum sit in tertio Decalogi praecepto; de praecepto confitendi saltem semel in anno et communicandi in Paschate dicendum sit ubi de Poenitentia et de Eucharistia; de praecepto vero nuptias non celebrandi temporibus vetitis disserendum veniat ubi de Matrimonio; superest ut de secundo et quinto Ecclesiae praecepto tantum hic disseramus.

CAPUT I.

De jejunio ecclesiastico et de abstinentia a carnibus.

1126. — *Q.* Quid est jejunium et quotuplex?

R. Jejunium in genere indicat *abstinentiam a cibo.* Triplex est: *naturale, morale, ecclesiasticum.*

Jejunium *naturale* est abstinentia ab omni cibo et potu. — *Morale,* seu virtutis, est moderatio in cibo potuque sumendo juxta regulas temperantiae. — *Ecclesiasticum* (de quo solo hic loquimur) est

abstinentia a multiplici refectione et quibusdam cibis, juxta Ecclesiae praeceptum et consuetudinem legitime receptam [1].

Porro communis sententia Th. tenet leges jejunii, etiam quadragesimalis, esse tantum juris positivi ecclesiastici. Christus enim nihil aliud jussit quam ut carnis mortificationem exerceamus; modum vero et tempus illam exercendi Ecclesiae determinanda reliquit.

1127. — *Q.* Quinam tenentur ad jejunium?

R. Ad jejunium tenentur, et quidem sub gravi [2], omnes fideles utriusque sexus, qui 21um annum expleverint, nisi legitime excusentur, vel a superioribus dispensentur.

Hinc non tenetur adolescens ante 21um annum expletum, etsi robustus; nec adolescens in dubio an 21um annum expleverit et dubium purificare non valens, quia in tali dubio possidet non lex, sed ejus libertas.

An vero adolescens complens annum 21um v. g. hora tertia, vel nona, teneatur eo die jejunare, alii affirmant, quia praeceptum obligat statim ac tempus obligationis advenit; sed alii negant, quia praeceptum jejunii est indivisum, unde respicit totum diem integrum, tamquam unicum objectum praecepti [3].

1128. — *Q.* Quaenam requiruntur ad jejunium ecclesiasticum?

R. Ad jejunium ecclesiasticum tria requiruntur: 1° Unica refectio, quae est pars jejunii substantialis; 2° abstinentia a carnibus, et quandoque etiam ab ovis et lacticiniis, quae probabilius est pars jejunii tantum integralis; 3° hora refectionis, quae est quaedam circumstantia tantum accidentalis [4].

Hinc tres articuli: 1° de unica refectione; 2° de abstinentia a carnibus, ovis et lacticiniis; 3° de hora refectionis.—Hisce addemus 4um de causis excusantibus.

ART. I.

De unica refectione.

1129. — *Q.* Quidnam requiritur ad unicam refectionem servandam, et quomodo peccat qui in die secundam refectionem sumit?

R. — I. Unicae refectionis praeceptum requirit ut in die jejunii, seu in spatio 24 horarum, a media nocte ad alteram mediam noctem, unam tantum refectionem plenam et sufficientem quis sumat. Attamen ex usu jam satis antiquo, praeter hanc plenam refectionem, licet

[1] Hic prius notasse juvabit consuetudinem locorum et temporum plurimum conferre ad jejunii ecclesiastici formam interpretandam et coarctandam. Quare unusquisque morem suae regionis consulat. In hoc vero auctoritas recentiorum doctorum praeferenda est, juxta S. Alph., auctoritati antiquorum; hi enim consuetudines tractu temporis introductas scire non poterant. *Aertnys*, L. IV, 5.

[2] Alex. VII seq. proposit. damnavit: « *Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere praecepto* ».

[3] S. Alph., L. I, 32; L. III, 1035.

[4] *D'Annibale*, III, 130.— Dies jejunii, in quibus nempe servari debet lex *unicae comestionis*, pro Italia et insulis adiacentibus, sunt sequentes: 1° Totum tempus Quadragesimae, exceptis Dominicis — 2° Feriae VI et Sabbata adventus. — 3° Feriae IV, VI, et Sabbata Quatuor Temporum. — 4° vigiliae: *a*) Pentecostes, *b*) SS. Apostolorum Petri et Pauli, *c*) Assumptionis B. M. V., *d*) Omnium Sanctorum, *e*) Nativitatis D. N. I. C. (Decr. S. C. Inq. 7 Sept. 1906).

vespere collatiunculam seu coenulam sumere. Insuper licet nunc generatim aliquid cibi, seu *frustulum*, mane sumere, dummodo non excedat notabiliter duas uncias, ut infra dicetur.

2. Quum unica refectio in die sit de essentia jejunii, qui secundam refectionem sine justa causa sumeret peccaret mortaliter.—Qui autem in unica refectione nimis comederet, peccaret contra temperantiam et contra finem praecepti, sed non contra praeceptum jejunii quia Ecclesia quantitatem cibi in unica refectione sumendam non determinavit propter diversas hominum complexiones [1].

1130. — *Q.* Quamdiu licet prandium protrahere?

R. Prandium probabiliter licet protrahere usque ad duas horas, et juxta alios etiam ad tres vel quatuor, saltem pro Germanis, attento eorum more; sed Croix merito dubitat an haec consuetudo sit approbata, nisi, ut ait, post duas circiter horas apponantur sola bellaria vel cibi leviores, maxime si postea vespere omittatur refectiuncula; hocque ego (ait S. Alph.) nec approbo nec reprobo [2].

1131. — *Q.* Licet ne prandium interrumpere?

R. Ut refectio unica sit opus est ut non sit interrupta, intellige moraliter, secus refectiones multiplicarentur. — Quodnam vero tempus requiratur pro hac morali interruptione, non conveniunt inter se Th.: alii quartam; alii dimidiam; sed communiter tertiam horae partem admittunt. Unde dicunt quod interruptio etiam sine ulla causa facta, si tale temporis spatium non excedit, non erit peccatum ne veniale quidem. Hoc autem certum est quod, si absque justa causa interponatur horae spatium, prandium censetur interruptum.

Cum justa vero causa prandium interrumpi potest etiam per unam horam, imo et per duas, quando quis non sufficienter se refecit, nec jejunium tolerare potest sine gravi incommodo, quia Ecclesia nunquam intendit obligare ad diem transigendum sine sufficienti refectione.— Quando autem quis prandium interrumpit, non est necesse ut retineat intentionem iterum comedendi, ut aliqui volunt contra plures; sed quisquis postquam a mensa surrexit etiam animo non amplius comedendi, potest iterum ad comedendum redire, si commensales prosequantur prandere, aut si in mensa apponantur aliae epulae quae non expectabantur, quia illud prandium moraliter adhuc durare censetur [3].

1132. — *Q.* Qui jam fregit jejunium, peccat ne graviter iterum comedendo?

R. Si jejunium fregit comedendo cibos vetitos, toties peccat quoties de illis iterum comedit, quia praeceptum negativum obligat semper et pro semper.

Si autem fregit jejunium quia duplicem refectionem sumpsit, tunc si *advertenter* et culpabiliter fecit, graviter quidem peccavit, sed juxta communiorem et probabiliorem sententiam non amplius peccat,

[1] S. Alph. L. III, 1004.
[2] S. Alph., L. III. 1020 q, 5.
[3] S. Alph., L. III, 1020. — Illud omnibus constat, eos qui praestare debent aliquod officium his qui accumbunt, v. g. legere, ministrare, posse antea aliquid sumere; immo et debere, si aliter jejunare nequirent, et postea prandium quasi coeptum perficere. *D'Annibale*, III, 131 (10).

saltem graviter, iterum comedendo; quia, cum essentia jejunii in unica refectione principaliter consistat, destructa essentia jejunii, praeceptum cessat.

Si vero *inadvertenter* jejunium fregit, tunc alii dicunt quod adhuc tenetur se abstinere a tertia refectione, quia tantum materialiter jejunium fregit, unde cum primum advertit ad jejunii legem, tenetur illam servare ne formaliter peccet. Sed alii probabilius negant, quia etiam in casu inadvertentiae destructa est essentia jejunii [1].

1133. — *Q.* Quomodo se gerere debet qui mane inadvertenter jentaculum sumpsit ?

R. — 1. Si parvum jentaculum sumpsit, debet jejunare more solito, quia essentialiter jejunium non fregit.

2. Si vero jentaculum sumpsit in quantitate aequivalenti ad collatiunculam, debet, si absque gravi difficultate fieri potest, vel se abstinere a collatiuncula, vel prandium ad tempus vespertinum differre.

3. Si autem in tali quantitate comedit quae prandio aequivaleat, tunc prandium omittere debet, et tantum collatiunculam sumere ; quam tamen anticipare et etiam abundantius sumere potest si aliter grave pateretur incommodum.

1134. — *Q.* Quaenam materia censetur gravis in violatione jejunii ?

R. Quoad cibos sumptos extra prandium vel collatiunculam, quantitas *duarum unciarum* certo non est materia gravis. E contra communiter ut gravis habetur quantitas dimidiae collatiunculae aequivalens, seu quatuor unciis. Procul dubio vero materia gravis censenda est quae, vespertinae collatiunculae addita, alteram efficeret refectionem [2].

1135. — *Q.* Quodnam peccatum committit qui in die jejunii parum quid sumit ?

R. Qui cum causa parum quid una vice sumit, v. g. unciam panis, ne ante prandium viribus deficiat, non peccat ne venialiter quidem. Item nullomodo peccat si ad bibendum, ne potus noceat, frustulum panis sumat, modo hoc non faciat nisi semel aut bis in die.

E contra qui sine causa parum quid in die sumit, peccat venialiter, imo, si pluries in die, peccat etiam graviter, si materia simul sumpta sit gravis. Eruitur ex propos. 29 ab Alex. VII damnata: *In die jejunii qui saepius modicum quid comedit etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium* [3].

1136. — *Q.* Vinum, electuaria, chocolate et his similia frangunt ne jejunium ?

R. Vinum, cafaeum, the, etc., cum ordinentur ad sitim sedandam vel digestionem juvandam, nec per se habeant rationem cibi, jejunium non frangunt. Hinc axioma: *liquida* (nempe *potus*) *jejunium non frangunt;* et hoc etiamsi liquida sumantur congelata (vulgo *sorbetti*), congelatio enim naturam rei non mutat. — E contra lac jejunium frangit, quia potius ad nutritionem ordinatur; at serum multi dicunt sumi posse, quia proprie non est lac, sed aqua ex lacte [4].

Quoad *electuaria* (quae sunt quaedam bellaria ex saccharo et

[1] S. Alph., L. III, 1030.
[2] *Marc*, 1225; *Gury*, I, 494.
[3] S. Alph., L. III, 1025.
[4] Tria haec distinguenda sunt : cibus,

junipero, vel cedro, cerasis, ribesio etc. confecta), haec habet Angelicus: Electuaria etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter sumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum; unde non solvunt jejunium, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate sumat per modum cibi [1]. Itaque licet ea assumere ob quamlibet justam causam, nempe ad digestionem adjuvandam, stomachum roborandum, ad vocem conservandam, ad foetorem oris tollendum, etc. Quod si quis ea assumeret ex sola delectatione et in parva quantitate, peccaret venialiter : et quod dictum est de electuariis, idem dicendum de dulciolis (*zuccherini, confetti, caramelle*) [2].

Quoad *chocolate*, vel illud sumitur per modum cibi, vel per modum potionis. Si per modum cibi, nempe non dilutum, jejunium frangit, nisi in parva quantitate sumatur. Si vero per modum potionis, disput. Th. Alii dicunt jejunium frangere, quia semper habet rationem cibi, ad instar lactis. Communius tamen negant, praecipue ratione consuetudinis hodie communiter receptae, modo non sumatur instar densae pultis, sed misceatur aqua in majori vel aequali quantitate. et sumatur tantum semel in die, et in modica quantitate, scilicet una uncia cum dimidia [3]. ..

1137. — *Q.* Licet ne diebus jejunii mane sumere in parva quantitate cafaeum aut chocolate cum frustulo panis ?

R. Affirmative ; nam S. Poenit. 21 nov. 1843, huic quaesito respondit : *Eos qui talem usum sequuntur, non esse inquietandos.* Unde id omnibus et ubique tuta conscientia permitti potest. Dixi: *ubique*, quia haec responsio data fuit cuidam Episcopo regionis Canadensis, ubi usus talia mane sumendi nondum erat introductus. — Pondus *frustuli panis*, si cafaeum sumatur, ascendere potest ad duas uncias [4].

1138. — *Q.* Quid dicendum quoad *collatiunculam* vespertinam?

R. Jejunium certe non solvitur per collatiunculam vespertinam, quia id consuetudo permittit. — In hac vero *collatiuncula* duo observanda sunt : quantitas et qualitas cibi.

I. *Circa quantitatem* aliqui Th. permittunt quartam prandii partem; sed haec doctrina nimis vaga et scrupulis obnoxia est.

Communiter vero Th. permittunt octo uncias cibi (circiter gram. 250) [5]. Haec quantitas ita hodie usu recepta est, ut indistincte permittatur etiam iis qui cum illa ad satietatem reficiuntur.

potus, medicamenta. Jejunium est abstinentia solius *cibi*, non item *potus*, vel *medicinae :* verum potus accipere debemus ex iis liquidis quae serviunt ad vehiculum cibi, vel ad digestionem, vel ad sitim extinguendam ; ut aqua, vinum, cerevisia, etc.: nam quae suapte natura ad nutriendum cum primis pertinent, magis cibi instar habentur, ut jus, lac, oleum. — *D' Annibale*, III, 432.

[1] $2^a\,2^{ae}$, q. 147, a. 6. — Conf. *Génicot*, I, 439, V.

[2] Poma, uva, pepones (vulgo *mellonì*) et similia habent rationem cibi, ut communiter dicunt Th.; unde graviter contra jejunium peccaret qui de iis ederet in magna quantitate, etiamsi solum succum deglutiat. S. Alph.. L. III, 1021.

[3] S. Alph., L. III, 1023.

[4] *Ninzatti*, 720.

[5] Uncia romana (de qua semper agi censent plerique nostrae aetatis Theologi, quoties de uncia mentio fit in tractatu de jejunio) aequivalet 29 gram. et 16 centigr. — *Ninzatti*, 718.

Haec mensura octo unciarum aliquantulum augetur pro regionibus septentrionalibus, idque quia ex una parte frigus majorem famen excitat, et ex alia vinum et cibi illuc minorem substantiam habent minusque nutriunt. Hinc est quod haec quantitas justa ex causa poterit esse majoris ponderis, quando videlicet quis eget majori nutrimento ut proprium officium rite adimplere possit. — Quare regula omnino fixa statui nequit, cum etiam ad complexionem, munera obeunda, durationem jeiunii etc., et etiam locorum consuetudinem attendi debeat. Unde generatim licet sumere quantum quis prudenter judicat necessarium ad evitandam indispositionem quae ipsum impediat quominus officia sua convenienter obeat. — Censet autem Cl. Berardi quod praedicta octo unciarum regula valeat quidem quoad panem, pisces et fructus exiccatos, nempe quoad cibos qui majorem substantiam continent; non vero quoad poma, uvam recentem, herbam (*insalata*) aliosque cibos qui multum aquei humoris continent, quique proinde valde minorem substantiam habent, et quamvis pro momento satient, postea magnam debilitatem relinquunt. Quoad hujusmodi cibos octo unciarum pondus non illos sic et simpliciter, sed quod in ipsis est substantiae alimentum dandi capacis, respicere debet [1].

In vigilia vero Nativitatis D.N., etsi incidat in Subbato IV Temporum, communiter permittitur quantitas duplo major; non autem in Sabbato Sancto, nec in vigilia Pentecostes [2].

Qualis vero excessus censeatur gravis in collatiuncula, non conveniunt Th.. Plures requirunt excessum alteri dimidiae collatiunculae aequivalentem. Omnes vero conveniunt excessum duarum unciarum esse materiam levem [3],

2. *Circa qualitatem* autem, certum est excludi carnes et ova, et etiam lacticinia nisi in aliqua regione adsit privilegium vel legitima consuetudo.

E contra certum est permitti fructus, herbas, dulciaria, panem etiam cum aqua et oleo decoctum; imo ex odierna consuetudine etiam pisces, sive parvos sive magnos, sive exsiccatos sive recentes, in parva tamen quantitate, v. g. tribus vel quatuor unciis [4].

[1] *Praxis*, n. 528.

[2] S. Alph. Hom. Ap. T. XII, 16, 17.— In pondere octo unciarum certe computanda non sunt aqua et vinum. An vero computandum sit oleum, Viva affirmat; sed bene observat Cl. Ballerini: Vix reipsa apparet, cur de hisce ambigendum sit; et cum olei modicissima pars adjungatur, Vivae animadversio, aliaque id genus, leviores videntur, quam ut vel Theologus iis serio immoretur, vel Confessarius scrupulose inquirat, eo vel magis, quod minutae ejusmodi disquisitiones judaicum potius quam Ecclesiae spirictum redoleant. — *Gury*, I, 500 (*a*).

[3] S. Alph., L. III, 1029.

[4] Nonnulli Th. putant panem decoctum majus nutrimentum praebere, ideoque ejus quantitatem limitant ad quatuor vel quinque uncias; sed alii praedictam rationem rejiciunt, et licet admittant panem ex decoctione cum aqua immutationem chymicam inire, haec tamen immutatio consideranda est quasi initium digestionis, unde materia alimentans nullo prorsus modo augescit! *Berardi*, Praxis, 528.

Art. II.

De abstinentiae lege et ieiunii.

1139. — *Q.* Lex abstinentiae quid vetat ?

R. Lex abstinentiae vetat carne iureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium. **Can. 1250.**

1140. — *Q.* Lex ieiunii quid praescribit ?

R. Lex ieiunii praescribit ut nonnisi unica per diem comestio fiat ; sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine.

Nec vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere ; nec serotinam refectionem cum prandio permutare. **Can. 1251.**

1141. — *Q.* Quandonam lex abstinentiae et ieiunii servanda est ?

R. Lex solius abstinentiae servanda est singulis sextis feriis.

Lex abstinentiae simul et ieiunii servanda est feria quarta Cinerum, feriis sextis et sabatis Quadragesimae, et feriis Quatuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparae in coelum assumptae, Omnium Sanctorum, et Nativitatis Domini.

Lex solius ieiunii servanda est reliquis omnibus Quadragesimae diebus. — Diebus Dominicis vel festis de praecepto lex abstinentiae, vel abstinentiae et ieiunii vel ieiunii tantum cessat, excepto festo tempore Quadragesimae, nec pervigilia anticipantur; item cessat Sabato Sancto post meridiem. **Can. 1252.**

1142. — *Q.* Quinam tenentur lege abstinentiae et ieiunii ?

R. Abstinentiae lege tenentur omnes qui septimum aetatis annum expleverunt. — Lege ieiunii adstringuntur omnes ab expleto vigesimo primo aetatis anno ad inceptum sexagesimum. **Can. 1254.**

1143. — *Q.* Canones praedicti respiciunt ne etiam constitutiones ac regulas cuiusvis religionis, vel vota cuiuslibet personae etc. ?

R. Canonibus praedictis nihil immutatur de indultis particularibus, de votis cuiuslibet personae physicae vel moralis, de constitutionibus ac regulis cuiusvis religionis vel instituti approbati sive mulierum in communi viventium etiam sine votis. **Can. 1253.**

1141. — *Q.* Quaenam materia censetur gravis in violatione abstinentiae ?

R. Quoad violationem abstinentiae a carnibus non conveniunt Th.: Qui moderate sentiunt, ait Lehmkuhl, materiam gravem tenent esse dimidiam unciam ; alii vero unciam ; et alii benigniores putant non esse materiam gravem nisi accedat fere ad duas uncias [1].

[1] Ad Quaesitum : « Utrum patresfamilias, cum in familia adest aliquis a lege abstinentiae quoad carnes dispensatus, dispensationem ad omnes familiae personas indiscriminatim extendere possint ? »

S. Poenitentiaria, die 12 Jan. 1834, respondendum censuit: *Infirmitatem et aliud quodcumque rationabile impedimentum, de utriusque medici consilio, non vero gulam, avaritiam, sive generatim expensarum compendium, eximere posse a praecepto abstinentiae in diebus esurialibus.*

Ad Quaesitum : « Utrum cum paterfamilias, a lege abstinentiae quoad car-

Quoad ova et lacticinia Th. requirunt etiam majorem quantitatem.

1142. — *Q.* Quid importat indultum edendi carnes in diebus jejunii ?

R. Quando adest indultum edendi carnes in diebus jejunii, haec observanda sunt, ex Bulla *Liberalissime* Bened. XIV :

1. Dispensati quoad carnes non ideo dispensantur a jejunio ; nec ipsis prohibetur caro suina, neque in genere caro insalubris, nisi fiat specialis prohibitio [2].

2. Dispensati quoad carnes, sed lege jejunii adstricti, possunt carnes tempore quadragesimae dispensatus, non potest aut non vult cibos utriusque generis, esuriales scilicet et carnes parare, ejus filii aut familiares carnes edere possint ? »

S. Poenitentiaria, 16 jan. 1834, respondendum censuit : *Posse personis quae sunt in potestate patrisfamilias ; cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis. Adjecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis cibis et de una comestione in die, iis qui jejunare tenentur.*

Ad Quaesitum: « 1° An supradicta resolutio valeat ubique terrarum? 2° Dum dicitur *permitti posse*, petitur a quo ista permissio danda sit: et an sufficiat permissio data a simplici confessario ? »

S. Poenitentiaria. 27 maji 1863, respondit : *Ad primum, affirmative ; ad secundum, sufficere permissionem factam a simplici confessario.*

Ad Quaesitum: « Possunt ne filiifamilias edere carnes tempore vetito, praesupposita ejusmodi facultate in ipsis parentibus vel in horum uno ? Et in casu affirmativo, possunt ne filii edere carnes sine offensione conscientiae, cum reperiantur in circumstantia duo prandia parandi ?

Responsum est, 20 apr. 1865: *Negative, loquendo speculative; practice vero confessarius dijudicare tenetur.*

[2] S. Alph., Hom. Ap. T. XII, 8.

nes edere in sola refectione, non autem in collatiuncula.

3. Quando in collatiuncula conceditur licentia utendi condimento adipis (*strutto*), hujus loco adhiberi potest butyrus [3].

4. Qui ratione *aetatis*, vel *laboris*, vel *infirmitatis* jejunare non tenentur, possunt diebus jejunii vesci carne et lacticiniis *quoties* per diem edunt; nisi Episcopus restrictionem adjecerit [4].

5. Dispensatio seu licentia utendi *condimento adipis* (vulgo *di grasso*) olim respiciebat solum condimentum suinum, non vero adipem cujuscumque animalis; nunc vero,

[3] In Congregatione generali S. R. et U. I. habita feria IV, die 13 Maji 1896 Em.mi ac Rev.mi Cardinales inquisitores Generales sequens dubium expendendum susceperunt.

« Utrum diebus jejunio consecratis, in quibus apostolica venia usus condimentorum ex adipe indulgetur, butyro quoque per modum condimenti uti liceat ?»

Atque omnibus sedulo perpensis, habitis etiam prae oculis latis antea a S. Sede hac super re decisionibus, decreverunt: « Supplicandum SS.mo pro gratia ».

Sequenti vero feria VI die 15 ejusdem mensis SS.mus D. N. Leo divina providentia PP. XIII, in audientia r. p. d. Adsessoris S. Officii impertita, benigne annuere dignatus est pro gratia juxta Em.morum Patrum suffragium.

[4] Ad Quaesitum: « Utrum fideles exempti a lege jejunii ob artes laboriosas, tempore quadragesimae, cum esus carnis et lacticiniorum omnibus ad unam refectionem permittitur, possint carnibus et lacticiniis vesci pluries in die, non secus ac in dominicis diebus ejusdem quadragesimae, in quibus non urget obligatio jejunii ?

S. Poenitentiaria 16 jan. 1824, de mandato Pii Papae VII respondit: *Fideles, qui ratione aetatis vel laboris jejunare non tenentur, licite posse in quadragesima cum indultum concessum est, omnibus diebus in indultum comprehensis, vesci carnibus aut lacticiniis per idem indultum permissis quoties per diem edunt.*—Et die 16 mart. 1882 idem respondit quoad fideles a lege jejunii excusatos ratione *affectae valetudinis.*

ex decreto S. C. S. Off. die 1 maji 1889, permittitur condimentum cujuscumque animalis. At non permittitur carnium jusculum. Et hoc valet non solum pro diebus jejunii, sed et pro diebus veneris et sabbati per annum [5].

ART. III.

De hora refectionis.

1144. — *Q.* Quid de hora refectionis ?

R. Hora refectionis in diebus jejunii, juxta praesentem Ecclesiae disciplinam, est circa meridiem [1]; quae hora non mathematice sed moraliter computanda est.

Cum Th. communius teneant horam refectionis esse tantum circumstantiam accidentalem jejunii, omnes conveniunt quod etiam sine causa omnibus licitum est anticipare *infra horam*. Anticipare vero per horam sine causa multi dicunt esse peccatum grave, sed sententia probabilior dicit esse tantum leve, quia hora non est de essentia.—Dixi *sine causa*, nam si quae adesset rationabilis, uti si fiat ratione debilitatis, negotiorum, studiorom, etc., nullum erit peccatum [2].

Utrum in diebus jejunii possit inverti tempus comestionis, sumendo serotinam refectionem infra horam X et XI matutinam, prandium vero differendo ad IV vel V horam vespertinam nunc lis finita est, nam ex **Can. 1251**, § 2. non est vetitum serotinam refectionem cùm prandio permutare.

ART. IV.

De causis a jejunio vel abstinentia excusantibus.

§ 1°

De causis a jejunio excusantibus.

1145.—*Q.* Quotnam causae a jejunio excusant ?

R. Quatuor communiter enumerantur causae : dispensatio, impotentia, labor et pietas, seu ratio majoris boni. Notandum vero quod excusati ab unica refectione non ideo a praecepto abstinentiae solvuntur, et e converso.

I. — *Dispensatio.*

1146.—*Q.* Quinam possunt a jejunio dispensare ?

R. A jejunio dispensare possunt :

1. Papa pro universa Ecclesia.

2. Episcopi pro suis subditis, et tantum in casu particulari, non tamen pro tota diocesi sine Pontificis venia, etsi agatur de solo esu carnium. Ita eis limitatur facultas, cum jejunium sit lex superioris. Item Vicarii Episcoporum ex speciali facultate ipsis concessa.

3. Parochi jure consuetudinis, etiam praesente Episcopo, ex juxta causa cum suis subditis particularibus; non vero pro tota parocia.

[1] Prioribus Ecclesiae saeculis, hora solvendi jejunium, extra Quadragesimam, erat nona, idest tertia pomeridiana: intra Quadragesimam vero protendebatur usque ad solis occasum. Saeculo XIII mos obtinuit ut omnia jejunia indistincte solverentur hora nona, seu tertiâ pomeridiana. Secessu autem temporis, quia vires humanae tam diuturnam abstinentiam aegere tolerarunt, ex communi Ecclesiae consuetudine refectio circa meridiem, etiam in Quadragesima, coepit institui. — Cf. *Acrtnys* L. IV, 10; *Marc*, n. 1231.

[2] S. Alph., L. III, 1016.

Item Vicarii Parochorum qui exercent actus parochiales, ex Parochi delegatione, nisi Parochus expresse repugnet [1].

4. Praelati regulares, etsi locales et eorum Vicarii cum suis subditis in casu particulari. Non vero abbatissae, aliaeque superiores monialium, cum ipsae nullam habeant jurisdictionem spiritualem; possunt tamen in aliquo casu declarare moniales subditas ad jejunium non teneri. — Sed omnes Superiores huc usque nominati, excepto Papa, nequeunt dispensare nisi ex justa causa, secus dispensatio est irrita. (v. n. 191) [2].

II. — *Impotentia.*

1147. — *Q.* Quaenam impotentia sive physica, sive moralis.

R. A jejunio excusat impotentia sive physica, sive moralis.

1. Ob impotentiam *physicam* excusantur: 1° Infirmi, convalescentes et debiles, qui nequeunt in unica comestione sufficienti alimento se reficere. — 2° Mulieres praegnantes aut lactantes, quibus ne

[1] Olim in dubio utendum erat *utriusque medici consilio*, nempe medici et confessarii. Verum hodie fideles solius confessarii, vel solius medici (nempe timoratae conscientiae) aut viri prudentis consilio acquiescere solent; imo si quis proprio acquiescat, si prudenter id judicare possit, non est inquietandus. *D'Annibale*, III. 136 (24).

[2] S. Alph., L. III, 1032 *.

* Casus. — Titius se a jejunio vel ab abstinentia a carnibus dispensat, quin consilium medici et confessarii petat, bona fide putans causam sufficientem habere se dispensandi.

Q. Quomodo Confessarius se gerere debet in hoc casu?

R. 1. Si Confessarius cognoverit Titium causam *certe sufficientem* habere se a jejunio vel ab abstinentia a carnibus dispensandi, ipsum in pace relinquere debet; imo, ne forte in posterum mala fide peccet, ipsi suadere convenit quod praecepta Ecclesiae non obligant cum gravi incommodo Nec Titius in hoc casu tenetur judicium medici et confessarii petere, nam quando impedimentum est certum, non requiritur judicium alterius. Confessarius tamen Titium prudenter adhortetur ut alio modo ipsi possibili et convenienti poenitentiam agat, ut exerceat v. g. parvas mortificationes gulae, linguae, oculorum, etc., patienter saltem infirmitatem, paupertatem, vel alia incommoda sustineat, aliorum defectus supportet, etc., etc.

2. Si vero Confessarius cognoverit Titium causam *dubie sufficientem* habere se dispensandi, ipsum autem bona fide putare esse vere sufficientem, tunc si monitionem profuturam prudenter judicat, ipsum moneat ut dubium purificet, nempe medici et confessarii consilium quaerat, praesertim si agatur de jejunio quadragesimali. Quod si prudenter timeat monitionem non esse profuturam, vel quia Titio grave erit medicum consulere, vel quia aliter se gerere nequit, puta si in familia viveret, et parentes aut superiores nec jejunium, nec abstinentiam ei permitterent, in hoc casu Confessarius monitionem omittere debet, et Titium in sua bona fide relinquere; secus periculum adesset quod peccatum Titii (posito causam se dispensandi non esse vere sufficientem) e materiali tantum in formale transeat.

Ceterum Confessarius advertat quod hodierna Ecclesiae disciplina circa jejunium ecclesiasticum et abstinentiam a carnibus, antiquo rigore mitigato, notabilitet immutata est, et Ecclesia hanc mitigationem novit, et nihilominus tacet, imo quodammodo saltem tacite approbat, facillime dispensationes hac in re concedendo. Quum autem nostris temporibus ex una parte fides generatim imminuta sit, et ex altera robur et valetudo universim infirmata, non solum inopportunam, sed damnosum esset antiquum rigorem hac in re exigere, pertendere. Ex his igitur concludere licet quod benignitatem magis quam severitatem hac in re prudentis est confessarii; sic enim agendo et mentem Ecclesiae securius prosequitur, et poenitentes a periculo peccandi efficacius arcet.

quidem est permissum jejunare nisi semel aut bis, si robustae sint); imo eis licet in die jejunii vesci carnibus, si qua est debilis vel proles infirma.—3° Pauperes qui destituti sunt cibo unicae comestioni sufficienti: unde qui nihil aliud quam panem et herbas aut legumina habent non tenentur ad unicam refectionem, cum hujusmodi cibi tenuis sint alimenti, et in tantum sufficiant iis qui ad haec obsonia sunt assueti, in quantum pluries in die et in magna quantitate eis vesci solent [1].

2. Ob impotentiam *moralem*, nempe ob grave incommodum, excusantur: 1° Ii quibus jejunium gravem capitis dolorem affert.— 2° Qui jejunando non possunt noctu calefieri, vel per notabile tempus somnum capere; quo in casu non tenentur mane sumere collatiunculam, ut sero possint comedere, et sic servare jejunium, si hoc grave incommodum ipsis afferret.— 2° Milites, sive in castris sive in praesidiis; tum quia magnos labores perferunt, tum quia statutis horis non possunt comedere, tum quia congruum cibum non habent pro jejunio.— 4° Uxores, si jejunando gravem paterentur virorum indignationem.

An a jejunio excusentur foeminae *quinquagenariae*, disput. Th.: Sententia negativa est communior et probabilior; affirmativa S. Alph. non audet improbare nec probabilem dicere, nisi aliqua particularis circumstantia infirmitatis aut debilitatis concurreret [2].

[1] S. Alph., L. III, 1033, et seq.

[2] S. Alph., L. III, 1037; Hom. Ap., T. XII, 25.— Cf. *Ninzatti*, n. 727-720; *Génicot*, I, 445.

[3] Quare merito damnata fuit ab Alexandro VII prop. quae generaliter asserebat: *Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii; nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum jejunio.*

III. — *Labor.*

1148.— Q. Labor quandonam a jejunio excusat?

R.— I. Labor gravis, corpus valde fatigans, ex officio vel justa causa susceptus, per se a jejunio excusat; ratio, quia moraliter insociabilis est cum jejunio, neque intentio Ecclesiae est quod homines ob jejunium se abstineant a consuetis occupationibus, cum ita impedirentur res necessariae et magis utiles bono communi.

Unde generatim ad jejunium non tenentur qui opera admodum laboriosa exercent, etsi robusti sint; nam in praxi vix reperitur qui ex tali labore graviter non relaxetur. Nec tenentur jejunare si uno vel altero die non laborant, necesse enim habent reficere vires ad proximos labores sustinendos.

II. Labor non multum fatigans non excusat, nisi eos qui ob debilitatem, vel aliam peculiarem circumstantiam, sine magno incommodo illum jejunantes exercere nequeunt [3].

Hinc communiter excusantur: agricolae — artifices qui ex officio artes laboriosas exercent, etsi divites sint, ut communiter dicunt Th., — figuli — tinctores lanarii —fullones — fabri lignarii — ferrarii — murarii — sutores — furnarii — aurigae — nautae — remigantes — coqui qui multas dapes multis personis parant, si fere per diem laborant,— typographi praelum versantes — servi laboribus

majoribus addicti, non autem qui alicui leviori labori incumbunt,— itinerantes si graviter defatigantur [1].—Item, plures Th. excusant a jejunio, sine ulla distinctione, inservientes *cum magno labore* infirmis in hospitalibus aut monasteriis [2].

E contra non excusantur : barbitonsores, sartores, pictores, notarii, architecti, molitores, nisi in casu particulari, ratione specialis debilitatis, vel laboris extraordinarii [3].

1149.—*Q.* Peccat ne qui sine justa causa laborem assumit ut a jejunio eximatur ?

R. — 1. Certe, postquam graviter defatigatus est, ad jejunium non tenetur, licet malo fine labo rem sumpsisset.

2. An vero peccet contra praeceptum jejunii, nonnulli negant, quia ille utitur jure suo, quo potest se eximere ab obligatione legis. Sed communiter cum S. Alph. omnino affirmant, quia ille operatur *in fraudem legis*; omnis autem lex vetat ne data opera aliquid fiat quo ipsa eludatur (vid. dicta n. 175) [4].

Notant tamen plures Th. quod si qûis non ad recreationem, sed ad finem utilem, licet non necessarium, laborem assumit, non peccat contra praeceptum jejunii, si postea non jejunet [5].

IV. — *Pietas.*

1150.—*Q.* Quandonam pietas a jejunio excusat ?

R. Pietas a jejunio excusat quando quis debet se occupare in aliquod pium opus quod est majoris meriti quam jejunio incompossibilem. Et hoc procedit etiamsi opus non exerceatur ex officio aut obedientia, sed mera devotione, modo ex juxta causa assumatur et in aliud tempus differri non possit [6]. Hinc excusantur :

1. Qui pluribus infirmis cum magno labore inserviunt in hospitalibus aut monasteriis.

2. Peregrinantes ad loca sacra, modo vero zelo peregrinationem suscipiant in magnum Dei honorem, aut magnam aedificationem communem; nempe si sint personae gravis auctoritatis, vel si peregrinatio vertat in magnam ipsius peregrini spiritualem utilitatem, eamque non possit commode differre. Quando vero quis peregrinationem jam incoepit et interim dies jejunii occurrit, non tenetur eam intermittere ad jejunium servandum.

3. Concionatores, qui praedicant quotidie vel frequenter, uti in Quadragesima; actio enim concionandi est valde laboriosa, tum propter studium ad id necessarium, tum propter corporis agitationem. Et hoc maxime locum habet pro missionariis, qui diebus missionis cum vehementi agitatione concionantur. Ceterum decet ut concionatores omnes, qui non solum verbo sed etiam exemplo debent praedicare, quantum fieri potest, ad aedificationem populorum jejunia satagant observare, ut faciunt qui

[1] Nempe si pedestres eunt, 12 vel 15 milliariorium (25 chilometra), si equo bidui, sin curru tridui. Ceterum haec varie ex personis, itineribus, tempestatibus, etc., aestimari debent; et in his quoque hui intra civitatem hac illac excurrere, cursitare necesse habent. *D'Annibale*, III, 136 (13).

[2] *D'Annibale*, I, 171, 60.

[3] S. Alph., L. III, 1041.

[4] S. Alph., L. III, 1045.

[5] S. Alph., L. III, 1046. — Conf. etiam *Génicot*, I, 446.

[6] S. Alph., L. III, 1048.

perfectionis amantiores sunt. Qui vero tantum ter vel quater in hebdomada conciones habent, excusantur si cum magno fervore concionentur et, ob corporis agitationem et applicationem mentis, ita debiles evadant, ut nequeant jejunium perferre; et hoc etiamsi concionentur causa lucri.

4. Scholastici, si per 5 saltem horas studiis necessariis vacant; sed studium dumtaxat utile videtur jejunio postponendum [1]. Item Lectores scientiarum qui magno studio et labore indigent; non vero qui dictant lectiones jam prius ordinatas et saepius repetitas. Magistri grammaticae videntur item excusari, si in die docent per quinque horas. Si vero docent per quatuor horas, non videntur teneri ad jejunium plusquam tribus diebus in hebdomada [2].

5. Confessarii, medici, advocati, judices, si extraordinario indigent studio aut labore, simulque sint ita debiles ut jejunando impares fiant ad satisfaciendum frequentiae poenitentium, infirmorum, clientum, etc. [3]: hi enim licet non egeant majori cibo, cum labor sit mentis, opus tamen habent cibo frequentiori, ut in eis reparetur spirituum consumptio.

6. Cantores sive musici, qui jejunium observando vocem amitterent, nec possent suum officium exercere.

Hic notandum 1° quod praedicti professores, magistri, cantores, advocati, medici, confessarii etc. non per se, sed tantum per accidens a jejunio excusari possunt; nimirum si ratione alicujus gravis circumstantiae suis officiis jejunando non possint satisfacere. Et hoc maxime advertendum in hac materia; nam ubi labor *per se* excusat, in dubio praesumptio stat pro exemptione; e converso ubi labor non per se, sed *per accidens* excusat, nempe ob aliquam circumstantiam, puta debilitatem personae vel gravitatem laboris, in dubio praesumptio stat pro obligatione jejunii.

Notandum 2° quod si quis non habeat causam absolute sufficientem ad se excusandum a jejunio quadragesimali; et aliqua ratio ipsi probabilis et justa appareat qua tantum bis vel ter in hebdomada jejunet, non est urgendus ad jejunandum quotidie, etiamsi causa illa non omnino sufficiat, sed relinquendus in sua bona fide, ne forte deinde omnia jejunia culpabiliter omittat [4].

§ 2°

De causis ab abstinentia excusantibus.

1151. — *Q.* Quinam legitime excusantur a lege abstinentiae a carnibus?

R. A lege abstinentiae, praeter infantes et alios qui ad leges Ecclesiae non tenentur, excusantur:

1. Pauperes mendicantes, si quando carnem in eleemosynam recipiunt: neque necesse est ut alio cibo omnino careant [5].

2. Aegrotantes, et stomacho debiles, et etiam quidam operarii, v. g. laborantes in fodinis vel officinis vitri aut ferri, ob extraordinariam laboris improbitatem. — communiter censetur;

[1] *Marc*, I, 1239.
[2] Vid. *Génicot*, I, 447.
[3] Confessiones excipere per septem aut octo horas labor extraordinarius
[4] S. Alph., L. III, 1049.
[5] Vid. *Génicot*, I, 449; *Berardi*. Praxis, n. 2965.

Item mulieres gravidae si valde debiles sunt, vel mulieres lactantes, praesertim si proles aegrotet.

3. Uxores et filiifamilias, qui maritorum vel parentum grave paterentur indignationem, modo esus carnium non praecipiatur in odium vel contemptum religionis. — Item famuli et operarii, quibus non praebentur cibi liciti, et dominum sine gravi incommodo relinquere nequeunt; debent tamen alium quaerere, si possunt absque gravi incommodo.

4. Milites in castris vel contuberniis versantes, qui expensis gubernii in communi nutriuntur. Non autem excusantur duces, qui privatim et propriis expensis se reficiunt; nec milites privatim iter agentes, aut in domo paterna, licet ad breve tempus, degentes.

5. Viatores qui alios cibos in cauponis non reperiunt, nec alio facile divertere possunt. Non excusantur tamen si carnes ederent ob respectum humanum, seu ob timorem aliis displicendi, aut provocandi derisiones.

6. Invitati ad prandium, si, praeter expectationem, cibos tantum vetitos inveniunt (modo tamen hoc non fiat in odium religionis, et invitatus non sit sacerdos aut talis qui manducando grave ingerat scandalum, nec propter confidentiam alias epulas petere possit); ratio, quia in hoc casu discedere, vel prandio assistere solum panem edendo, ex una parte virtutem pene heroicam exigeret, et ex altera magnam turbationem, imo ut plurimum inimicitiam provocaret [1]. — Item, si bona fide condimenta vetita adhibita fuerint, et error instante prandio detegatur [2].

[1] *Marc*, 1246; *Génicot*, I, 449, 7.°
[2] *Génicot*, ibid., 9.°

CAPUT II.

De decimis.

1152. — *Q.* Quid sunt decimae; et quonam jure debitae?

R. Decimae dicuntur *illa portio fructum aut industriarum personalium, quae a fidelibus tribuenda est Ecclesiae ministris pro eorum sustentatione.*

Quonam vero jure ipsae debitae sint, distinguendum: Decimae spectari possunt vel *materialiter*, quatenus sunt stipendium Ecclesiae ministris debitum ad eorum sustentationem; vel *formaliter*, quatenus constant certa et determinata quantitate. — Priori modo spectatae debitae sunt tum jure divino, quia *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiante de Evangelio vivere* [3]; tum jure naturali, *dignus est enim operarius mercede sua* [4]. — Secundo vero modo spectatae debentur solum iure ecclesiastico.

1153. — *Q.* Quaenam notanda quoad decimas?

R. Haec praecipue notanda sunt:

1. Olim decimae debebantur tam ex fructibus bonorum, quam ex personarum industria. Sed iuxta praesentem consuetudinem pene universalem, solvuntur solum ex fructibus bonorum tam immobilium, quam mobilium; et debentur ex fructibus integris non deductis expensis ordinariis et oneribus contributionum: loco autem decimarum personalium vigent nunc *jura stolae.*

2. Decimae solvi debent ab omnibus fidelibus, etiam a principibus, sed non a pauperibus. De iure autem communi tam clerici

[3] I. Cor., IX, 14.
[4] Luc., X, 7.

quam religiosi, et etiam parochi tenentur solvere decimas suorum bonorum patrimonialium, licet assignata fuissent ad titulum ordinationis; non autem bonorum beneficialium. — Quoad eos vero, qui deficiunt a solvendis decimis, haec statuit Trid. [1]: « Qui decimas subtrahunt, vel impediunt, excommunicentur, neque ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur ».

3. Pontifex potest quemlibet eximere ab onere decimarum [2]. Pontifex, inquam, non Episcopi: hi dumtaxat possunt, ex Trid.[3], applicare decimas unius loci ad alium, et unire ac separare beneficia. — Nunquam vero potest civilis auctoritas inconsulta S. Sede, eximere fideles ab onere solvendi decimas; quamvis promittat parochos indemnes servare (S. Poenit., 8 mart. 1898).

4. Consuetudo rite potest aliquos eximere a solvendis decimis (dummodo remaneat id quod sufficit ad congruam ecclesiasticorum sustentationem); sed huismodi consuetudo praescriptionem quadraginta annorum non interruptorum habere debet, licet ab initio nec titulus nec bona fides interfuerit: ad praescriptionem vero (accipiendo vocem prout sonat praescriptio, non ut consuetudo) necessaria sunt bona fides, et quadraginta anni cum titulo; deficiente autem titulo, requiritur tempus immemorabile.

5. Pro futuris decimis fieri potest compositio; sed solummodo a Pontifice, non ab Episcopo, nisi fieret inter unam et alium ecclesiam. Attamen S. Poenit. (in Instr. diei 2 sept. 1887) permisit ut Episcopi fideles admittant ad compositionem vel redemptionem decimarum. Quod si parochus jam habuerit a civili gubernio aequam compensationem pro abolitione decimarum, fideles qui eas solvere nolunt non sunt inquietandi, dummodo parati sint stare mandatis Ecclesiae (S. Poen., 4 maj 1897). *Pro futuris*, quia praeteritas remittere potest etiam ille cui debentur [4].

6. Non solvere decimas est peccatum *irreligiositatis*, quia decimae ordinatae sunt in recognitionem universalis dominii quod habet Deus in omnes res.—An vero sit etiam sacrilegium, non satis constat [5].

Est etiam peccatum *injustitiae*, quia decimae sunt justum stipendium Ecclesiae ministris debitum, non purae eleemosynae; ideo debentur etiam Ministris divitibus, etsi improbis, cum officio suo funguntur. Constat ex prop. 18 Wiclephi a Martino V damnata [6].

[1] Sess. XXV, c. 12, de Ref.

[2] Hodie obligatio decimas solvendi, consentiente Summo Pontefice, sublata est in pluribus regionibus, ut in Galliis, vel non statuta fuit, ut in Statibus Foederatis Americae. Quae autem ad cultum divinum et ministrorum sustentationem necessaria sunt, vel praestantur ab ipsis guberniis, vel proveniunt a reditibus bonorum ad Ecclesiam pertinentium, vel a fidelibus liber offerentur.

[3] Sess. XXI, c. 5, 2, de Ref.

[4] S. Alph., Append. II, 84-86.

[5] S. Alph., L. III, 42.

[6] Confessarius interrogatus a poenitente circa solutionem daecimarum, respondere debet obligationem illas solvendi existere: advertat tamen an ipse inveniatur in circumstantiis in quibus non est inquietandus, aut sit in bona fide et monitio non censeatur profutura. Interrogata enim S. Poenitentiaria: « Quomodo se gerere debet confessarius cum poenitentibus, quos certo scit vel dubitat nolle (etsi possint) decimas Ecclesiae persolvere, si ipsi hac de re in confessione sileant omnino ? — *Resp.*: Confessarius se dirigat juxta regulas a probatis auctoribus traditas, praesertim vero a S. Alphonso, Theol. Mor. lib. VI, n. 610 » (8 Mar. 1898). — Vid. *Monitore Eccl.*, v. XVII, p. 313 et seqq.; v. XVIII, p. 202.

INDEX

INTRODUCTIO . . . . . *pag.* VII

De actibus humanis.

CAP. I. *De actuum humanorum natura et divisione . . . pag.* 1
CAP. II. *De actuum humanorum principiis.* . . . . . » 2
Art. I. De voluntario . . . » 3
§ 1° De voluntario in genere » 3
§ 2° De voluntario indirecto seu in causa . . . . . » 6
Art. II. De libero . . . . . » 8
CAP. III. *De iis quae voluntario et libero opponuntur* . . . » 10
Art. I. De ignorantia . . . » 11
» II. De violentia . . . » 12
» III. De metu . . . . . » 13
» IV. De concupiscentia et habitu . . . . . » 15
CAP. IV. *De actuum humanorum moralitate, et de eorum principiis seu fontibus* . . . » 17
Art. I. De essentia moralitatis » 17
» II. De principiis seu fontibus moralitatis . . . . » 19
§ 1° De objecto . . . . » 19
§ 2° De fine . . . . . » 19
§ 3° De circumstantiis . . » 23
BREVIS APPENDIX. *De Merito* . » 25

De conscientia.

CAP. I. *De conscientiae natura et divisione* . . . . . » 28
CAP. II. *De conscientia recta, erronea, perplexa, laxa et scrupulosa* . . . . . » 30
Art. I. De conscientia recta » 30
» II. De conscientia erronea » 30
» III. De conscientia perplexa» 34
» IV. De conscientia laxa . » 34
» V. De conscientia scrupulosa . . . . . » 35
CAP. III. *De certitudine, de dubio, de probabilitate, et de conscientia certa, dubia et probabili pag.* 40
Art. I. De certitudine, de dubio, de probabilitate . . » 40
» II. De conscientia moraliter certa, dubia et probabili . . . . . » 45
CAP. IV. *De variis systematibus circa probabilitatem, et de usu opinionis probabilis* . . . » 48
Art. I. De variis systematibus circa probabilitatem . » 48
» II. De usu opinionis probabilis. . . . . » 51

De legibus.

CAP. I. *De legis natura et proprietatibus* . . . . . » 60
CAP. II. *De lege divina* . . . » 62
Art. I. De lege aeterna. . . » 62
» II. De lege naturali . . » 63
§ 1° De essentia legis naturalis . . . . . » 63
§ 2° De objecto et subjecto legis naturalis . . . » 65
Art. III. De lege divino-positiva » 70
CAP. III. *De lege humana* . . » 71
Art. I. De lege ecclesiastica . » 71
» II. De lege civili et de jure gentium. . . . . » 78
CAP. IV. *De objecto et subjecto legis humanae* . . . . . » 81
Art. I. De obiecto . . . . » 81
» II. De subjecto . . . . » 83
CAP. V. *De promulgatione et acceptatione legis* . . . . » 87
Art. I. De promulgatione legis » 87
« II. De aeceptatione legis. » 88
CAP. VI. *De obligatione legis humanae ; legis poenalis ; legis tributorum ; et legis irritantis* . . . . . » 90

Art. I. De obligatione legis humanae. . . . . *pag.* 90
» II. De obligatione legis poenalis. . . . . » 92
» III. De obligatione legis tributorum. . . . . » 92
» IV. De obligatione legis irritantis . . . . . » 95
Cap. VII. *De modo legem adimplendi et de causis ab ea excusantibus* . . . . . » 96
Art. I. De modo adimplendi legem . . . . . » 96
» II. De causis a lege excusantibus . . . . . » 100
Cap. VIII. *De interpretatione legis, et de epikeja* . . . . . » 101
De temporis supputatione . » 103
Cap. IX. *De dispensatione legis* » 103
Art. I. De natura et divisione dispensationis . . . » 103
» II. De causis ad dispensationem requisitis . . » 107
Cap. X. *De cessatione legis* . » 110
Art. I. De cessatione legis ab intrinseco . . . . . » 110
» II. De legis abrogatione . » 111
» III. De consuetudine. . . » 111
» IV. De privilegiis, seu de legis cessatione ob privilegium . . . . . » 112
Brevis Appendix. *De S.S. Romanis Congregationibus* . . . . » 113

De peccatis.

Cap. I. *De peccatis in genere* . » 115
Art. I. De peccati natura divisione, causis, et effectibus . . . . . » 115
» II. De constitutivis peccati » 116
§ 1° De materia peccati . » 116
§ 2° De advertentia . . . . » 117
§ 3° De consensu . . . . . » 118
Art. III. De peccatis internis. » 118
» IV. De peccato omissionis » 122
» V. De peccatorum differentia in genere, specie et numero . . . . . » 122
§ 1.° De differentia generica *pag.* 123
§ 2° De differentia specifica » 126
§ 3° De differentia numerica » 127
Cap. II. *De peccatis in specie, seu de vitiis capitalibus* . . . » 129
Appendix. *De ebrietate* . . . . » 132

De censuris.

Cap. I. *De censuris in genere.* » 136
Art. I. De censurae definitione, et divisione . . . . . » 136
» II. De censurae auctore . » 139
» III. De censurae subiecto, et de culpa ad censuram requisita . . . . . » 143
» IV. De causis a censuris excusantibus . . . . . » 147
» V. De absolutione a censuris» 150
Cap. II. De censuris in specie . » 156
Art. I. De excommunicatione » 156
§ 1° Privatio divinorum officiorum . . . . . » 157
§ 2° Privatio usus activi et passivi Sacramentorum et Sacramentalium . » 158
§ 3° Privatio indulgentiarum, suffragiorum et publicarum Ecclesiae precum » 159
§ 4° Privatio actuum legitimorum ecclesiasticorum » 160
Elencus excommunicationum latae sententiae quae continentur in Codice juris canonici . . . . . » 161
1° *Specialissimo modo* Sedi Apostolicæ reservatæ » 161
2° *Speciali modo* S.A.reservatæ 162
3° *Simpliciter* S.A. reservatæ» 164
4° *Ordinario* reservatæ. . » 167
5° *Nemini* reservatæ . . » 167
Art. II. De Interdicto . . . » 169
» III. De Suspensione . . . » 171

De virtutibus theologicis seu de preambulis ad Decalogum.

Prooemium ad virtutes theologicas et morales . . . . . » 170*

De fide.

Cap. I. *De fidei natura, objecto et subjecto* . . . . . » 172*

Art. I. De fidei natura . . *pag.* 172*
» II. De objecto et subjecto fidei . . . . . » 174*
Cap. II. *De fidei necessitate ; et de iis quae explicite sciri et credi debent* . . . . . » 176*
Art. I. De fidei necessitate . » 177
» II. De iis quae ab adultis explicite sciri et credi debent . . . . . » 177
Cap. III. *De praecepto eliciendi actus internos et externos fidei, et de communicatione cum haereticis et infidelibus* . » 180
Art. I. De praecepto divino eliciendi actus internos fidei . . . . . » 180
» II. De praecepto divino eliciendi actus externos fidei . . . . . » 181
» III. De praecepto ecclesiastico externe confitendi fidem . . . . . » 184
» IV. De communicatione catholici cum haereticis et infidelibus . . . . » 184
Cap. IV. *De vitiis fidei oppositis* » 191
Art. I. De infidelitate . . . » 191
» II. De haeresi, apostasia et schismate . . . . . » 192
» III. De poenis in schismaticos, apostatas et haereticos . . . . . » 195
Appendix. *De libris prohibitis* » 201
Art. I. De pravorum librorum prohibitione . . . » 201
» II. De facultate legendi libros prohibitos . . » 207
» III. De poenis statutis in transgressores prohibitionis librorum . . . . . » 208
Altera Appendix. *Decreta generalia. De prohibitione et censura librorum* . . . . . » 211

—

Tit. I.

DE PROHIBITIONE LIBRORUM.

Cap. I. *De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum aliorumque scriptorum libris* . . . . . *pag.* 211
Cap. II. *De editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae* » 212
Cap. III. *De versionibus vernaculis Sacrae Scripturae* . . » 212
Cap. IV. *De libris obscenis* . . » 213
Cap. V. *De quibusdam specialis argumenti libris* . . . . . » 213
Cap. VI. *De sacris Imaginibus et Indulgentiis* . . . . . » 214
Cap. VII. *De libris liturgicis et precatoriis* . . . . . » 215
Cap. VIII. *De diariis, foliis et libellis periodicis* . . . . » 215
Cap. IX. *De facultate legendi et retinendi libros prohibitos* . » 216
Cap. X. *De denuntiatione pravorum librorum* . . . . . » 216

Tit. II.

DE CENSURA LIBRORUM.

Cap. I. *De Praelatis librorum censurae praepositis* . . . . » 217
Cap. II. *De censorum officio in praevio librorum examine* . . » 218
Cap. III. *De libris praeviae censurae subjiciendis* . . . . » 218
Cap. IV. *De Typographis et Editoribus librorum* . . . . » 219
Cap. V. *De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis.* . . . . . » 219

De spe.

Cap. Unicum. *De spei natura, objecto, subjecto, necessitate, et de vitiis oppositis* . . . . . » 220

De caritate.

Cap. I. *De caritate erga Deum* » 223
Cap. II. *De caritate erga seipsum ; erga proximum in genere ; de*

ordine in caritate servando; et de caritate erga inimicos in specie . . . . . *pag.* 226
Art. I. De caritate erga seipsum » 226
» II. De caritate erga proximum in genere . . » 226
» III. De ordine in caritate servando . . . . . » 228
» IV. De caritate erga inimicos in specie . . . . . » 230
Cap. III. *De praecepto affirmativo caritatis* . . . . . » 235
Art. I. De correctione fraterna » 235
» II. De eleemosyna . . . » 242
Cap. IV. *De vitiis caritati oppositis, seu de odio, imprecatione, vindicta, scandalo, et de cooperatione ad peccatum* . . » 248
Art. I. De Odio et Imprecatione » 248
» II. De Vindicta . . . . » 250
» III. De Scandalo . . . . » 251
» IV. De cooperatione ad peccatum. . . . . » 257
§ 1° De cooperatione in genere . . . . . » 257
§ 2° De cooperatione in particulari . . . . . » 259

De virtutibus moralibus.

Cap. Unicum . . . . . » 263
Art. I. De Prudentia. . . . » 264
» II. De Justitia . . . . » 266
» III. De Fortitudine . . . » 267
» IV. De Temperantia . . » 270

De praeceptis Decalogi.

Proœmium . . . . . » 272

De primo Decalogi praecepto.

De virtute religionis . . . » 273
Cap. I. *De adoratione, devotione et oratione* . . . . . » 274
Art. I. De adoratione . . . » 274
» II. De devotione. . . . » 276
» III. De oratione . . . . » 277
Cap. II. *De vitiis Religioni oppositis, seu de superstitione et irreligiositate* . . . . . » 285
Art. I. De superstitione . . *pag.* 285
§ 1° De idololatria . . . » 286
§ 2° De divinatione . . . » 286
§ 3° De astrologia, de somniis, de necromantia, et de sortilegio. . . . . » 288
§ 4° De vana observantia, de magia et maleficio . » 290
§ 5° De spiritismo . . . » 292
§ 6° De magnetismo. . . » 294
§ 7° De hypnotismo . . . » 297
Art. II. De irreligiositate . . » 301
§ 1° De tentatione Dei . . » 301
§ 2° De sacrilegio. . . . » 302
§ 3° De simonia . . . . » 305
De causis a simonia excusantibus. . . . . » 310
De simonia speciatim circa Ordines, religionis ingressum, beneficia, et de simonia confidentiali . . . . . » 311
De simoniae poenis . . . » 313

De secundo Decalogi praecepto.

Cap. I. *De vana Dei Nominis usurpatione, et de blasphemia.* » 315
Art. I. De vana Dei Nominis usurpatione . . . . . » 315
» II. De blasphemia . . . » 316
Cap. II. *De juramento.* . . . » 320
Art. I. De juramenti essentia » 320
» II. De liceitate juramenti, et de conditionibus ad illam requisitis . . . » 322
» III. De obligatione juramenti promissorii in specie, et de illius cessatione . » 326
Appendix. *De adjuratione* . . » 329
Cap. III. *De voto.* . . . . . » 331
Art. I. De natura voti et de requisitis ad ejus validitatem. . . . . » 331
§ 1° De subjecto voti, et de intentione ad votum requisita . . . . . » 332
§ 2° De materia voti . . » 334
Art. II. De voti obligatione . » 335

Art. III. De voti cessatione . *pag.* 341
§ 1° De cessatione causae. » 341
§ 2° De mutatione materiae » 341
§ 3° De irritatione voti . » 342
§ 4° De commutatione voti » 344
§ 5° De dispensatione voti. » 346

De tertio Decalogi praecepto.

Cap. I. *De hujus praecepti natura, et de operibus quae in eo prohibentur* . . . . . » 351
Art. I. De hujus praecepti natura . . . . . » 351
» II. De operibus quae in hoc praecepto prohibentur » 352
» III. De causis excusantibus a servilibus die festo . » 355
Cap. II. *De Missa audienda* . » 357
Art. I. De praecepto audiendi Missam . . . . . » 357
» II. De causis a Missa audienda excusantibus . . . » 361

De quarto Decalogi praecepto.

Cap. I. *De filiorum officiis in parentes* . . . . . » 364
Cap. II. *De parentum in filios officiis* . . . . . » 368
Cap. III. *De obligationibus aliorum superiorum et inferiorum* » 369
Art. I. De obligationibus conjugum inter se . . . » 369
» II. De obligationibus principum et subditorum. » 371
» III. De obligationibus dominorum et famulorum . » 371
» IV. De obligationibus magistrorum et discipulorum 373

De quinto Decalogi praecepto.

Cap. I. *De homicidio in genere et de homicidio sui* . . . . » 376
Art. I. De homicidio in genere » 376
» II. De homicidio sui . . » 377
Cap. II. *De homicidio proximi.* » 379
Art. I. De homicidio innocentis et facinorosi . . . . » 379
» II. De occisione injusti aggressoris. . . . . » 380
Cap. III. *De abortu, duello et bello* . . . . . *pag.* 382
Art. I. De abortu. . . . . » 382
» II. De duello . . . . . » 389
» III. De bello . . . . . » 392

De sexto Decalogi praecepto.

Cap. I. *De luxuriae natura* . » 396
Cap. II. *De peccatis luxuriae consummatae* . . . . . » 399
Art. I. De peccatis luxuriae consummatae juxta naturam . . . . . » 399
§ 1° De fornicatione. . . » 399
§ 2° De adulterio . . . . » 401
§ 3° De stupro. . . . . » 401
§ 4° De incestu. . . . . » 402
Art. II. De peccatis luxuriae consummatae contra naturam . . . . . » 403
§ 1° De pollutione . . . » 403
§ 2° De sodomia . . . . » 407
§ 3° De bestialitate . . . » 408
Cap. III. De luxuria non consummata . . . . . » 408
Art. I. De aspectibus et turpiloquio . . . . . » 409
» II. De tactibus, osculis et amplexibus . . . . . » 410
» III. De choreis et theatris » 412
Appendix. *De remediis contra luxuriam, et de regulis pro confessariis* . . . . . » 414

De septimo Decalogi praecepto.

Pars I.

DE JUSTITIA ET JURE

Cap. I. *De justitiae et juris natura, ac de praecipuis juris speciebus* . . . . . » 422
Art. I. De natura justitiae . » 422
» II. De juris natura, ac de praecipuis juris speciebus. . . . . » 424
Cap. II. *De objecto et subjecto dominii* . . . . . » 427
Art. I. De objecto dominii . » 427

Art. II. De subjecto dominii *pag.* 429
§ 1° De dominio filiorum-familias. . . . . » 430
§ 2° De dominio uxorum . » 432
§ 3° De dominio clericorum » 434
Cap. III. *De modis acquirendi dominium* . . . . . » 437
Art. I. De occupatione. . . » 438
§ 1° De venatione et piscatione . . . . . » 438
§ 2° De inventione . . . » 439
Art. II. De accessione . . . » 442
» III. De praescriptione. . » 443

Pars II.

DE CONTRACTIBUS

De contractibus in genere.

Cap. I. *De contractus natura, et de requisitis ad contrahendum.* . . . . . » 448
Art. I. De contractus natura » 448
» II. De requisitis ad contrahendum . . . . . » 449
§ 1° De materia apta . . » 449
§ 2° De subjecto contractus » 451
§ 3° De legitimo consensu » 453
Cap. II. *De obligatione contractus* » 455

De contractibus in specie.

Cap. I. *De contractibus onerosis* » 458
Art. I. De emptione-venditione » 458
§ 1° De consensu. . . . . » 458
§ 2° De merce. . . . . » 458
§ 3° De justo pretio. . . » 462
Art. II. De praecipuis venditionum speciebus. . . » 465
§ 1° De venditione sub hasta » 465
§ 2° De venditione per proxenetas . . . . . » 466
§ 3° De venditione cum pacto retrovendendi, et de mohatra . . . . . » 467
§ 4° De monopolio . . . » 467
Art. III. De cambio . . . . » 468
» IV. De contractu societatis » 469
» V. De locatione-conductione . . . . . » 471
Art. VI. De censu. . . . *pag.* 472
» VII. De emphyteusi . . » 474
» VIII. De fidejussione, pignore et hypotheca . . . » 474
» IX. De transactione . . » 475
Cap. II. *De contractibus gratuitis* » 476
Art. I. De promissione. . . » 476
» II. De donatione. . . . » 477
» III. De testamentis . . . » 481
§ 1° De natura testamenti » 481
§ 2° De testatore et haerede » 485
§ 3° De legitima, et de haeredibus necessariis . . » 487
§ 4° De haeredis substitutione, et de executore testamentario. . . . . » 490
Art. IV. De legatis . . . . » 491
» V. De mandato . . . » 493
» VI. De deposito, commodato et precario . . . . » 494
» VII. De mutuo et usura . » 496
Cap. III. *De contractibus aleatoriis seu de assecuratione, sponsione, loteria et ludo* . . . » 501

Pars III.

DE VIOLATIONE JURIS

Cap. I. *De injuria* . . . . . » 504
» II. *De furto* . . . . . » 505
Art. I. De natura furti ejusque gravitate . . . . » 505
» II. De causis a peccato furti excusantibus . . . » 509

Pars IV.

DE REPARATIONE JURIS

De restitutione in genere.

Cap. I. *De restitutionis natura et obligatione* . . . . . » 511
Cap. II. *De radicibus restitutionis* » 513
Art. I. De prima radice restitutionis, ex re accepta » 514
§ 1° De possessore bonae fidei . . . . . » 514
§ 2° De possessore malae fidei . . . . . » 517
§ 3° De possessore dubiae fidei . . . . . » 519

Art. II. De secunda radice restitutionis, ex injusta acceptione, seu damnificatione . . . . . pag. 520
§ 1° De injusta damnificatione immediata . . . . » 520
§ 2° De injusta damnificatione mediata seu de cooperatione ad damnum . » 525
Cap. III, *De circumstantiis restitutionis* . . . . . » 532
Art. I. De subjecto et quantitate restitutionis . . . » 533
» II. De eo cui facienda est restitutio . . . . . » 534
» III. De ordine servando in restitutione . . . . » 535
» IV. De modo, tempore et loco restitutionis . . . » 537
Cap. IV. *De causis a restitutione excusantibus* . . . . . » 539
Art. I. De causis quae obligationem restitutionis suspendunt . . . . . » 539
» II. De causis quae obligationem restitutionis omnin tollunt . . . . . » 541

De restitutione in specie

Cap. I. *De restitutione ob damnum animae* . . . . . » 544
Cap. II. *De restitutione ob damnum corporis, nempe ob homicidium, stuprum et adulterium* . » 545
Art. I. De restitutione ob homicidium . . . . . » 545
» II. De restitutione ob stuprum vel fornicationem» 547
§ 1° De violatione puellae consentientis . . . . » 547
§ 2° De violatione puellae invitae . . . . . » 548
§ 3° De violatione puellae cum promissione matrimonii» 549
Art. III. De restitutione ob adulterium . . . . . » 551
Cap. III. *De restitutione ob damnum famae* . . . . . » 552
Appendix. *De Ecclesiae dominio in bona temporalia* . . . pag. 556
Cap. I. *De dominio Ecclesiae* . » 556
» II. *De bonis ecclesiasticis; de poenis in usurpatores, emptores, detentores etc. latis; ac de istorum obligationibus et absolutione* . . . . . » 557
Art. I. De bonis ecclesiasticis » 557
» II. De poenis in usurpatores, emptores, detentores etc. bonorum ecclesiasticorum . . . . . » 558
§ 1° Prima excommunicatio *speciali modo* Rom Pontifici reservata . . » 559
§ 2° Secunda excommunicatio Sedi Apostolicae *simpliciter* reservata . . » 562
§ 3° Tertia excommunicatio *nemini* reservata . . » 565
Art. III. De obligationibus usurpatorum, emptorum etc., et de eorum absolutione » 568

De octavo Decalogi praecepto.

Cap. I. *De mendacio* . . . . » 574
Cap. II. *De proximi diffamatione et dehonoratione* . . . . » 576
Art. I. De proximi diffamatione » 576
§ 1° De diffamatione interna » 576
§ 2° De diffamatione externa » 578
Art. II. De proximi dehonoratione» 583
Appendix. *De violatione secreti* » 585

De praeceptis Ecclesiae.

Procemium. . . . . » 588
Cap. I. *De jejunio ecclesiastico et de abstinentia a carnibus.* » 588
Art. I. De unica refectione . » 589
» II. De abstinentiae lege et jejunii . . . . . » 594
» III. De hora refectionis . » 596
» IV. De causis a jejunio vel ab abstinentia excusantibus» 596
§ 1° De causis a jejunio excusantibus . . . . . » 593
§ 2° De causis ab abstinentia excusantibus . . . » 600
Cap. II. *De decimis* . . . . . » 601

Nihil obstat

JO. BAPT. VITI CONG. MISS.

Censor Theologus

Imprimatur

FRANCISCUS *Can.* SORRENTINO

Deputatus

					Errata	Corrige
Pag.	4	*col.*	I	*linea* 19	ac uum	actuum
»	7	»	I	» 9	e t	est
»	8	»	I	» 15	e	et
»	12	*nota*	5	» 8	augens	agens
»	29	*nota*	2	» 4	nullum	ullum
»	42	*col.*	I	» 25	alia probabilior	alia probabilis, alia probabilior
»	71	»	I	» 11	dic a	dicta
»	83	»	II	» 30	repor ent	reportent
»	87	»	II	» 30	affic ione	affictione
»	89	»	I	» 25	Deo potestate	ex potestate
»	134	»	I	» 34	qu a	quia
»	141	»	II	» 11	cusu	casu
»	175	»	I	» 51	huma-i	humani
»	203	»	I	» 26	Bened. XVI	Bened. XIV
»	229	»	II	» 20	baptizaturus	baptizandus
»	249	»	II	» 30	in primo casu	in primo casu cujusque numeri
»	249	»	II	» 30	in secundo casu	in secundo casu vero
»	282	»	II	» 25	utilissimae	utillimae
»	374	»	I	» 27	illigerunt	illi gerunt

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.M67 C001 V001
THEOLOGIA MORALIS AD MENTEM S. ALPHONSI
3 0311 00044 2660

WITHDRAWN

DATE DUE

BX
1758
.M67 23512
AUTHOR Morino, John
V.1 THEOLOGIA MORALIS AD MENTEM
TITLE S. ALPHONSI M. DE LIGORIO

DATE DUE	BORROWER'S NAME